



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
40 1
22
ROMA

SCIENTIA RELIGIONIS UNIVERSA, SEU CHRISTIANA THEOLOGIA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ NOVA METHODO SOCIATA,




Quæstiones Juris & Facti Theologicas COMPLECTENS.

Authore R. P. JOANNE GISBERT, *è Societate* IESU, *& in Academiâ Tolosanâ Regio Theologiæ Professore.*

TOMUS PRIMUS IN SERIE QUÆSTIONUM JURIS.






PARISIIS,

Apud STEPHANUM MICHALLET, Regis Architypographum, viâ Jacobæâ, sub signo S. Pauli, juxta Fontem sancti Severini.

M. DC. LXXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



REVERENDO ADMODUM PATRI

THIRSO GONZALEZ DE SANTALLA

SOCIETATIS JESU,

PRÆPOSITO GENERALI.



EVERENDE ADMODUM PATER;

Cum primùm PATERNITATEM VESTRAM *ad supre-*

mum ſocietatis Magiſtratum, fuiſſe aſſumptam, fama vulgavit, omnes, credo, Theologorum Academiæ plauſerunt manibus, & novo Generali fauſta omnia acclamarunt; quaſi foret iſta aſſumptio, Theologiæ ipſius ſumma provectio; & quæ ſolùm in ſcholis dominari ſolebat, Regina ſcientiarum, jam protenſis extra ſcholarum ſepta imperii finibus, latiùs dominatura ſperaretur. Sed inter cæterarum plauſus Academia noſtra Toloſana, quam nuper placido conſpectu tuo, & elogio dignabaris REVERENDE ADMODUM PATER, non poſtrema applauſit; mihique privatim, in communi gaudio ſociorum, ut fuit præcipua quædam cauſa gaudendi, ita, auſim dicere, non commune gaudium fuit. Cùm enim apud me ſcientiam Religionis univerſam, *ſeu* Theologiam Chriſtianam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſociatam, *periculoſæ plenum opus aleæ, meditarer; jamque*

nascenti operi idoneum aliquem Patronum quærerem, quo sustentaretur: opportunè, & ex insperato, inveni, in te, quem quærebam, Generalem scilicet Theologum, & Theologorum Patrem, de scientiâ Religionis, ipsâque Religione totâ, omnibus modis optimè meritum: &, quod raræ felicitatis est, eundem ipsum inveni, quem paulo antè senseram studiosum suasorem exequendi operis, & benevolum hortatorem. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *Salmanticæ tu quidem, REVERENDE ADMODUM PATER, in primariâ Hispaniæ Academiâ, per annos viginti, Professor Theologiæ fueras, non tam ætatis, aut ordinis, quàm meriti gradu primarius. Jam Theologica volumina tua, eaque multa, & magna, sed mole minùs, aut numero, quàm doctrinæ soliditate, & sublimitate censenda vul-*

gaveras; ut quem antè Salmantica habuisset, haberet deinceps universa Ecclesia Doctorem. Jam pro Mahumetanis in Christianismum vocandis, longam, utilemque operam posueras, secutus eam ipsam methodum, quam aliis tradere parabas, in libro illo divino, cujus mihi ideam, Tolosâ transiens, monstrare, & relinquere voluisti. Jam Hispaniarum Apostolus nuncupatus, Hieronymi tui Lopès, quem alterum Xaverium nominare solitus es, vestigiis insistens, plures Provincias, ritu planè Apostolico, peragraveras. Magna hæc erant excellentis meriti argumenta, & magni passus, nec extra viam, quâ ad Generalatum pervenitur. Nam ei societati, in quâ omnis homo Theologus esse debet, quid magis decebat, quàm præponi emeritum Theologiæ Doctorem, in quo Theologia tam insigniter emineret. Præjudicata res erat in LAYNEZ, *celeberrimo illo Theologo; quem summis Pon-*

tificibus, & Concilio Tridentino pretiosum, primi societatis Patres alterum à fundatore Generalem crearunt; præstituentes venturis nepotibus exemplum, quod sequerentur, ut re ipsâ secuti sunt, subrogando te in locum tanti viri; cujus non solùm renovares memoriam, aut repræsentares merita; sed immensæ eruditionis, quam patimur, jacturam scriptis tuis reparares. Quid verò congruentius erat, quàm ut Apostolicam societatem regeret Apostolus aliquis, aut vir eximiè Apostolicus? Quid magis ex sensu Ignatii nostri, qui Xaverium Indiarum Apostolum ab extremo orbe revocare parabat, ad societatem gubernandam; æquum reputans, ut qui totus in excursionibus, & laboribus Apostolicis tamdiù fuisset; ad clavum tandem sederet, aliorumque excursiones, & labores dirigeret: sed Ignatii votum, quod, in Xaverio, impleri non potuit, in te debuit, REVERENDE

ADMODUM PATER, Tu enim de sublimi illâ Theologiâ, quam, tanto omnium plausu, profitebaris, ad popularem, & familiarem delapsus, ut revelares parvulis, quæ Cœli & Terræ Dominus, à prudentibus, & sapientibus absconsa voluit, orbem veterem, decem annorum spatio, ut Xaverius novum, eodem, quo ille, zelo lustraveras; mirabilior, meo judicio, cùm, velut humi reptans, rudi populo prima fidei elementa traderes, quàm cùm, in morem Aquilæ, superna conscendens, scrutareris profunda Dei, & stupentibus Doctoribus aperires. Unum tibi, pace dixerim tuâ, ad supremum Magistratum deesse videbatur, experientia regiminis: quippe qui nostrorum hominum necdùm Præfecturam ullam habueras; gravioribus nimirùm occupatus. Verùm si deerat experientia, scientia tamen non deerat: divinam enim regendi artem, quam

alii, non nisi longo usu, acquirunt, jam ipse tenebas (quæ divinæ cujusdam mentis prærogativa est) à naturâ ingenitam; ad magna negotia magis natus, quàm factus. Nec deerat tibi omnis experientia regiminis. Nam tu quidem non uni societatis familiæ, sed florentissimæ scholæ præfueras; sed Urbes, & Provincias integras, sapientissimis consiliis tuis, movere ad nútum assueveras; sed Regi Catholico, in negotiis difficillimis extricandis, industriam, & dexteritatem tuam non rarò probaveras; sed orbem Christianum, lumine doctrinæ tuæ, & heroicæ virtutis exemplo, si non imperio, regebas in Aulâ Principum, in scholâ Doctorum, in grege plebeiorum, ubique opere potens, & sermone. Sola in te desiderari poterat Oeconomica, seu scientia familiæ regendæ: sed hæc politicam universalis regiminis scientiam magis impedire dicitur, quàm juvare. Subti-

liter enim notavit Philosophus id, quod satis usuvenit, eos, qui nimii sunt in singularibus, quales esse solent viri œconomici familiarum rectores, non admodum capaces esse idearum, & principiorum universalium; in quibus tamen versandis, & rectè applicandis omnis Politica consistit. Atque hinc, opinor, est; quòd sapientissimi Generalium Comitiorum Patres, partem unam prudentiæ distinguentes ab alterâ, tibi, quamvis œconomicæ inexperto, divinam tamen Politicam, ex Evangelio haustam, non defuturam esse prævideri nt; nec sua Electores opinio fefellit: in novo enim Generali, præter comitatem, & suavitatem morum omnibus amabilem, apparere cœpit, ab ipso regiminis exordio, mira in rebus gerendis dexteritas, qualem etiam post longum usum, exercitati Politici non habent. Nihil enim te gravat inusitata negotiorum moles, quæ alium obrueret. Sola tibi gravis est, &

penè importabilis tua dignitas, quæ alium ſublevaret. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. *Sed quantùm habet admirabilitatis Generalatus iſte tuus, tantùm habet publicæ approbationis, Pontificio confirmatus oraculo, & ſanctiſſimi Pontificis Innocentii ore laudatus, palàm declarantis, ſe, vel ex hoc uno, ſapiens Electorum judicium, & bonum ſocietatis guſtum ſatis intelligere. Nec modò Hiſpania, quæ te genuit, nimiùm certè beata, quòd te genuerit; ſed ipſa etiam Gallia novum Generalem Societati gratulata eſt, hoc unum dolens, quòd Gallus non ſis, qui talis ac tantus es. Hiſpaniæ tuæ te penè invidit Ludovicus ipſe Magnus, quem tu nuper Patrem ſocietatis appellabas, tuam ei Paternitatem aliquo modo communicans, & reverenter ſubmittens; eo ſcilicet nomine, quòd auguſtus Princeps, verè* Rex magnus ſuper omnem


Terram, *socios omnes nostros, si non conditione nascendi subditos habet, ingentibus certè in societatem universam meritis, & affectu plusquàm paterno sibi jam pridem subditos fecit. Ex tam præclaris initiis, REVERENDE ADMODUM PATER, satis pronum est augurari, quid nobis de te sperandum sit: nam si tanta fecisti privatus, quanta Generalis facturus es? age ergo, ut feliciter cœpisti, societatem vigili in omnem partem prudentiâ circumspice; totumque corpus, & singula corporis membra, eodem, quo ipse regeris, spiritu rege. Posuit te quidem Deus in nobis* Ducem universarum virtutum; *sed, quantùm auguror, Theologiam in primis, & Apostolatum, quæ ministeria duo sunt veluti Cardines societatis, ut promovisti exemplo, ita nunc suavi, & efficaci imperio promovebis*, attingens à fine usque ad finem fortiter, &

disponens omnia suaviter. *Florebit ergo, per te, ubique divina Theologia, debellatrix illa omnium errorum, & veræ Religionis propugnatrix. Per te accendetur in nobis ignis ille divinus, quem Christus misit in Terram, & voluit vehementer accendi. Mittet, per te, Dominus operarios, nec jam paucos, in messem suam. Current, te urgente, speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Afflante te, exibit in omnem Terram sonus eorum, & in fines orbis Terræ verba eorum. Grandia hæc dum animo volvis, REVERENDE ADMODUM PATER, ne, quæso, dedigneris, quas offero, Theologiæ novæ qualescumque primitias, sed paternâ tuâ benedictione fœcundans, dic, pro imperio, libris meis, adhuc parvulis, nec omninò evolutis,* Crescite & multiplicamini, & replete Terram: *nam, si dixeris, fiet; & faciam ego,*

ut habeat Deus, in ſingulis, totidem quaſi vernaculos, ad laudem, & gloriam ſuam expeditos; nec te patrocinii tui, quod nobis tam liberaliter indulges, aliquandò pœniteat. Ita ſpondet ita vovet, poſt manuum oſcula, & ſincera vota multorum annorum

PATERNITATIS VESTRÆ,

Humillimus, & obſequentiſſimus
in Chriſto ſervus & filius
JOANNES GISBERT,
è Societate JESU.



LECTORI THEOPHILO.

JAm ferè decem fluxêre anni, *optime Theophile*, ex quo Theologiæ ſcholaſticæ cum hiſtoriâ ſociandæ primam Ideam dedi in libello cui titulus eſt, *vera idea Theologiæ cum hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſociatæ, ſeu quæſtiones Juris & facti Theologici.* Nec diſplicuit libellus ille noſter, ſed avidè ſupra meritum exceptus eſt, & jam tertiâ editione repræſentatus: adeò ut opus integrum quale promiſi non noſtratium tantùm, ſed exterorum etiam votis jampridem poſtuletur; indignantibus multis tarditatem meam in liberandâ fide, & nonnullis etiam ſuſpicantibus, eſſe me de numero illorum quibus, cum ad partum venerint, non eſt virtus pariendi:


ſed meæ me tarditatis planè non pœnitet, differendi enim fuerunt cauſæ graviſſimæ. Nam primò infiniti momenti ſemper eſſe duxi non peccare in ideâ; quidquid enim peccetur in opere, per rectam ideam reformari poteſt, quod peccatum eſt; ſed ſi peccetur in ipſâ ideâ, irreformabile peccatum eſt, & in opus totum Originali quodam vitio transfunditur. Longâ igitur morâ opus fuit in ideâ Theologiæ rectè formandâ, expoliendâque. Deinde, capere volui experimentum aliquod mei, & ex conſilio Evangelico computare mecum ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeam ad perficiendum, ſatiſne ſim exequendo operi, cujus exemplar mihi monſtratum eſt. Ea vero diffidentis hominis modeſtia laudem potiùs habet, quàm reprehenſionem. Denique tenuit
me

me timida quædam reverentia judicii publici : ſatis enim videbam ; quàm difficile ſit in agro Theologico tantorum virorum manibus tamdiu verſato novi aliquid invenire , nec diu omnibus placere poſſe , quod leviter & inconſideratè ab uno effunditur : opus igitur habui , & longùm meditari ipſe , & aliorum de me judicia reverenter explorare ; ſed jam ſatis , & ideæ formandæ , & capiendo experimento , & aliorum judiciis explorandis, datum puto.

Aggredior igitur , Deo duce & auſpice Deiparâ , Theologiam novam, non novitate quidem, aut ſingularitate ſentiendi ; teſtis enim mihi eſt Deus, quàm religioſè antiquitatem ſequar , & communiorem Theologorum ſenſum , ſed longè alio titulo , eoque multiplici planè novam : novam ſcilicet re-

jectione inutilium tricarum, quibus Theologia aliquandò inficitur: novam additione ſolidarum quæſtionem, quæ prætermittuntur: novam revelatione altorum principiorum quæ non ſatis deteguntur: novam ordinatiore methodo & amœniore rerum tractatione, novam uſu & commodo majore litteratorum, novam denique ex mirabili Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſortio, & ita novam, ut nulla, quod ſciam, talis apparuerit. Hanc tu ſatis bonis auſpiciis naſcentem, *optime Theophile*, bonis oculis aſpice, Deumque precare, ut mihi, ad conſummationem totius operis, in laudem & gloriam ſuam, neceſſarias vires ſuppeditet. Nolim ego te longis aut ingratis tenere Prolegomenis, tria tantùm præmittere habeo. Primum de idoneâ materiâ, quæ tractatur. Alterum, de idoneo tracta-

tore. Tertium, de idoneâ formâ tractandi : nimirùm, ut omnibus appareat quanti ſit Theologia Scholaſtica, & quàm digna tractari, viſum eſt ante omnia contra iniquos illius criminatores repræſentare defenſionem Theologiæ Scholaſticæ olim à me habitam coram Auguſto Toloſatium Senatu. Deinde, ut mihi ipſe præſcribam, qualis eſſe debeam in Theologiæ tractatione, viſum eſt veri perfectique Theologi ideam exhibere, qualem nuper exprimebam coram venerabili utroque Toloſanæ Eccleſiæ Capitulo. Denique, ut intelligant omnes qualis futura ſit noſtra hæc Theologia, ſub uno aſpectu ponam, & formam illius eſſentialem, & quos ſequitur Characteres, & totam materiæ Theologicæ diſtributionem.



INDEX

DISPUTATIONUM quæ in hoc primo volumine continentur.

PROLEGOMENON PRIMUM. Ad universam scientiam Religionis.



APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus Sacræ Theologiæ Profeſſor Regius in Academiâ Toloſanâ & Univerſitatis Decanus, ab Illuſtriſſimo Cancellario ad Reviſionem Deputatus, teſtor legiſſe me Tomum præambulum operis, cui titulus eſt JOANNIS GISBERT è Societate JESU in Academiâ Toloſanâ Regii Theologiæ Profeſſoris *Theologia nova Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſociata*, *ſeu Scientia Religionis univerſa, Quæſtiones juris & facti Theologicas complectens*, Tomus autem ille præambulus, inſcribitur, *Organum Theologiæ novæ cum Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſociatæ*, In quo nihil deprehendi à Rectâ fide, aut à bonis moribus alienum, quin potiùs authoris ſui excellens ingenium, vaſtam eruditionem, miramque ſolertiam opus illud publicâ luce digniſſimum ubique ſpirat & prodit. Ita cenſeo, Toloſæ Die 30. Aprilis anno ſalutis 1687.

CASEMAJOUR Regius Theologiæ Profeſſor & Univerſitatis Decanus.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos Amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nôtre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, Juges leurs Lieutenans, & à tous autres Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nôtre cher & bien Amé le Pere JEAN GISBERT Prestre de la Compagnie de JESUS, & Professeur Royal de Theologie en l'Université de Tholose nous a fait remontrer qu'il a composé un Livre intitulé, *Theologia Christiana Historiæ Ecclesiasticæ sociata, seu universa scientia Religionis, quæstiones Juris & facti Theologicas complectens*, lequel il desireroit faire imprimer, s'il nous plaisoit luy en accorder la Permission & nos Lettres sur ce necessaires, qu'il nous a tres-humblement fait supplier luy octroyer. A CES CAUSES voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes de faire imprimer ledit Livre en un, ou plusieurs volumes, en tels marges, caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de dix années consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, iceluy vendre, debiter par tout nostre Royaume, & Terres de nostre obeïssance. Faisons deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'impri-

mer, faire imprimer, vendre, ny debiter ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit, mesme d'impression étrangere, ou autrement, sans le consentement de l'Exposant, ou de ses ayans cause, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, trois mil livres d'amende payable sans deport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, & de tous dépens, dommages & interests, à la charge d'en mettre deux Exemplaires en nôtre Bibliotéque publique, un en celle du Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal le Sieur Boucherat Chevalier, Chancelier de France, de faire faire l'impression dudit Livre dans nôtre Royaume & non ailleurs, en beaux Caractéres & Papier conformément à nos Reglemens des années mil six cens soixante dix-huit, & mil six cens quatre-vingt-six, & de faire Registrer ces Presentes és Registres de la Communauté des Marchands Libraires de nôtre ville de Paris, à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles vous mandons & enjoignons faire joüir & user ledit Exposant, ou ceux qui auront droit de luy pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empéchemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre l'Extrait des Presentes elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & qu'aux Copies collationnées par un de nos Amez & Feaux Conseillers Secretaires foy soit adjoûtée comme au present Original, Commandons au premier nostre Huissier ou

Sergent sur ce requis faire pour l'execution des Presentes tous Exploits, Significations, Deffences & autres actes necessaires sans demander autre permission. CAR TEL est nostre plaisir. Donné à Versailles le vingt-quatre jour de Juillet l'an de grace mil six cens quatre-vingt-sept, & de nostre Regne le quarante-cinquiéme.

Par le Roy en son Conseil. Signé, BOUCOT.

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 20. Aoust 1687. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. Celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665. Et l'Edit de Sa Majesté à Versailles au mois d'Aoust 1686. Le present Enregistrement fait à la charge que le debit dudit Livre se fera par un Imprimeur ou Libraire.

J. B. COIGNARD, *Syndic.*

Omnibus veræ Theologiæ, & scientiæ Religionis studiosis.

R. P. JOANNES GISBERT, è Societate JESU Sacræ Theologiæ Professor Regius in Collegio Tolosano Academico ejusdem Societatis, & in Academiâ Tolosanâ Antecessor meritissimus, Theologicum opus suum, cujus ideam repetitis editionibus vulgatam aliquot ab hinc annis præmonstravit, jam exequitur, magno, ut spes est, Ecclesiæ bono.

Totius operis Titulus est, *Scientia Religionis universa, seu nova Theologia Historiæ Ecclesiasticæ sociata Quæstiones Juris & Facti Theologicas complectens.* Constabit totum opus viginti circiter Tomis *in octavo*, ita inter se aptè connexis, ut unus ab altero dependeat, & unus alteri facem præferat; omnesque Scientiæ Religionis partes, Scripturæ interpretationem, Theologiam Scholasticam, Moralem, Historicam, comprehendet.

Authoris scopus & finis est, puram, solidam, amœnam, facilem omnibus, utilemque Theologiam dare; id quod, si Deus dederit, facturum non dubitant, quotquot ipsum jam à multis annis audierunt, hodieque docentem audiunt. Nova planè est hæc Theologia, idque multiplici titulo. Nova scilicet rejectione inutilium tricarum quibus Theologia plerumquè inficitur. Nova additione solidarum quæstionum, quæ non rarò prætermittuntur. Nova revelatione altorum principiorum, quæ non satis deteguntur. Nova ordinatiore Methodo, & amœniore rerum tractatio-

ne. Nova usu & commodo majore litteratorum. Nova denique ex mirabili Historiæ Ecclesiasticæ consortio. Procedet autem tota in duplici serie Quæstionum, quarum una Dogmaticarum erit, Historicarum altera. Jamque prodire incipit primus operis tomus, quem cæteri sine interruptione sequentur, seorsum evulgandi. Inscribitur autem primus iste Tomus *Organum Novæ Theologiæ cum Historiâ sociatæ*; propterea quòd veritates omnes fundamentales Christianæ Theologiæ complectens, idoneum erit instrumentum Theologiæ Christianæ, seu tradendæ, seu addiscendæ: consistit enim Organum istud non in vanis subtilitatibus, puerilibusque nugis, sed in primariis veritatibus, solidisque principiis, quibus scientia Religionis universa innititur. Utilis erit imprimis tomus ille prior, tum ad quoscumque infideles in Christianismum vocandos, tum ad hæreticos in sinum Ecclesiæ reducendos, tum ad firmandos in suâ religione veros fideles, tum ad singulos scientiæ Religionis studiosos, sensim in arcana veræ Theologiæ introducendos.

Hæc vos monere voluit STEPHANUS MICHALLET Primarius Regis Christianissimi Typographus, editionem totius operis in se suscipiens, & sumptibus suis.

Parisiis viâ Jacobæâ, sub signo Sancti Pauli juxtà fontem Sancti Severini. Anno 1688.

APPROBATIO DOCTORUM
Sacræ Facultatis Parisiensis.

SUb beneplacito Sacræ Facultatis Parisiensis, nos infrà conscripti Doctores ejusdem Facultatis illiusque Symmistæ inoffenso pede perlustravimus primum hunc Tomum operis Theologici cui pro lemmate titulus hic præfigitur. *Scientia Religionis Universa, seu Christiana Theologia Historia Ecclesiastica novâ methodo sociata, Quæstiones Juris & Facti Theologicas complectens.* Qui Tomus cùm sit præambulus & Antesignanus aliorum non paucorum, prænunciat Authorem Reverendum Patrem GISBERT è Societate JESU Theologum primarium, magnæ molis opus meditari & concinnare, in quo quidem opere nihil redolebit novitatem illam culpabilem, quâ Neoterici tractatores veritatem interpolare identidem attentant; quippè qui cùm prophanas vitet novitates, veritates revelat antiquas, easque in novo collocat atque optimo lumine. Neque etiam insolens cordatis viris videbitur quòd Theologia Scholastica & positiva hocce novo faustoque nexu consociata sint; quæ duo veluti ubera rationabile lac præbebunt alumnis Theologis in solidiorem cibum convertendum. Quid si malumus Universæ Theologiæ ideam nouam *à mari magno & spatioso nimis haurire*, itidem Authori huic scientissimo juxta ac felicissimo usurpare licebit vetus effatum, *piscatu novo me uberi compotivit divina pronœa.* Nihil autem nisi fidei

ō

Orthodoxæ apprimè conſonum continet Organum iſtud novæ Theologiæ. Ita conſcripſimus & recenſuimus Pariſiis ſexto Calendas Sept. M. DC. LXXXVIII.

LEONARDUS CHAPELAS.
Curio S. Jacobi à Mactabovia.

DUMAS Doctor Sorbonicus.

APPROBATIO DOCTORUM.
Sacræ Facultatis Toloſanæ.


PRodiit in lucem aliquot ab hinc annis *Vera idea Theologiæ cum Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Sociatæ*. Authore R. Patre JOANNE GISBERT in Academiâ Toloſanâ Regio Profeſſore : Opus quidem multis nominibus eruditis omnibus gratum, ſed eo potiſſimùm quòd idea eſſet Theologiæ illius quam meditabatur. Theologiam illam diu expectatam nunc tandem nobis exhibet Reverendus Pater. Quàm amœnum, quàm utile, quàmque neceſſarium ſit opus illud ex hoc primo volumine intelligent omnes ; in quo argumenti dignitas, ſermonis nitor, Methodus & Ordo rerum mirabilis cum profundâ & exquiſitâ Authoris eruditione certare videntur. Opus, ut animadvertimus, non ex aliorum laboribus coacervatum, ſed proprio authoris ſtudio atque ingenio partum ; opus denique non Theologorum modò, ſed eruditorum omnium quibus aliquis ſanæ doctrinæ ac veræ Religionis ſenſus ineſt, manibus terendum. Ita ſentimus. Toloſæ 17. Febr. 1688.

EDMUNDUS RABY Regius Theologiæ Profeſſor in Academiâ Toloſanâ.

JOANNES Ô BRIEN Regius Theologiæ Profeſſor in Academiâ Toloſanâ.

PROLEGOMENA
AD SCIENTIAM
RELIGIONIS
UNIVERSAM,
SEU
THEOLOGIAM
CHRISTIANAM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
Nova methodo ſociatam.

ű



DEFENSIO THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

Habita in Collegio Tolosano Societatis Jesu coram augusto Senatu.



REDINTEGRATUR hodiéque invidiosa quæstio, Theologum-ne oporteat ratione uti; & subtilem illam contentiosamque Dialecticam; etiàm in rebus divinis tractandis usurpare. Indignamini, credo, ILLUSTRISSIMI SENATUS PROCERES; dubitari posse, utrum, quæ omnium hominum communis laus est ratiocinari, hoc ipsum in solis Theologis reprehensionem habeat: movendæ tamen quæstioni occasionem dedisse videri potest Tertullianus, in libro de Præscriptionibus adversus Hæreticos. *Nam quid Athenis*, inquit, *& Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? nostra institutio de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate quærendum. Viderint ergò qui Stoïcum, & Platonicum*

Calumnia in Theologiam Scholasticam.

Sap. 7.

C. 7.

Occasio & causæ calumniæ.

& Dialecticum Christianismum protulerunt. Hæc ille. Nec ille tantùm, sed alii etiàm Patres locum fecere calumniæ; quatenùs primò, fidem divinam sic extollunt, nullus ut rationi locus videatur esse relictus. Cæcutire nos volunt, & mutos esse, natos quippè in aquis, ut pisces & piscatorum discipulos, fideles non rationales, credere oportere, non argumentari. Secundò. Dialecticam persequuntur iidem gravissimis verbis, ut *artificem struendi, versipellem, operariam contentionum, affectatricem & interpolatricem veritatis*; doletque apertè Nazianzenus, suis etiam temporibus, captiones Sophisticas, pravumque artificium Aristotelicæ artis, velut Ægyptiacas quasdam plagas in Ecclesiam irrepsisse. Quibus Patrum locis malè intellectis abutuntur plerique, ut Theologiam scholasticam seu disceptatricem reprehendant: pertinentque ad quatuor genera hominum. Priore loco sunt Hæretici, secundum tenent Zelotæ quidam viri boni, tertium Scioli, genus hominum aut iners aut stupidum, quartum, obscuri quidam Catholici, *Mysteriotas* appellare nunc placet; quos omnes, unus idemque prætextus, sed alios aliæ rationes, in eandem calumniam impulerunt.

Idem Tert. ibid. cap. 7.

Orat. 26.

Accusatores Theologiæ scholasticæ.

HÆRETICI.

Primò igitur Theologiæ accusatores sunt Hæretici, nec mirum: quid enim Theologiam non oderint homines, per Theologiam toties profligati? hostes sunt, arma deponi jubent. Lupi sunt, latratum timent, eumque veluti rem indecoram domini catellis objiciunt. Canes rabidi sunt, quia mordere impunè non possunt, de naturâ queruntur; quòd lapides, duriora illa ossa, liberali manu ubiquè sparserit. Ideòne

audiendi? quorum eò spectat tota querela; ut Catholicos inermes & imparatos, ipsi Dialecticâ bene armati invadant, aut certè solâ nudâque authoritate res decidatur. Quo pugnæ genere, si victoriam non sperant, vinci profectò minùs metuunt: verissimè enim dixit Hieronymus, *omnes hæreses de Scripturis sibi cervicalia consuere, quæ ponant sub cubito universæ ætatis.* Nec Patribus minus abutuntur Hæretici quàm Scripturis: estque insigne, quod notat, contra Joannem Wicleffum, Thomas Valdensis; anxium Augustinum de librorum suorum calumniatione hæreticâ, penè dicere illud Ecclesiastis, *odivi omnem laborem meum, quo laboravi sub sole:* quia nimirùm ejus libri, in manus stultorum pervenerunt; & tàm multa, tàmque varia scripsit idem, ut facile sit omnibus Hæreticis, aliquid de ipso contorquere, atque aliorsùm quàm ipse dixerit, avertere; nisi accedat ratio, quæ reformet cuncta, ac restituat.

In c. 1. ad Gal.

Tom. 2. c. 31

Secundò sunt viri in speciem boni, & zelum habentes *non secundùm scientiam*; quibus placere non potest litigiosa hæc Theologia. Pacem isti nimiò plus amant, & rixas sic oderunt; ut suam sæpè, & quod gravius est, Ecclesiæ causam perdere malint, quàm litigare. Ex quâcumque sensuum discrepantiâ, nasci continuò putant animorum & voluntatum dissensionem, violari ferè in æstu disputationis charitatem: nam quæ disputando formulæ adhibentur, cum homini in faciem dicitur, *nego majorem, minor est falsa, nego consequentiam*, aliæque id genus; eas, nec satis honestas, nec dignas putant homine Christiano,

ZELOTÆ.

Paul. ad Rom. c. 10.

nedùm Theologo. Addunt his artibus foveri tumorem, humanamque superbiam: ac deniquè nefas esse, admittere in Ecclesiæ castra Dialecticam illam, quæ toties prophana stipendia meruit, toties Hæreticis militavit. Ità sentiunt homines pacifici. Et porrò Sabbatum illud suum quod prædicant, adeò religiosè aut superstitiosè tenent; ut quodcumque bellum Ecclesiæ immineat, statum mentis non mutent: conflagrare videant omnia, nec ad ignem accurrant, modestiæ benè memores: expugnetur discerpaturque ovile Christi, nec lupos abigant Pastores, quia cum lupis rixari oporteret. Quales verò ipsi sunt, tales volunt esse & suos; acutos, subtiles, Philosophos, Theologos nolunt: humiles quærunt, atque ut humiles habeant, stupidos volunt: sed profectò stupidos quidem, etiàm non quæsitos inveniunt; humiles, quos quærebant, non habent. Dicant, quæso, illi Zelotæ, si in Synodum generalem veniendum modò foret, ducerent-ne secum Diaconos Athanasio pares? quem in Concilio Nicæno Alexandrinus Episcopus, licèt adhùc juvenem, toti Arianorum factioni opposuit. Sed sinamus bonos viros tranquillè vivere, longè sepositos à tumultu bellico: tollant puras ad cœlum manus, ac vota faciant, dùm alii pugnabunt; æqua fortè merces erit remanentium ad sarcinas & in aciem procurrentium: si tamen, quod omninò monendi sunt, nec obmurmurent ipsi strenuè pugnantibus, nec redeuntibus è pugnâ, & honesto pulvere sordidis palmam invideant. Quod Cyrillus Joanni Antiocheno schismatico

objiciebat, post Nestorium profligatum, his verbis. *Vides nos*, inquit, *velut in bello pulvere sparsos stillare sudorem, animositate spiritali & consolatione opus habere jam victores, vidisti hostem prostratum & indoluisti. Quam ob causam? ob id credo, quòd Christus vicit, quòd adversarios debellavit.* *Homil. adversus Joã. act. 5. Syn. Eph.*

Tertium genus calumniatorum Theologiæ scholasticæ, Scioli sunt; quibus vel propter inertiam palæstra non placet, vel propter ingenii hebetudinem, stadium illud rationale ingredi non licet. Hi de nobis acuta & subtilia disputantibus, incredibile est quantùm detrahant; sivè, quòd notat Gregorius Nazianzenus, omnes sui similes esse cupiunt, ut privatum eorum dedecus, sub communi delitescat; sivè, ut ne minus aliquid cæteris habere videantur, persuadeantque vulgo, se ab ejusmodi studiis, maturo quodam consilio, & fastidio delicatiore, non hebetudine naturæ, abstinuisse. Quærit appositè ad rem nostram, quodam loco Aristoteles; cur stupidi & hebetes, ratione minùs, quàm authoritate ducantur: & hanc reddit causam, facilem sanè & obviam, *quia ratione*, inquit, *& ingenio parùm possunt*; remque explicat, eleganti similitudine: idem enim ait illis contingere, quod rusticanis hominibus, in quorum conviviis, festisque diebus, omnia crepundiis, omnia fistulis, tibiisque personant; ipsis intereà mutis, & præ stupore hiantibus: quia non habent, inquit Aristoteles, unde seipsi recreent, & quid dicant, necesse est advocari tibicines, quos audiant: contrà ac facere solent urbani

SCIOLI.

Orat. 20.

ingeniosique, qui in urbibus intra domos suas, sapientibus seipsi, exquisitisque sermonibus pascunt, ac recreant, sine illâ tumultuante tibicinum turbâ. Porrò hoc Sciolorum genus, quòd ferè memoriæ satis habent, ut nonnihil ex Historiâ Ecclesiasticâ, & aliquot locutiones Patrum retineant, reddantque feliciter, præsertim in elegantibus mulierculaum non contradicentium circulis; hoc uno totam vellent comprehendi Theologiam, ne & ipsi carerent Theologiæ laude: cum tamen iidem, ad primum, *Ergò*, ut ad grande tonitru contremiscant; & ubi ratiocinandum est, ad unam, alteramve consequentiam fluctuent, & penè in sicco mergantur. Ingenii acris, & solidi judicii Theologia res est, non memoriæ. Vestram fidem, Auditores, in istis muliebribus, tenuibusque cerebellis, an sedent *Armamentaria Ecclesiæ & propugnacula Religionis*, uti Theologorum scholas, appellant Pontifices? Num unus illorum aliquis, dictum aliquod Augustini subinde repetens, nec intelligens, nunc Vigilium carpens, nunc Honorium, modo Gotescalco miserabiliter condolens, virum pro viro, locum pro loco, ætatem pro ætate supponens impunitâ licentiâ, num, inquam, ille talis ac tantus Theologus, nullis Dialecticæ armis instructus, Ario fortè reviviscenti, aut Pelagio, aut Nestorio, aut Calvino formidabilis occurreret? Avertat Deus ab Ecclesiâ suâ, necessitatem talis experimenti, & faciat, ne egeamus unquam tali auxilio, & defensoribus istis.

MYSTERIOTÆ. Quartò demùm ipsi Catholici, viri alioquin

docti, plus aliquando rationi & dialecticæ tribui putant, quàm oporteret. Hîc nonnullos intelligo, mysteriorum concinnatores, loquentes passim incredibilia, & quod intolerabile est, nisi credas, apertè indignantes: in mysteriis suis identidem exclamantes cum Apostolo, *O Altitudo*, & hâc intempestivâ exclamatione, non *divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, sed tenebrarum suarum *altitudinem* prædicantes. Isti, quibus in rebus, rationi manifestè contradicunt, rationem Judicem recusant, fidem quærunt, & nescio, an à simplicioribus obtineant. Ego quidèm moneo, si nos habere velint consentientes, priùs ipsi, cum ratione & sensu communi conveniant; clarè dicant, & intelligentur, credibilia loquantur, & credemus: nam mysteriorum, & rerum incomprehensibilium fides, Sacra, & delicata victima est, quam uni & soli Deo loquenti, exceptam reservamus.

Exposui breviter oculis vestris, Theologiæ scholasticæ criminatores, & credo, refutavi: nam satis intelligitis, quod de persecutoribus Ecclesiæ aiebat Tertullianus: *Non nisi grande aliquod bonum ab ejusmodi hominibus esse damnatum.* Controversiam ad vos totam defero, ILLUSTRISSIMI SENATUS PROCERES, « Deorum, ut ferunt, litigantium causam, cognovit « Areopagitarum Senatus, & terminavit; fabulæ « ista sunt: sed quas Græciæ mendacis vanitas finxit « virtutes in suis Judicibus, sincerè in vobis « exprimitis: adeò ut, non Palladium tantùm, « sed ipsum quoque Senatum, qualem suum esse « Athenæ prædicabant, talem Tolosa nunc habeat; «

Ad Senatum Tolosanum.

„ ea est enim vestræ fama integritatis, ut, si fas „ est dicere, disceptare coram vobis Judicibus, „ Dii ipsi non dubitarent; & causam istam suam „ Deus Deorum ipse, arbitrio vestro permittat. „ In istis Theologorum concessibus, non levia „ quædam, aut inania negotia tractamus; *voca-* „ *tur* enim *in judicium*, ut cum Celestino loquar, „ *qui judicaturus est mundum*, *discutitur*, *qui dis-* „ *cussurus est omnes*, & *calumniam sæpè patitur qui* „ *redemit*. Excusabitis fortè cognitionem ejus- „ modi causarum, quòd non omnium hominum „ sit, immiscere se Ecclesiasticis & divinis nego- „ tiis, modestiam laudo, & rerum divinarum „ reverentiam. Non ordinis tamen, Viri Claris- „ simi, non authoritatis, sed ingenij, & judi- „ cii, quæ suprema in vobis sunt, erit iste ar- „ bitratus; & quodcumque statueritis, sequemur „ omnes, non Religione quidem illâ intellectum „ captivante, sed amore veri, in quo videndo „ perspicacissimi estis, ut in eo aliis monstrando „ fidelissimi: neque ad hoc controversiæ genus, „ deerit vobis omninò persona sacra, quam quæ- „ rimus; siquidem est in vobis, si non ordinis, at „ certè virtutum consecratio quædam. Nam di- „ gnitatem cum acceperitis politicam, pietatis „ exercitatione sacram fecistis; agnoscimusque in „ unoquoque vestrûm, quod in Ambrosio, ex „ præfecturâ Mediolanensi ad Episcopatum as- „ sumpto, gloriabatur Valentinianus Imperator, „ tales à se constitutos præsides Provinciarum, ut „ in Episcopos assumi mererentur. Magnum est, „ Viri Clarissimi, jus dicere, legesque ferre mor- „ talibus, sed leges ultrò subire divinas, & spontè „ subdere Christo diademâta capita, majus ali-

Epist. ad Syn. Ephes.

quid est; utrumque vestrum, unum, dignitatis est, alterum, Christianæ humilitatis: illudque insuper utrique additis, quòd tantam authoritatem Christianâ modestiâ temperatam; zelo quodam, quem Apostolicum non verebor dicere, ita armatis; ut cum in causis fidei, Judices nec velitis esse, nec videri; habeat tamen in vobis Ecclesia præclaros fidei defensores, protectores Conciliorum, Sacrorumque Canonum acerrimos vindices. Grandia hæc nomina, quæ imperatores & principes, aliique politici viri, vestri similes, habuere olim, vos hodiè omninò impletis. Nam fidei & Religioni, quidquid periculi est, ab Hæresi, ab ignorantiâ, à morum corruptione, procul hinc avertitis. Hæreticum ferre, intra sua mœnia, Tolosa non potest: secuta nimirùm est alma civitas, studia principum suorum, & vestris penè consiliis debet, quòd Catholica est. Circumerrantes Calvinistas terret, vel ipsum nomen Tolosani Senatus, & qui ridere solent Concilii Tridentini definitiones, vestras timent. Hinc etiàm credo est, & nescio, an imprudens dixerim; quòd nos omnium minimos, amastis tamen semper, tenuistis in sinu vestro, ac penè caros habuistis, tamquàm homines, quos susceptæ vitæ ratio, devovet fidei tuendæ quam defenditis. Felices, quos tàm sancta communis causæ necessitudo, Augusto Senatui conjunxit & commendavit. De nobis, hoc vicissim affirmare possim, nec me quisquam sociorum redarguet; licet multis nominibus vestro ordini addicti simus, facti jampridem juris vestri, nullo tamen nomine arctius astringimur, quàm sacro vinculo reli-

Decreto & favore præcipuo Tolosani Senatus defensa & retenta societas Occitaniam non dimisit.

„ gionis ; & longè pluris apud nos est ; quòd
„ fidei , quàm quòd nostri , defensores fuistis.
„ Prædicabunt alii antiquitatem curiæ vestræ ,
„ quæ Parisinæ coœva est, majestatem , quâ ne-
„ mini cedit , eruditionem & integritatem quâ
„ omnes superat : prædicavi eadem & ipse , nec
„ me prædicationis meæ pœnitet ; sed mihi nunc
„ Theologo longè aliter sapienti , aliaque cogi-
„ tanti , prima laus Tolosani Senatus videtur esse,
„ quòd egregiè Catholicus est. Servent vos superi
„ nobis , servent fidei, servent Theologiæ ; & erit
„ hæc secura victoriæ , contra quoscumque im-
„ pugnatores , cujuscumque generis illi sint , Hæ-
„ retici , Zelotæ , Scioli , Mysteriotæ.

Quam Dialecticam reprehenderint Patres ; quam admiserint.

At nobis contrà præsidium vestrum , opponi adhùc audio sanctos Patres , quibus , ut supra indicavi , Dialecticorum sophismata , graviter displicuerunt. Fateor quidem , terreri me nomine talium adversariorum , quorum vel ipsi errores , si qui sunt , venerationem & admirationem quandam habent ; sunt enim, ut loquitur Facundus Hermianensis , *luminarium defectus* , quæ licet nonnunquàm splendoris sui detrimenta sustineant , luminaria tamen esse non desinunt. Verùm præcisè & absolutè nego , adversari nobis Patres , in præsenti materiâ. Sicubi ergò parùm æqui videntur in Dialecticam, intelligere putandi sunt , Dialecticam illam superbam , temerariam , insolentem , & qualem, contra Christianos usurpabant Gentiles , sophismatum plenam : nam modestam , ancillam fidei, rationi minùs , quàm authoritati divinæ tribuentem , usurparunt ipsi Patres feliciter , tantùm abest ut reprehenderint. Sic tamen Theo-

Lib. 6.

logiam oportet esse disceptatricem, sic Patres in Theologiâ rationi humanæ & Dialecticæ hospitium permiserunt, ut eam ancillam esse voluerint, non dominam. Nec verò in Theologiæ domum, introducta antè fuit, quàm istas quæ sequuntur, pacti servitii leges acceperit.

Damasc. Dialog. c. 1. Petrus Damia. opusc. 36. c. 5.

Quibus legibus Dialecticæ locus sit in Theologia.

Prima est. Ut in divinam authoritatem efferatur nunquàm, nunquàm superbiat; suosque partus, ut ita dicam, vernaculos, nec præferre, nec æquare præsumat, ingenuis & liberis. Alioquin, audietur statim Saræ vox illa querula apud Abrahamum, *ejice ancillam & filium ejus.*

Hyeron. Epist. 84.

Secunda. Ne sit nimis curiosa, & in secreta divinitatis, ne altiùs inquirat, dicti illius sapientis memor: *numquam nos verecundiores esse debere, quàm cum de iis agitur.*

Seneca lib. 7. natur. quæst. c. 20.

Tertia. Ut rem dominæ curet diligenter, ac tueatur; sitque, juxta monitum Basilii, sacris dogmatibus muri instar, quòd ea nec facile diripi sinat, nec quorumlibet incursioni patere.

In c. 2. Isaya.

Quarta demum. Ne foris liberius vagetur, sed domi se modesta contineat, intenta in divinam fidem, & oculos habens *in manibus dominæ suæ*: si enim per alia licentiùs excurrat, abeatque passim in quæstiones inanes, increpari digna est, & audire quod Angelus Agari ancillæ dixit: *Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.*

Gen. 16.

Intra hos terminos, si ratio humana & Dialectica consistat, ancilla erit dominæ Theologiæ, pretiosa, nec inutilis: id quod accuratiùs mox demonstrabo, cum Theologi, seu Theologiæ tractatoris veram ideam proponam.



Coram utroque venerabili Ecclesiæ Tolosanæ Capitulo expressa.

THEOLOGI

SEU

THEOLOGIÆ TRACTATORIS.

VERA IDEA.

Idea Theologi duobus omninò continetur.

THeologum oportet esse apprimè Dialecticum. Hæc prima Theologi laus est (Viri Clarissimi) eundem velim esse, in lectione Scripturæ & Patrum, in Historiæ Ecclesiasticæ, totiusque sacræ Antiquitatis cognitione versatissimum. Hæc est illius laus altera. Atque his omninò duobus, perfectum Theologum, seu Theologiæ tractatorem definio.

1. *parte quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 2.

Statuo igitur cum sancto Thoma, in Theologiâ priores esse partes divinæ authoritatis, rationi posteriores relinqui. Contrà ac fieri solet in Philosophiâ, ubi nihil, aut parùm authoritati, plurimùm ac penè totum rationi tribuitur. Statuo insuper. multiplex esse Christiani Theologi munus : nam si Christianus omnis, Dei miles est, *militia enim Dei sumus*, ut loquitur Tertullianus, id certè præcipuo aliquo jure in Theologum cadit. Quare, ut sunt officia militis plurima, munire castra, progredi in hostem, occupare aliena, amplificare sua ; ità pariter Theologi Christiani multa officia sunt, ut Gentilium, aut Hæreticorum crassos

Theologus debet esse Dialecticus ad munera sua implenda.

errores refellere, iisdem religionem inferre, & veritatem persuadere Catholicam, fidem servare integram, eamque ditare pro viribus: atqui ad ea omnia ritè præstanda, ratione opus habet & dialecticâ. Ergò nequit esse perfectus Theologus, qui non sit idem apprimè dialecticus.

Primum Christiani Theologi munus est, Hæreticorum & Gentilium crassos errores refellere. Sed quid ferè sunt istiusmodi errores, nisi humana figmenta, & aberrantis animi deliria, & pudenda quædam monstra exorbitantis rationis. Ergò non tàm per divinam fidem, quàm per rationem ipsam, reformari, refingique, & possunt & debent: nam quemadmodum in bello Princeps aut Dux, non ipse per se, cum singulis promiscuè congreditur, sed gregarios plerùmque milites, cum ignobili hoste committit; ità pertinet ad dignitatem divinæ fidei, si non per se ipsam, sed per rationem vernaculam suam, vulgares istos, plebeiosque hostes debellet. Eoque pugnandi genere usi sunt, Irenæus, Tertullianus, Augustinus, aliique Patres: & mirabile prorsùs est, cum Philosophos dixerit Tertullianus, *Patriarchas Hæreticorum*; nullam tamen hæresim, à Philosopho inventam fuisse, quam non alter Philosophus ratiocinando extinxerit.

Primum Theologi munus.

Lib. adversus Herm.

Alterum Christiani Theologi munus est, dogmatum nostrorum fidem, cùm Ethnicis, tùm Hæreticis insinuare. In fide autem duo sunt, revelatio divina, & res revelatæ. Atqui revelatio, nec sui ipsa interpres est; nec ha-

Alterum Theologi munus.

bent ad manum Theologi, virgam illam Mosis, victricium miraculorum effectricem; nec eo Spiritu afflamur omnes, quo Spiridion ille, Thrymituntis in Cypro Episcopus, qui litterarum planè rudis, & minimè Philosophus, in Concilio Nicæno Philosophum pro Ario pugnantem convicit, *non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus & virtutis*, nudâ & simplici recitatione symboli; hoc unum terribiliter insonans, *Credo in Deum, &c.* Ignaros & idiotas habemus etiàm nunc plures, at eôdem quo ille animatos spiritu, non habemus. Nobis igitur, hoc ferè solum superest; ut instando, argumentando, ratiocinando, existentiæ revelationis fidem faciamus. Quòd verò spectat res revelatas, si rationem non superant; quid vetat, robur eis aliquod ac firmamentum ex ratione accersere. Si sunt suprà rationem, proderit mitigare difficultatem mysterii probabilibus conjecturis, ac popularibus, uti mos erat Patrum, similitudinibus aliquo modo explicare.

Ex actis Conc. Nic.

Tertium Theologi munus.

Tertium Theologi Christiani munus est, fidem servare integram illibatamque: fidei autèm periculum esse potest, vel ab Hæreticis revocantibus in dubium, quæ jàm antiquâ possessione firma constant, vel à Catholicis rerum sæpe novarum studiosis, & in varias partes abeuntibus: tùm verò quid opus facto? exquirendus scilicet scripturæ sensus, consulendi Patres, versanda illorum scripta, expendendæ sententiæ. Videte autem (Viri Clarissimi) an id fieri sine contentione possit. At ubi neque hoc modo pax haberi potest; re-

curritur ad summum Pontificem, Judicem Controversiarum, aut cogitur Generale Concilium: utrobiquè sedent Episcopi Judices, sed adsunt quoque disputantes Theologi, tanquam sacri Senatûs Consultores & Advocati; tanta autem est istorum necessitas, ut in Concilio Tridentino, cum Theologorum unus febri alternante laboraret, quo die hominem febris tenebat, tota Synodus vacare consuesceret. Quid igitur est nolle Theologos litigare; nisi mutum, & sine causidicis forum instituere; aut veterem illum restaurare Græciæ Senatum, quo clausis, ut aiunt, fenestris, noctu, extinctisque luminibus, sine fori strepitu, aut contentione ullâ, & quantùm ego suspicor, sine maturo examine, de gravissimis causis sententia ferebatur. *Laynez Theolog. Soc. Iesu.*

Quartum deniquè Theologi munus est, fidem non tantùm servare integram, sed etiam ditare pro viribus, remque illius, ut ità dicam, familiarem amplificare. Nam cum una aliqua propositio revelata, multas sæpe contineat involutas implexasque in se, evolvuntur illæ successu temporis, & ex uno eôdemque fidei principio, multa seu evidenter, seu probabiliter inferuntur: & hæc quoque ratiocinando educere, Theologi esse dico; ut fidei granum illud, *quod minimum quidem est omnibus oleribus*, arbor tandem fiat, ramosque latè diffundat, in quibus volucres cæli habitent, hoc, est subtilia cælestiaque ingenia, assiduâ meditatione versentur. Quartum Theologi munus.

At, inquies, luxuriat Theologica ista arbor in millè folia, ramos habet adulterinos qui Abusus Dialecticæ in Theologiâ.

non de radice procedunt, corruptoque divinæ arboris libro, alieni & silvestres surculi inolescunt. Clarè loquamur, ex perpetuâ istâ Theologorum contentione fit, ut certis misceantur incerta, abeaturque passim in probabiles tantùm, inutilesque sententias. Non diffiteor, Viri Clarissimi, esse aliquod Theologiæ genus, insulsum, aridum, jejunum, in tenui semper, obscuroque versans, summas carpens, crispansque rerum aristas, *& nimiùm per solœcismorum aut syllogismorum spineta decurrens*, quod reprehendebat Hyeronimus in Celestio Pelagii discipulo. Sed sunt quoque delicatioris fastidii homines, quorum palato nihil sapit, quod non sit idem certum atque evidens; qui vel solidam certitudinem, vel suaves demonstrationum fructus ubiquè exquirunt, ignari & quid *quæque ferat regio, & quid quæque recuset*. Contrà quos demonstrare nunc placet, pertinere ad fidei præsidium, istam sententiarum probabilium varietatem. Res ut videtis magni momenti est, & digna hoc loco. Contingit sæpè ut revelata sit substantia rei, modus autem dubius maneat, atque incertus, rem pono in exemplo. Revelatum est hominem esse liberum, & stare cum gratiâ efficaci libertatem: incertum tamen est, quemadmodùm stet; scitis enim, quot & quàm varios concordiæ modos, alii alios quotidiè excogitent. Dico igitur, facere ad fidei defensionem, vias illas probabiles servandæ libertatis. Nam si dogma Catholicum impugnet Calvinista, contendatque liberum esse non posse ad operandum, qui careat gratiâ efficaci;

Epist. ad Ctesiph.

Delicatius nonnullorum fastidium omnem probabilitatem respuentium.

Theologo prætermittendi non sunt modi probabiles explicandi divina mysteria.

efficaci ; respondebit facile negando Catholicus, quia nimirùm homini, qui gratiam efficacem non habet, non deest auxilium sufficiens. At quale auxilium urgebit ille, ita-ne sufficiens est, ut præter illud nihil ultrà requiratur ? hîc confitenti fortè cuipiam de gente Thomistarum, requiri prætereà auxilium prædeterminans, insultabit, credo, Hæreticus, & veluti triumphum canens, exclamabit cum ingenioso viro, *monendos igitur esse mortales, & buccinandum tubâ, auxilium sufficiens cum Thomistæ admittunt, intelligere id genus auxilii quod non sufficit, seu præter quod, aliud necessariò requiritur.* Quæ quamvis plausibiliter dicerentur: An ideò evacuaretur fides ? absit. An ideò caderet causa libertatis ? minimè verò. Stat adhuc Sorbonistarum, aliorumque Sententia, sunt aliæ defensionis viæ, alia fidei propugnacula, quæ nec perrumpet unquam Hæreticus, & si fortè tentabit, poterit intereà pars altera recipere animos, viribusque redintegratis alacrior & melius prædeterminata, ad pugnam redire. Ergò, ut cum Cyrillo concludam, *utile est Theologiæ ministerium rationis, & Dialectica falsò illa nuncupata mundi sapientia, quæ olim liberale irridebat matrimonium, nunc ingenuitati servit filiorum Dei, divinis famulata dogmatibus.*

In Litt. ad Provinc.

Tomo 5. part. 2.

Theologus debet esse versatus in cognitione sacræ antiquitatis.

Altera Theologi laus est, ut sit idem in Lectione Scripturæ & Patrum, in Historiæ Ecclesiasticæ, totiusque sacræ Antiquitatis cognitione versatus.

Debet hoc. 1 Memoriæ magnorum

Debet hoc primùm, memoriæ magnorum virorum, quorum adhuc armis, ingenio, ac ductu, ut de Augustino loquitur Prosper, Ca-

virorum. *Epist. ad Ruf.* tholicorum acies pugnat & vincit.

2. Gloriæ fidei. Secundò debet hoc gloriæ fidei, & præteritis Ecclesiæ victoriis: nam si gloriosum est, post victoriam trophæa erigere, hostemque jam exanimem repræsentare, suis instructum armis, & dicere, *Mezentius hic est,* Quàm pulchrum erit ad currum fidei triumphantis, religare præcipua capita Hæreticorum, suis ornata coloribus, ac dicere insultando, *Pelagius hic est, ille Calvinus, talis fuit Nestorius, hæc erat persona Eutychetis, his insignibus Monothelitæ pugnabant.*

3. Sibi ipsi. Tertiò debet hoc sibi, ad privatam voluptatem, & levamentum aliquod laboris sui. Nam juvat aliquandò post debellatum hostem, in ejus castra excurrere, lustrare oculis, ut se vallo muniit, ut disposuit aciem, ut restitit, ut fugit, ut accisæ reliquiæ consederunt: dulce est, designare manu, illic raptas aquilas, hîc turbatum equitem, hîc peditem inclinatum succubuisse. Ergò & Theologo pariter jucundum erit, ex contentiosâ disputatione respirare identidem: post refutatum, verbi gratiâ, dogma Arii, assertamque filio Dei divinitatem, excurrere in orientem, & monstrare digito: Hîc Arius Alexandriæ Presbyter, primus in filium Dei rebellavit, favente imprimis Eusebio Nicomediensi, illo Ecclesiarum adultero. Ibidem adversùs fidei hostes, clarissimâ tubâ bellum cecinit Alexander Alexandriæ Episcopus. Illic verò Nicææ in Bithiniâ, per trecentos & octodecim Patres, quasi per totidem Abrahami vernaculos, fides in urbe victoriæ triumphavit, pugnante præsertim magno Athanasio. Dulce erit exinde digredi ad conventicula Arianorum;

Epist. Conc. Alexan.

ubi præſidebat Comes, ſpiculator apparebat, cædes vel exilia Epiſcopis, non fidei definitiones ſcribebantur. Tùm ubi Liberius lapſus eſt, ubi cecidit magnus Oſius, quomodo poſt Ariminenſem ſynodum, Nicænæ fidei conclamata damnatio, totuſque ingemuit orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Hæc & alia fidei pericula, quæ præſentia terrebant olim, nunc præterita voluptatem habent.

Quartò Debet hoc muneri ſuo Theologus. Neque enim jucunda tantùm, aut glorioſa eſt ejuſmodi exercitatio, ſed omninò neceſſaria ad Theologi partes perfectè implendas. Rem facilè demonſtro. Militi ut expeditè pugnet, familiaria & uſitata eſſe debent arma, quæ tractat. Atqui Scripturæ textus, ſententiæ Patrum, Conciliorum definitiones, aliaque id genus, arma ſunt quibus pugnat Theologus, ergò ut expeditè pugnet, illorum uſum debet habere familiarem. Quid quòd abutuntur hæretici iiſdem Eccleſiæ armis, & undè nos firmamenta cauſæ noſtræ ducimus, errorem illi ſuum confirmant. 1°. Enim ſe illi veros, germanoſque ſanctorum patrum diſcipulos prædicant, eâdem omnes impudentiâ, quâ Joannes Huſſius ſe Joannem Auguſtini nominabat, aut nominari ſinebat. Ergò repetenda ab illis ſunt magnorum virorum ſpolia, repetenda magni Auguſtini authoritas &c. Id verò quomodo faciet, qui magnos viros viderit nunquam, & vix de nomine cognoverit. 2°. Conventicula iidem pro veris legitimiſque Conciliis numerare audent. Sciendum igitur eſt, quâ in re Tyrannicæ illæ conſultationes, & prædatoriæ Syno-

4. Muneri ſuo.


Th. Vvald. tom. 1.

di, seu ut appellant, Latrocinia, à legitimi judicii formâ defecerint. 3°. Omnia subruunt fundamenta fidei: nàm nec Pontificis esse volunt cogere Concilium, nec Concilii, causas fidei definire, nec Pontificem modò, sed & Concilium integrum & universam Ecclesiam errare posse audacter pronuntiant, Honorium citantes, Vigilium, tria Capitula &c. Hîc verò magni momenti est, non vinci Catholicum, cum ex legitimâ istiusmodi factorum probatione, Ecclesiæ causa ita pendeat, ut quidquid ratione & authoritate probatum fuerit, sæpè unius facti non satis explorati interjectu enervetur. Vidi ego, qui non admodùm senui, vidi ipse non longè Tolosâ vestrâ, Auditores, cum Calvinistam inter, nuperis suis scriptis contrà fidei perpetuitatem totâ Galliâ famosum, & Catholicum Dialecticæ magis quàm historiæ peritum, disputatio de fide haberetur, coram viris primariis, vidi, inquam, & sensi premi hæreticum, in easque redigi angustias responsionum, quæ ne suis quidem placere possent; sed rem ille aliò callidè detorquens, eò tandem venit ut diceret, Concilium œcumenicum errare posse, & reipsà errasse quod citabat Concilium Ariminense in causâ Arianorum: Hîc vero, quòd eam, credo, partem historiæ non satis teneret Catholicus disputator, persequi adversarium noluit per avia & ignota loca, & victoriam quam in manibus habebat, miserè dimisit. Mihi quidem, quamvis nec satis Historiâ instructus eram, nec satis decebat per ætatem loqui juniorem, in multitudine presbyterorum, su-

Montalbani in Aquitaniâ anno 1662.

bibat tamen animum pugnæ ſuccedere, &, ut loquar cum Hieronymo, *extorquere gladium de manibus hoſtium, ac Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare.* Sed continui me tùm; uti debui; ex eo tamen invaſit me vehemens ardor ſtudia iſta non negligendi, invaluitque ea cupiditas ſuperioribus annis, cum toties abuti viderem Hæreticos Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, ad fovendum errorem ſuum; dolerentque boni omnes, ſæpè unum hominem in arte mentiendi exercitatum, impudenter & periculosè aliis imponere. Perfecto igitur Theologo non ſatis eſt eſſe Dialecticum, niſi ſit idem Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, totiuſque Sacræ antiquitatis cognitione plenè inſtructus.


Debet ille quidem ſolidè ſtabilire fidei dogmata, nam hoc Theologi caput eſt, debet probabiles modos explicandi divina myſteria diſcutere diligenter, debet interdùm ex unâ propoſitione revelatâ, alias ratiocinando educere. Debet enim aliquandò per naturales rationes, divinæ authoritati, aut viam ſternere, aut honeſtum parare ſatellitium: atque hæ ferè ſunt Dialectici partes Theologo eſſentiales. Sed poſt ſtabilita fidei dogmata, & quæſtiones Juris accuratè diſputatas, ei veniendum eſt, ad quæſtiones facti ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ & Sacrâ antiquitate petitas, quia & inde plurimùm roboris & ſplendoris, ipſæ Juris quæſtiones accipient. Stet ergò quod demonſtrandum erat, eum eſſe verum perfectumque Theologum, qui utraſque Juris & facti quæſtiones ſapienter complectatur: nam



quicumque quæstiones Juris tractans, quæstiones facti omninò prætermiserit, solidam ille quidem & nervosam, sed sine succo, nimis aridam & nimis duram Theologiam dabit: qui verò totus in quæstionibus facti, quæstiones Juris leviter tractaverit, is mollem, flaccidam, sine ossibus & nervis, vix bene cohærentem Theologiam exhibebit; sed qui utrasque Juris & Facti quæstiones feliciter sociarit, solidam ille, nervosam, bene habentem, succi plenam, venustam, formosamque Theologiam habuerit.

» Hæc est vera perfecti Theologi idea (Cano- » nici venerabiles) non tàm ex meo sensu de- » prompta, quàm ex vobismetipsis expressa; » nam rudem illam imaginem cùm delineavi, fui- » stis mihi ob oculos, ut absoluta Theologorum » exemplaria. Dixi Theologum debere esse Diale- » cticum: atqui vos, quo ore pacem datis populo, » & veluti olivæ ramum præfertis, eodem spira- » tis bellum quoddam sacrum, & contra fidei ho- » stes gladium exeritis, utrâque parte acutum; » ac minimè omnium litigiosi, juxta Apostoli » monitum, Theologica tamen ista litigia exer- » cetis identidem acriter; quodque mirabile » est, plerique vestrûm, eâ fortè ætate quâ ardor » iste contentionis deferbuit. Posteà verò quàm » sublimioris Theologiæ arcana scrutati estis, des- » cenditis ad humilem populum; & digesta ad » rudiorum captum fidei mysteria, *quasi modò* » *genitis infantibus rationabile Lac* distribuitis pa- » tres & nutrices Ecclesiarum. Nec Theologiam » tantùm vel loquimini, vel auditis, sed quod ma- » jus est, Theologiam exemplo vivitis, magni

& verbis & factis Theologi : Dixi præterea « Theologum debere esse historiæ peritum Eccle- « siasticæ, atqui vos sacram antiquitatem, & fideli « memoriâ colligitis & moribus, Apostolicorum « temporum viros, senescenti jàm mundo repræ- « sentatis. Historiam igitur Ecclesiasticam, quam « complexi estis, ornabitis aliquandò vestris nomi- « nibus, & habebunt in vobis posteri, quò An- « nales Ecclesiæ Tolosanæ locupletent, minùs ta- « men eâ parte beati quàm nos, qui ea videmus « oculis virtutum heroicarum exempla, quæ illi « auditione tantùm accipient. «



IDEA THEOLOGIÆ

CUM HISTORIA SOCIATÆ.

CUM Idea Theologiæ jàm satis eruditorum manibus trita, & repetitis editionibus vulgata sit, nil necesse alicui videbitur illam iterum repræsentare. Sed planè ego dicere possim cum Paulo, *quando eram parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli* : nàm tenet me fastidium quoddam prioris illius ideæ, quæ in teneris annis efformata, habet aliquid rudis infantiæ, mihique jàm multorum annorum Theologo, melior quædam Theologiæ forma, longarum meditationum fructus enascitur. *Ad Cor. 1. c. 13.*

Forma essentialis Theologiæ nostrę.

Complectitur nova Theologia quæstiones juris & facti Theologicas.

Retineo quidém formam essentialem, & primariam differentiam Theologiæ nostræ, in eo positam, quòd historiæ Ecclesiasticæ Theologia Scholastica societur, quæstiones Juris & Facti Theologicas complectens. Quæstiones juris appello, quæstiones scholasticas seu dogmaticas quæ nimirùm versantur circa veritates aliquas speculativas, aut fidei dogmata per scripturam & traditionem decidenda: nam scripturâ & traditione, jus Theologicum propriè continetur. Quæstiones autem facti appello, quæstiones historicas aut quæcumque versantur circa factum, quod nec scripturâ nec traditione decidi potest. A quæstionibus Juris initium fiet, tùm quia in iis prima & præcipua cura Theologo ponenda est, sunt enim ossium & nervorum instar, quibus totum Theologiæ corpus innititur, tum quia non sine periculo versabit quæstiones facti, qui non antè fuerit in quæstionibus Juris omninò versatus: in quem scopulum plerique impingunt, Theologiam malè vertentes in historiam, & in magno illo historiæ Ecclesiasticæ pelago interdùm à fide naufragantes, quòd nimirùm sine ductu Theologiæ Scholasticæ navigare præsumant. Quæstionibus Juris subiicientur quæstiones facti, quæcumque ad Theologiam aliquo modo pertinent, nimirùm ex his novam lucem novumque robur accipient Theologica dogmata, respirabit tantisper Theologus nimiâ fortè contentione fatigatus, & curiosis, quibus magis historica placent, quàm Scholastica, ille-

Quid per quæstiones juris intelligatur.

Quid per quæstiones facti.

A quæstionibus juris initium fieri debet.

Quam ob causam.

Quæstiones facti subjicientur.

Quem in finem.

crebra quædam apponetur. Prima mihi mens erat, quæstiones Scholasticas historicis interpolare; ita ut singulæ singulas immediatè exciperent. Nam ea series Theologiæ & historiæ alternatim dispositæ, opportuna videbatur ad tædium ipsâ varietate levandum. Sed ne ità faciam, duo nunc præsertim absterrent.

Primum consilium autoris de interpolandis juris & facti quæstionibus.

Primum. Quia observavi, non omnibus quæstionibus dogmaticis, respondere historicas; multa enim sunt dogmata, quæ controversiam in Ecclesiâ aut parvam, aut nullam habuerunt; deficeret ergo plerumque exacta illa series alternantium quæstionum. Alterum. Quia Theologiæ Scholasticæ noceret illa historicarum quæstionum interpolatio. Contingit enim ferè, ut quæstiones Scholasticæ inter se connexæ sint, & aliæ ex aliis aptæ, annulorum instar dependeant; Iste verò nexus, per intermixtam historiam rumperetur; quarè præstabit duplicem instituere seriem quæstionum, unam dogmaticarum, alteram historicarum, additâ notâ ad quamlibet quæstionem Scholasticam, si fortè historicam habeat sibi respondentem.

Jam ipsi autori non placet.

Cur non placeat.

Placet magis instituere duas series quæstionum unam juris alteram facti.

Quos sequatur Theologia nostra Caracteres.

Æmulamur secundùm Apostolum *charismata meliora*, & sequitur Theologia nostra optimos caracteres: judicabunt alij, satis-ne eos assequatur, rectè concilians Soliditatem cum Subtilitate, Profunditatem cum Perspicuitate, Majestatem cum Amœnitate; nam eos caracteres si

feliciter collegerit, ea planè nova, singularis & divina sit.

Primus Theologiæ caracter. SOLIDITAS. In quo consistat.

Primus ergò Theologiæ caracter sit soliditas. Soliditatem autem dabit. 1°. Exquisitus rerum tractandarum delectus, neque enim fœnum aut stipulam ædificare velim, sed aurum & argentum, lapidesque pretiosos, hoc est, utiles & pretiosas quæstiones, inutiles & vanas planè rejiciens, nec tam attendens, quid tractarint alii quàm quid tractare debuerint. Nobis ergò erit perpetuò ob oculos illud Cassianum, *cui bono.* Nec quidquam in Theologiâ tractabimus, quod verè Theologicum non sit, & ad Christiana dogmata stabilienda, aut explicanda, non aliquo modo referatur. 2°. Soliditatem dabit plenitudo, si nihil necessarium, aut utile desit, non enim satis solidum est, quod plenum non est, non est autem plenum, quod est aliquâ parte vacuum. Curabimus ergo ne nos ulla quæstio verè Theologica prætereat. 3°. Soliditatem dabit determinatio quæstionis in partem saniorem seu veriorem, est autem ferè veritas, ubi antiquitas est. Nos igitur sollicitè vitabimus *prophanas novitates*, quæ nihilum ædificationis habent, ut plurimùm vanitatis, ea ferè sequentes quæ communi Patrum & Theologorum sensui magis congruunt. Hæc est enim via regia, quæ ducit ad veritatem. 4°. Soliditatem dabit momentum & pondus rationum, quibus innitentur conclusiones nostræ; non enim supra arenam aut instabilem humum, sed quoad fieri poterit, supra firmam petram ædificabimus. 5°. Soliditatis pars erit exacta & accurata responsio ad ea quæ objicientur, neque enim eludetur, aut dissimulabitur

difficultas, sed cum toto robore suo proposita, robore adhuc majori dissolvetur; 6°. Totius doctrinæ cohærentia: Theologia enim domus instar eò solidior est, quò melius omnes illius partes cohærent; quare cavendum est diligenter, ne qua parte rimam habeat, aut inconsequentiam; nam in longo præsertim opere satis humanum est non constare sibi; seu defectu memoriæ, cui antè dicta exciderunt, seu angustiâ comprehensionis, quæ multa simul videre non potest & invicem comparare; seu denique hebetudine & brevitate quâdam ingenij, non satis procul videntis, principiorum quæ posita sunt consequentias. 7°. Soliditatem dabit reductio frequens totius Doctrinæ ad unum aliquid; nihil enim solidius esse potest, quàm cum uni alicui principio cætera innituntur, veluti fundamento immobili, & ad illud contrariæ sententiæ argumenta, veluti fluctus ad durissimam cautem allisi in spumam abeunt.

Secundus novæ Theologiæ caracter sit Subtilitas. Subtilis autem erit Theologia. 1°. Si in arduis & Metaphysicis versabitur; nam arduas & Metaphysicas Quæstiones, si fortè utiles aut necessariæ sint, non modò non præterire oportet, sed ad ipsos rerum apices promovere. 2°. Subtilis eadem erit, si facilè omnia subeat, confusa distinguens, colligata dissolvens, atomos (ut ita dicam) insectiles secans, & ipsa dividens indivisibilia. 3°. Subtilis demùm erit, si non per flexus & mæandros, sed rectâ viâ superatis ambagibus, veritatem expeditè sequatur.

Secundus. SUBTILITAS. In quo posita sit.

Tertius novæ Theologiæ caracter esse debet Tertius.

PROFUNDITAS. Quid importet.

Profunditas. Profundam autem appello Theologiam. 1°. Quæ *Profunda Dei* ſcrutatur, alta myſteria ingrediens, & in ipſam abyſſum divinitatis reverenter deſcendens. 2°. Quæ non hæret in ſuperficie, ſed abſtruſa quæque, & intima quæſtionum aperit. 3°. Quæ in omni materiâ fundum rei quærit, & feliciter invenit; eſt autem rei fundus, ultima quædam & immediatè nota propoſitio, in quâ ſiſtendum eſt: nàm in quâlibet ferè materiâ, deveniri poteſt ad aliquam propoſitionem, quæ ex terminis patet, ſeu probabiliter, ſeu evidenter; ejuſmodi verò propoſitiones revelare, eſt fundum rei attingere. Aliud ergò eſt, profundum eſſe, aliud obſcurum; quamvis & obſcuritas interdùm famam habeat profunditatis, ut ferè fit in cænosâ palude, quam credimus, aut ſuſpicamur eſſe profundam, quia cænosâ eſt; & profunditas obſcuritatem trahat, ut contingit aquæ, quæ ſi altè profunda ſit, vix umquam ſatis limpida & tranſparens eſt, ut tota ad fundum uſquè videri poſſit. Hæc duo tamen conciliare oportet, profunditatem & perſpicuitatem; nàm perſpicuitate maximè opus habet Doctor profundus.

Quartus. PERSPICUITAS. Quid requirat.

Quartus ergò novæ Theologiæ caracter ſit Perſpicuitas. Eſt autem ferè Perſpicuitas in rectâ Methodo; & recta Methodus, ut nobis quidem videtur, hæc eſt. In Quæſtionibus quidem Juris, præmittitur exacta definitio terminorum, conſtituitur verus quæſtionis ſtatus, quæſtio deciditur, pars deciſa ſtabilitur, objectionibus reſpondetur. In Quæſtionibus verò Facti, Factum breviter exponitur, quid in eo contro-

versum sit designatur, definitur controversia, definitio probatur authoritatibus & conjecturis; quid contrà pugnat dissolvitur. Sed præter Methodum illam generalem omnium facillimam, Theologiæ nostræ magnam lucem dabit. 1°. Quòd in omni re tractandâ, naturalem ordinem sequimur. 2°. Quòd in rebus implexis & confusis, exactè dividimus. 3°. Quòd æquivocationem, & ambiguitatem omnem ubicumquè occurrat, sollicitè vitamus. 4°. Quòd in Elocutione terminis utimur claris, & quoad fieri potest, vivas splendidasque rerum ideas excitantibus. 5°. Quòd ea quæ subtilia sunt, & penè insensibilia, per familiares & populares similitudines, sensibilia facimus. 6°. Quòd ferè in arduis gradus quosdam disponimus, seu veritates quasdam alias ex aliis nexas, quibus sensim & sine labore, ad summum difficultatis apicem ascenditur. 7°. Quòd in quæstione quâlibet, ad unum ferè principium omnia revocamus. 8°. Quòd medium tenemus brevitatem inter & prolixitatem; utraque enim, si nimia est, claritati nocet.


Quintus. GRAVITAS ET MAIESTAS. Quid postulet.


Quintus novæ Theologiæ caracter esse debet Gravitas, & Majestas. Quo caractere insignis erit. 1°. Si non vana sectetur, sed gravia semper & seria agitet. 2°. Si non ad aliena leviter excurrat, sed tota moretur in suis. 3°. Si memor gradus & ordinis sui, ad humana & Philosophica non descendat, ea Philosophiæ ancillulæ suæ relinquens. 4°. Si maturè & consideratè, in Judicio ferendo procedat. 5°. Si rei cuilibet, suum probabilitatis & certitudinis gradum, sapienter tribuat. 6°. Si non nisi

divinè, scripturæ scilicet Conciliorum, & Patrum verbis loquatur.

Sextus. AMOENITAS. Quomodo habeatur.

Sextus Theologiæ novæ caracter est Amœnitas. Barbaram enim, asperamque Theologiam nolumus esse, sed amœnam & suavem, quæ misceat *utile dulci.* Amœnam verò fecerit 1°. species ipsa, & dignitas rerum per se placentium; 2°. ordinata varietas; in ordine enim pulchritudo est; 3°. Præclarè dicta & cogitata Patrum, toti operi identidem aspersa; 4°. Speciosæ quædam & splendidæ rerum imagines, pro loco & tempore dispensatæ; 5°. Elegans forma dicendi, citra affectationem & mollitiem 6°. Historiæ Ecclesiasticæ suavissima societas.; 7°. Demùm nescio quis gratiæ sapor inimitabilis, toti operi affusus. Hi sunt caracteres, quos si fortè haberet Theologia nostra, opus foret æternitate dignum; quale futurum esse olim præsagiebat, societatis nostræ præpositus Generalis Joannes Paulus Oliva, Vir ille magnus & toto litteratorum orbe famosus, in litteris ad nos datis de Ideâ Theologiæ nostræ. Sic enim loquitur. *Opus æternitate dignum vestra Reverentia molitur, quod nobis probatur quàm maximè; ac Deum precamur, ut necessarias ad illud vires suppeditet, ut indè multi solidam doctrinam hauriant.* Romæ 16. Febr. An. 1677.





DISTRIBUTIO
MATERIÆ THEOLOGICÆ.

SAnctum Thomam Doctorem Angelicum, ut in cæteris, ità in hoc ferè sequuti; tripartitam facimus novam hanc Theologiam, pro triplici consideratione Dei; hoc tamen discrimine, quòd dignitatis, & naturæ ordinem paulò exactiùs sequimur, ut potè faciliorem, & Doctrinæ Christianæ tradendæ magis accommodatum. Quia igitur ordine naturæ, & dignitatis occurrit. 1°. Deus in se. 2°. Deus in Christo 3°. Deus in creaturâ. Prima pars Theologiæ novæ Deum in se. Altera Deum in Christo. Tertia Deum in creaturâ considerabit; instituens, ut suprà dixi, juxtà formam sibi propriam & essentialem, duplicem seriem quæstionum, unam Quæstionum Juris seu scholasticarum, Alteram Quæstionum Facti seu Historicarum.

Et prima quidem series, in Tomos duodecim distribuetur hoc ordine.

Agmen ducet Tomus unus Præambulus & singularis, reliquis omnibus facem veluti præferens; quem *Organum Novæ Theologiæ* inscribimus; propterea quòd locos, ut appellant, Theologicos, & veritates fundamentales Christianæ Theologiæ præambulas complectens, idoneum instrumentum erit Theologiæ Christianæ, seu tradendæ, seu addiscendæ.

Tomum præambulum, excipiet prima pars

In distributione materiæ Theologicæ sequimur ferè ordinem naturæ & dignitatis.

Tripartita erit Theologia nova pro triplici consideratione Dei.

Prima pars Deum in se.

Secunda Deum in Christo.

Tertia Deum in creatura contemplabitur.

Procedet autem tota in duplici serie quæstionum.

Prima series quæstionum quæ series est quæstionum juris.

Theologiæ novæ, de Deo in se. In quâ scilicet consideratur, Deus in se unus, & trinus; tùm absolutè, & præscindendo à divinis personis; tùm respectivè ad personas divinas, & altissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium.

In tomos duodecim distributa.

Primam partem sequetur altera. In quâ consideratur Deus in Christo, est enim Christus *primogenitus antè omnem creaturam*, & decretum prædestinativum Christi, in serie decretorum divinorum, primum locum tenet. Sed quia Mater à Filio, Maria à Christo disjungenda non est, Deum in Christo, & Deum in Mariâ, uno eodemque Tomo sociabimus.

Tertia pars, quæ Deum in creaturâ considerat, in Tomos plures dividetur, ut ferè solet arbor, ab unâ radice simplici, aut ab uno trunco, in plures ramos dispergi: nam Deus in creaturâ spectari potest, secundùm ordinem Naturæ, secundùm ordinem Gratiæ, & secundùm ordinem Gloriæ.

Ordini naturæ, duo Tomi destinantur. Unus Deum Creatorem contemplabitur, in creaturâ triplici; Deus enim, ut docet Concilium Lateranense, sub Innocentio. 3. c. 1. *Creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, suâ omnipotenti virtute, simul ab initio, utramque de nihilo condidit creaturam, angelicam & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore & spiritu constantem.* Hîc ergò primùm disserendum erit de naturâ Angelicâ; nàm hæc cætera omnia quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit: deindè de opere sex dierum. Postremò de creatione hominis, & statu multiplici naturæ humanæ; in cujus consideratione, homini Theologo præcipuè immorandum

immorandum eſt. Alter Tomus Deum contemplabitur directorem hominis, ſeu per legem, Regulam objectivam & remotam actionum humanarum, ſeu per ipſam hominis conſcientiam, Regulam formalem proximam. Tractandum hîc erit, de lege, de conſcientiâ, & de actionibus humanis, per legem & conſcientiam regulandis.

Ordini gratiæ deſtinantur Tomi ſex. In primo, apparebit Deus ſanctificator, hominem à peccato juſtificans per gratiam ſuam; ſanctificatio enim & juſtificatio, præter remiſſionem peccatorum, multiplex gratiæ donum importat. Agendum hîc erit de peccatis, & gratiâ. In duobus tomis ſequentibus, apparebit Dominus Deus virtutum. Agetur in uno, de virtutibus divinis, ſeu Theologicis: ſunt autem juxtà Apoſtolum, *Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Agetur *Prima ad*
in altero, de virtutibus moralibus, quibus fit, *Cor. c. 13.*
per gratiam Dei Salvatoris noſtri; ut ſobriè, juſtè *Epiſt. ad*
& pie vivamus in hoc ſæculo, Officia noſtra om- *Titum c. 2.*
nia implentes, ergà Deum, ergà nosmetipſos, ergà proximum. Reliqui tres tomi occupabuntur, conſideratione Sacramentorum novæ legis, quæ ſunt fontes ſalvatoris, & inſtrumenta gratiæ. Primus poſt tradita principia generalia Sacramentorum, tria Sacramenta explicabit, quæ ad ſtatum integritatis ſervandum pertinent, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem & Euchariſtiam. Secundus in duobus Sacramentis inſiſtet, Pœnitentiâ & Extremâ-Unctione; quibus Sacramentis ſtatus integritatis reparatur. Tertius duo poſtrema ſacramenta perſequetur, Ordinem & Matrimonium, quæ ſpectant bonum communitatis. In ordine autem, de Eccleſiaſticâ

Hierarchiâ, de Beneficiis, Censuris Ecclesiasticis, commodè disputabitur.

Ordini Gloriæ sufficiet unus tomus, in quo Deus representabitur glorificator bonorum, & malorum vindex. In eo nimirum agetur, de æternâ beatitudine Electorum & Reproborum æternâ damnatione. Atque ità prima series Quæstionum Theologicarum claudetur.

In distributione autem istâ Materiæ Theologicæ, hoc observavimus: ut tractatibus Theologicis, qui in scholis dictantur, Tomi aliquot nostri respondeant; quò scilicet Theologia nova, Alumnorum nostrorum usui meliùs accommodetur. Quòd si numerentur Tomi plures, quàm dictari soleant Tractatus, neminem tamen deterrere debet ista Tomorum multitudo, aut nobis suspicionem facere prolixitatis; quia nimirùm, præter Theologiam speculativam, moralem quoque & practicam, serie nostrâ comprehendimus. Nam nos, si Deus dederit, inter jejunam obscuramque brevitatem, & diffusam fastidiosamque prolixitatem, medium tenentes, nec ità breves erimus, ut nihil dicamus, aut dicendo aliquid, non intelligamur; nec ità prolixi, ut vel pauca dicamus pluribus, vel nimis multa dicendo, lectorem obruamus.

Altera verò series, quæ series est quæstionum facti, in sex Tomos.

Altera series Quæstionum Theologicarum, quæ series Quæstionum facti est, sex omninò tomis definietur: paucioribus, ut vides, quàm series Quæstionum Juris; quia non cuilibet Quæstioni Juris, respondet sua quæstio Facti: multa enim sunt Theologica dogmata, de quibus nulla, aut levis admodùm controversia fuit. In hâc autem serie disponendâ, non ordinem temporis sequemur, ut Annalistæ faciunt,

non ordinem naturæ, aut dignitatis, ut ferè sequuti sumus, in serie Quæstionum Juris; Sed ordinem relationis, eum scilicet quem habent inter se Quæstiones Facti, relativè ad Quæstiones Juris, quarum sunt veluti appendices.

Primus igitur Tomus fundamentalis erit, Organo Theologiæ respondens; ubi tractabuntur quæstiones Facti generales, de Atheïsmo, Polytheismo, Deismo, Judaïsmo, Mahumetismo, Christianismo, de Scripturâ, Traditione; Conciliis, Pontificibus, & si quæ aliæ annexæ sunt, quæstionibus Juris generalibus, in Organo Theologiæ tractatis. Secundus Tomus respondebit primæ parti de Deo in se; & habebit gravissimas Facti controversias, de Deo Uno & Trino. Tertius Tomus respondebit secundæ parti, de Deo in Christo, & celeberrimas, quæ de Christo sunt, Facti Quæstiones complectetur. Tres Tomi sequentes, tertiæ parti de Deo in creaturâ respondebunt. Unus quæstiones Facti, ad ordinem naturæ spectantes expediet. Alter quæstiones omnes facti Sacramentales continebit: postremus reliquas omnes colliget, sivè ad ordinem Gratiæ, sivè ad ordinem Gloriæ pertineant.

Accedet pro complemento scientiæ Religionis, summa scripturæ dialectico more tractatæ, duobus tomis comprehensa.

Sed ne quid, ad universam Religionis scientiam desideretur; quæstionibus Juris & quæstionibus Facti, pro complemento accedet summa quædam scripturæ, dialectico more tractatæ; quæ summa, quidquid in scripturâ difficile, ac præcipuum est, per selectas Theses digestum, & ex patrum sensu disputatum complectetur: observavi enim longo usu, nihil ferè teneri meliùs, quàm quod acrius dispu-

tatum fuit ; quo modo nullius boni possessio, firmior esse solet ; quàm quod post longam litem , contentiosè nobis adjudicatur. Tota ista res duobus tomis conficietur. Unus erit pro Testamento Ueteri. Alter pro Novo ; qui si prioribus addantur, viginti omninò tomis, universam scientiam Religionis comprehensam habebimus.

Circà quam distributionem, tria supersunt quæ monere velim. Primùm est. Quæstiones Juris, à quæstionibus facti, ità nos secernere ; ut tamen , in quæstionibus juris tractandis , aliquid interdùm facti se immisceat, & vicissim, in quæstionibus facti, aliquid juris : sunt enim duæ istæ series quæstionum, instar gentium finitimarum , quæ intrà suos fines non ità se continent, ut non una in alteram aliquandò excurrat ; aut duorum instar fluminum , eodem alveo currentium, quæ se non modò contingunt, sed aquas interdùm suas permiscent. Ista igitur divisio quæstionum eò solùm valebit, ut in serie quæstionum Juris , nullam facti quæstionem, & in serie quæstionum facti, nullam Juris quæstionem ex professo tractemus. Alterum est. Facturum me, ut Theologia hæc nova, non grandioribus voluminibus diffusa, ad stuporem magis aut terrorem, quàm ad usum orbis Litteratorum, sed minoribus coacta tomis, in lucem prodeat, quò possit esse ad manum, & facilè circumferri. Tertiùm est. Si Deus dederit, opus absolvere, tùm verò permissurum me, ut tomi singuli, ubi per ora & manus eruditorum dispersi, satis discurrerint ; in unum corpus colligantur, & in Bibliothecis pro suo jure quiescant.



ORGANUM NOVÆ THEOLOGIÆ CUM HISTORIA SOCIATÆ.

TOMUS PRÆAMBULARIS ET SINGULARIS.

ORGANUM Theologiæ, eſt quædam in Theologiam introductio, ſeu generale inſtrumentum; quo Theophilus quiſquis ille eſt, diſponitur & præparatur, ad ſolidam Theologiæ cognitionem obtinendam. Nam in eo traduntur prima principia Religionis, & quaſi fundamenta jaciuntur, quibus Chriſtiana Theologia innititur, & ſine quibus ruere totam neceſſe eſt. Opus planè ſingulare, & imprimis utile; Tùm, ad quoſcumque Infideles, Atheos, Polytheos, Deiſtas, Mahumetanos in Chriſtianiſmum vocandos; tùm, ad Hæreticos in ſinum Eccleſiæ, ubi verus eſt Chriſtianiſmus, reducendos; tùm ad firmandos in ſuâ Religione veros fideles; tùm deniquè, ad parvulos noſtros, ſeu *Sacræ Doctrinæ novitios* ut eos appellat Sanctus Thomas, ſenſim & gradatim in arcana Theologiæ introducendos: eſt enim Organum hoc, velut quoddam Tyrocinium,

In prologo 1. part. Sum. Theol.

& vestibulum Theologiæ, in quo non pigebit hærere aliquamdiu, antè ingressum. Nam cum Theologiæ solemne sit, tùm ad dogmata sua stabilienda, tùm ad convellenda extranea; argumenta promere ex Scripturâ, ex Traditione, ex Patribus, ex sensu Ecclesiæ, imò interdùm ex ratione humanâ & naturali; cavendum est Theophilo, ne ad Theologica dogmata antè progrediatur, quàm bene lustraverit ista omnia Theologicorum dogmatum fundamenta; satisne solida sint, ut in eis acquiescere prudenter possit.

Organum istud Theologiæ, novem omninò quæstiones complectetur, Theologiæ præambulas & fundamentales. 1°. Erit de Existentiâ Dei, quam Theologia non propriè demonstrat, sed contrà Atheos demonstratam supponit. 2°. De Unitate, seu Singularitate Dei, quæ ex solis naturæ principiis, contrà Polytheos decidenda est. 3°. De Summâ Dei loquentis Authoritate, in quâ contrà Libertinos fides nostra fundatur. 4°. De Divinitate Doctrinæ Christi, per quem Deus plenè locutus est, repetens quæ antè dixerat per Prophetas, & nova superaddens. 5°. De verâ Ecclesiâ Christi, quatenùs divinæ ipsius Doctrinæ fidelissima custos est. 6°. De Scripturâ simul, & Traditione divinâ: in utrâque enim continetur Doctrina Christi: utriusque Ecclesia custos est; in utrâque jus Theologicum consistit; ex utrâque quæstiones fidei definiuntur. 7°. De viâ duplici veræ Scripturæ, & Traditionis cognoscendæ: una est unanimis sensus Patrum. Altera, sensus Ecclesiæ, seu per orbem diffusæ, seu in Concilio

congregatæ, seu in suo capite adunatæ. 8°. De censurâ Theologicâ, quâ Doctrina aliqua fidei opposita notari solet. 9°. De Ratione & Authoritate humanâ, quatenùs in Theologiâ locum habet; nos enim Christiani Theologi, ità captivamus intellectum *in obsequium fidei*, ut *rationabile* sit *obsequium nostrum.*



QUÆSTIO PRIMA.

De existentia Dei.

AN sit Deus, quæstio est, quæ primâ specie, & inutilis, & impia videri possit: inutilis quidem; nam quæ aperta sunt, & in manifesto posita, de his nullam habere quæstionem sapienter monet Clemens Alexandrinus, *velut cum dies est, utrùm dies sit*; Divinitas autèm in manifesto est: impia verò; quia videtur impium, de illo quæstionem movere, de quo impium est dubitare: est autem impium dubitare de existentiâ Dei; adeò ut apud ipsos Mahumetanos, Sancti Thomæ Doctoris Angelici Summa Theologica publicè combusta dicatur, quòd primæ partis secunda quæstio, hunc titulum præferat, *An Deus sit.* Re tamen ipsâ, quæstio de existentiâ Dei, non modò utilis & necessaria est, sed etiàm à Christianis Theologis piè admodum Instituta. Utilis quidem, & necessaria est propter Atheos, qui Deum negantes existere, *suscipiunt impietatis genus omnium maximum*, Ut loquitur Philo Judæus; à quo

De existentiâ Dei disputari potest.

Lib. 5. Strom.

Utiliter & piè.

1. De Monarch.

impietatis genere, omni opere revocandi ſunt. Piè verò à Chriſtianis Theologis inſtituitur, quia in illis non ſupponit dubitationem ullam propriè dictam, ſeu hæſitationem ex timore errandi venientem, ſed dubitationem dumtaxat practicam, impropriè dictam, hoc eſt, piam quandam voluntatem inquirendi argumenta exiſtentiæ Dei, ex affectu divinitatis omnibus demonſtrandæ. Quamvis enim, & impium, & fortè impoſſibile ſit, dubitare propriè de omnibus, ſapiens tamen præceptum eſt, dubitare practicè, ſeu perindè examinare momenta ſingulorum, ac ſi reipsâ de ſingulis dubitaretur. Quærunt ergò Chriſtiani Theologi, *An Deus ſit*, non quòd ipſi dubitent an ſit, ſed ut aliorum dubitationem, aut tollant, aut præveniant: nec tàm quærunt, an ſit Deus, quàm quæ ſit via demonſtrandæ illius exiſtentiæ. Quæſtionem totam reduco ad duo capita. Primùm eſt. An Exiſtentia Dei ſit ſaltem mediatè evidens, & per diſcurſum demonſtrabilis. Alterum. An Exiſtentia Dei, etiàm immediatè evidens ſit, & per ſe nota.

CAPUT PRIMUM.

An exiſtentia Dei ſit ſaltem mediatè evidens, & per diſcurſum demonſtrabilis.

Termini quæſtionis explicantur.

PRæmitto 1°. Dei nomine intelligi, primum aliquid, neceſſarium in exiſtendo, perfectiſſimè intelligens, & ità independens à cæ-

teris omnibus, ut ab eo cætera omnia dependeant. Hæc est Dei notio popularis, in quâ omnes ferè homines conveniunt: nam *quære*, inquit Tertullianus, *quid sit Deus, & non aliter invenies; quantùm humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod & omnium conscientia agnoscet; Deum, summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine, &c.* Hanc Dei notionem admittunt ipsi Athei, Deum eatenùs negantes, quatenùs negant esse aliquid summum magnum. In hâc ergò notione nobis sistendum est; nec omninò curandum, si qui fortè institutionem vocum ignorantes, alias quasdam extraneas, & singulares ideas supponant.

Quid nomine Dei intelligitur.

Lib. 1. *contra Marcion. c.* 4.

Præmitto 2°. Objectum denominari evidens, ab evidentiâ actûs, per quem attingitur. Est autem evidentiâ actûs, adhæsio quædam firma ad objectum, orta ex clarâ perceptione objecti. Dicitur ergò objectum evidens, quod attingitur per actum evidentem. Dicitur verò evidens mediatè, cui intellectus firmiter & clarè adhæret, propter medium, à quo lucem accipit, & in quo apparet. Ità conclusiones ex primis & immediatis principiis deductæ, evidentes sunt mediatè; quia illis firmiter, & clarè assentitur intellectus, propter prima principia à quibus lucem accipiunt, & in quibus apparent. Hinc sequitur, objectum mediatè evidens, esse objectum demonstrabile: dicitur enim demonstrabile, id quod demonstrari potest, seu evidenter ex alio ostendi. Omnis autem demonstratio reduci solet ad duas species. Ad ***demonstrationem à priori***, ut

Quid sit objectum evidens.

Quid evidens mediatè,

Aut demonstrabile.

Demonstratio quotuplex.

loquuntur, & ad *demonstrationem à posteriori*: quia nimirùm, medium in quo apparet objectum demonstrabile, vel est causa objecti demonstrabilis, & aliquid illo simpliciter priùs, vel non est causa objecti demonstrabilis, nec aliquid illo priùs simpliciter: nam si causa est, fundat *demonstrationem à priori*; si causa non est, sed effectus, vel aliquid non simpliciter prius, fundat *demonstrationem à posteriori*, ut appellant, quæ interdùm commodiùs appellaretur, *demonstratio à simultaneo*: quandò scilicet, medium cum objecto demonstrabili connexum, nec prius est, nec posterius, sed simul naturâ cum objecto demonstrabili. Cæterùm tota vis demonstrationis in eo est, quòd vel ex positione medii inferatur evidenter existentia objecti cum medio connexi, vel ex supposita negatione objecti demonstrabilis, ostendatur sequi aliquid impossibile, aut manifestè falsum. His ita præmissis pro terminorum explicatione, sit.

In quo sit vis demonstrationis.

Quæstio diciditur.

Thesis unica. Existentia Dei est evidens saltem mediatè, & per discursum demonstrabilis; idque tantâ abundantiâ claritatis, ut in mediâ luce, & quod ait Psalmista, in ipso sole videatur Deus posuisse tabernaculum suum. Ità omnes sapientes, tùm Gentiles, tùm Christiani, ultrò profitentes, cognitionem Dei esse unicuique obviam, & cum magnâ luce, in omnium oculos obtrudentem se, & velut insilientem. Nam *Deum existere*, ait Tullius, *qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit.* Lactantius verò noster, *illos*, inquit, *qui nullum*

Decisio congruit communi sensui sapientum.

omninò Deum esse dixerunt, non modo Philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim, qui brutis simillimi, ex solo corpore constiterunt, nihil animo cernentes. Sed ut constet sensus iste sapientum, & clarè omni homini pateat, quàm sit evidens & demonstrabilis existentia Dei; tentare placet, & experiri demonstrationem Dei multiplicem: non enim melius apparere potest rei demonstrabilitas, quàm ipsâ demonstratione. Priùs tamen quàm ultrà progrediar, moneo in demonstratione Dei peccari multipliciter. Primò enim peccatur nimiâ, nec satis solidâ subtilitate aliquorum, qui sensibiles paralogismos faciunt, aut demonstrationes afferunt adeò subtiles, ut omnem intelligentiam fugiant: ità contrà causam Dei, quâ nulla melior est, præjudicium sæpè fit inepta ratio defensionis. Secundò. Peccatur ab iis, qui veras solidasque demonstrationes, libidine contradicendi rejiciunt, & labefactare student, homines in hoc nati, ut evellant & destruant, nihil ædificent, aut plantent: Atheorum causam agunt, ingenia hæc in speciem fortia; nec satis attendunt, sacrum esse debere & inviolatum, quidquid Deo servit, & militat. Tertiò. Peccatur nimiâ quâdam causæ diffidentiâ: sunt enim, qui solis fidei principiis agere volunt, quasi ad demonstrationem Dei, lumen naturale non sufficeret; parùm considerantes, quod ait Tertullianus, conscientiam Dei *dotem esse animæ à principio*, & intrà naturæ terminos contineri; nec apud Atheos, quibus cum disputamus, fidei principia quidquam valere. Ergò, ne in ea vitia incurra-

In demonstratione Dei peccatur.

Primò nimiâ subtilitate.

Secundò libidine contradicendi.

Tertiò nimiâ causæ diffidentiâ.

mus, quæ reprehendimus; nec tricabimur ipsi, nec in aliorum tricis multùm immorabimur, sed sincerè, & solidè Deum demonstrabimus; idque ex solo lumine naturali: Atheis scilicet, hominibus divinæ linguæ ignaris, fidei loco, delegantes rationem fidei ancillam, intelligibilius, & quasi vernaculè loquentem. Nec una tantùm Dei demonstratio, sed mundus, ut ita dicam, demonstrationum præstò erit, & contra *insensatos*, hoc est Atheos, triplex pro Deo Mundus pugnabit, Mundus Intellectualis, Mundus Physicus, & Mundus Moralis, Mundum Intellectualem appello, complexionem intellectualium idearum, quas invicem comparando quisque intelligens, Deum statim inveniet, etiàm sine attentione ad actualem rerum existentiam. Mundus Physicus, est universitas rerum existentium, quàm universitatem quicumque intueri velit, & philosophari, Deum facilè, & sine ullo negotio intelliget. Mundus denique Moralis, est complexio principiorum moralium, seu ad mores hominum, & rectam vitæ humanæ Institutionem pertinentium; nam ea principia manifestum est, sine Deo stare non posse. Triplicem igitur instituo ordinem demonstrationum. Aliæ ex Mundo Intellectuali, aliæ ex Mundo Physico, aliæ ex Mundo Morali veniunt.

Haberi potest demonstratio Dei multiplex.

Nam pro Deo pugnat triplex quasi mundus. Intellectualis.

Physicus.

Moralis.

Pro mundo illo triplici.

Triplex instituitur ordo demonstrationum Dei.



ARTICULUS PRIMUS.

Demonſtrationes ex mundo intellectuali petitæ.

POnamus vivere hominem ſolum, & à conſpectu mundi iſtius viſibilis longè poſitum; attendat ille in ſuâ ſolitudine, ad ideas ſuas mentales, eaſque invicem comparet; in iſtâ comparatione Deum protinùs inveniet. Nec multis Ideis opus habebit. Sufficient, Idea Entis Perfectiſſimi, Idea Neceſſarii, & Idea Contingentis. In pauculis illis Ideis, totum negotium erit, quòt enim fient illarum idearum comparationes, aut contemplationes, tòt ferè occurrent clariſſimæ demonſtrationes Dei. Proſpiciamus ergò ſolitarium noſtrum, ex Ideis ſuis ſubtiliter, & ſolidè ratiocinantem; eique, ſi fieri poteſt, demonſtrationes aliquas ſuſfuremur.

Primus ordo demonſtrationum ex mundo intellectuali. Sive ex aliquot ideis intellectualibus inter ſe comparatis.

§. I.

Prima demonſtratio exiſtentiæ Dei ex ideâ entis perfectiſſimi.

DEus eſt ens perfectiſſimum, ergò exiſtit. Antecedens probandum non eſt, continet enim ſolam Dei notionem, de quâ ipſi Athei conveniunt. Conſequentia verò ſic demonſtratur. Ens perfectiſſimum; ſi poſſibile eſt, exiſtit; Atqui Ens perfectiſſimum poſſibile eſt. Ergò exiſtit. Major propoſitio, eſt evidens: nam ſi non exiſteret Ens perfectiſſimum, jam

Prima demonſtratio ex ideâ entis perfectiſſimi.

perfectiſſimum non eſſet, exiſtere enim melius eſt, quàm non exiſtere, Ergò perfectiſſimum ſimùl eſſet, & non perfectiſſimum, ac proindè chimericum: igitur Ens perfectiſſimum, ſi poſſibile eſt, neceſſariò exiſtit. Atqui manifeſtè poſſibile eſt Ens perfectiſſimum: nam Ens perfectiſſimum eſt habens omnem perfectionem poſſibilem, quod autem habet omnem perfectionem poſſibilem, ipſum poſſibile eſt; perfectio enim poſſibilis, haberi non poteſt, ab aliquo impoſſibili, ut ex terminis patet. Confirmatur 1°. Ens perfectiſſimum eſt aliquid, quo nihil melius eſſe poteſt, quocumque autem impoſſibili; poteſt eſſe aliquid melius; nam poſſibile melius eſt impoſſibili. Ergò Ens perfectiſſimum non eſt aliquid impoſſibile. Confirmatur 2°. Ens perfectiſſimum excludit à ſe omnem imperfectionem, impoſſibilitas autèm, ſeu repugnantia ad exiſtendum, ſumma quædam imperfectio eſt; eſt enim ſumma impotentia habendæ cujuſcumque perfectionis. Ergò ens perfectiſſimum excludit à ſe impoſſibilitatem. Confirmatur 3°. Per Ideam impoſſibilis, deſtruitur ideâ perfectiſſimi; nam clarè apparet, quod eſt impoſſibile, non eſſe perfectiſſimum. Ergò perfectiſſimum non eſt impoſſibile.

Objicies. Non rectè infertur actualis exiſtentia rei, præcisè ex ideâ mentali illius, Ergò ſolitarius noſter, idearum ſuarum contemplator, ex ideâ quàm habet Entis perfectiſſimi, non rectè demonſtrat actualem illius exiſtentiam. Reſpondeo. Diſtinguo Antecedens. Non rectè infertur actualis exiſtentia

rei, ex ideâ illius mentali, si in ideâ mentali, non videtur actualis, & necessaria rei existentia, Concedo. Si in ideâ mentali videtur actualis, & necessaria existentia rei, Nego Antecedens, & Consequentiam. Dico enim, in ideâ mentali entis perfectissimi, clarè videri actualem & necessariam existentiam subjecti sui; quia si Ens perfectissimum, actu & necessariò non existeret, jam perfectissimum non esset. Ergò idea perfectissimi, importat actualem & necessariam existentiam subjecti sui. Fateor quidèm, ex ideis non rectè inferri, saltèm communiter, existentiam rerum; quia sunt ferè ideæ rerum imperfectarum, in quibus non videtur existentia actualis, & necessaria ipsarum rerum: sed idea Entis perfectissimi, hoc habet singulare, ut in eâ clarè appareat actualis & necessaria existentia subjecti sui. Ergò ex ideâ Entis perfectissimi, rectè demonstrat solitarius noster, existere actu & necessariò Ens perfectissimum. Demonstratio autem tota fundatur in duabus regulis; quas ne Athei quidem negare possint, nisi negare velint prima ipsa principia, quæcumque evidentissima sunt. Prima autem regula est. Quoties in ideâ unius, clarè & necessariò includitur ideâ alterius, toties subjectum unius, convenit subjecto alterius. Ergò cum in ideâ Entis perfectissimi, clarè & necessariò includatur ideâ existentis, Ens perfectissimum debet esse actu & necessario existens. Altera regula est. Quoties ab ideâ unius, clarè & necessariò excluditur idea alterius, toties subjectum unius, disconvenit subjecto alterius. Ergò cum idea

Actualis existentia rei interdum rectè infertur ex ideâ mentali illius.

Interdum verò non rectè infertur.

perfectiſſimi ; clarè & neceſſariò excludat ideam impoſſibilis, perfectiſſimum non eſt impoſſibile.

Ex ideâ Entis contingentis non rectè infertur illius exiſtentia.

Inſtabis 1°. Idea quam habemus, Angelici Doctoris meditantis Summam Theologicam, includit ideam Doctoris Angelici exiſtentis ; non enim poteſt eſſe Doctor Angelicus meditans Summam Theologicam, niſi ſit idem exiſtens : atqui ex ideâ quam habemus, Doctoris Angelici Summam Theologicam meditantis, non rectè infertur exiſtentia Doctoris Angelici ; eſt enim actu in mente noſtrâ idea illa, neque tamen exiſtit actu Doctor Angelicus. Ergò quamvis in ideâ entis perfectiſſimi, includatur idea exiſtentis, non rectè infertur exiſtere Ens perfectiſſimum. Reſpondeo nego Conſequentiam, & paritatem. In ideâ enim quam habemus, Doctoris Angelici, Summam Theologicam meditantis, includitur idea Angelici Doctoris, exiſtentis contingenter, & conditionatè tantùm, ſeu ex ſuppoſitione quòd ſit cogitans ; quatenùs non poteſt eſſe cogitans, quin ſit exiſtens : ſed non includitur idea exiſtentis abſolutè & neceſſariò, quia Doctor Angelicus non eſt abſolutè & neceſſariò cogitans. At verò, in ideâ entis perfectiſſimi, importatur exiſtentia, non contingens, aut conditionata tantùm, ſed abſoluta & neceſſaria : nam ſi Ens perfectiſſimum, non exiſteret abſolutè & neceſſariò, jam perfectiſſimum non eſſet ; quia melius eſt, exiſtere abſolutè & neceſſariò, quàm exiſtere contingenter, & conditionatè tantùm.

Ex ideâ

Inſtabis 2°. Idea creaturæ perfectiſſimæ, includit

includit possibilitatem, neque tamen ex tali Ideâ, rectè infertur possibilem esse creaturam perfectissimam; nam ferè creditur repugnare, aut certè dubitatur, an repugnet. Ergò quamvis in ideâ perfectissimi, includatur possibilitas, ex tali ideâ non rectè infertur, possibile esse Ens perfectissimum. Respondeo. Magnum discrimen est, inter ideam creaturæ perfectissimæ, & ideam Entis perfectissimi. Nam idea creaturæ perfectissimæ, non includit simplicem possibilitatem existendi, sed possibilitatem aliquam cum repugnantiâ conjunctam; creatura enim perfectissima importat terminos pugnantes, aut certè dubitatur an importet: nam creatura perfectissima, est creatura quâ Deus non potest facere perfectiorem, creatura autem quâ Deus non potest facere perfectiorem, terminos pugnantes includit; quia quocumque dato, potest Deus facere aliquid perfectius, ut probabile saltèm est, ne dicam certum (neque enim hîc quæstionem fieri velim, de possibilitate creaturæ perfectissimæ) At verò idea perfectissimi, possibilitatem simplicem includit, sine ullâ repugnantiâ ad existendum. Ratio ulterior est, quia idea creaturæ perfectissimæ, complexa est ex duobus terminis, de quibus dubitari potest, an rectè cohæreant: dubitari enim potest, an creatum rectè cohæreat, cum perfectissimo. Sed idea Entis perfectissimi, evidenter importat terminos benè cohærentes: est enim evidens, rationem entis rectè cohærere, cum ratione perfectissimi, quia, quod est perfectissimum, est maximè Ens, seu perfectissimam habet rationem Entis.

creaturæ perfectissimæ non rectè infertur entis possibilitas.

Idea entis perfectissimi terminos pugnantes nullos habet.

Instabis 3°. Idea perfectissimi terminos habet pugnantes; sunt enim perfectiones aliquæ invicem pugnantes, ut, perfectio corporis, perfectio spiritus, Immutabilitas & libertas &c. quas tamen perfectiones habere debet Ens perfectissimum; nam eas si non haberet, perfectissimum non esset. Respondeo 1°. Ens perfectissimum habet quidem perfectiones omnes; quæ meliores sunt perfectionibus oppositis, sed non formaliter habet eas perfectiones, quæ pugnant cum melioribus se, alioquin perfectissimum non esset. Quænam autem sint ejusmodi perfectiones, non est hujus loci definire. Respondeo 2°. Quæcumque appareat repugnantia perfectionum divinarum, vel facilem solutionem habet, ut videbimus infrà; cum Dei mysteria, suis quæque locis conciliare conabimur, vel si qua nobis appareat insolubilis repugnantia, evidens est, eam in præsenti materiâ, nihil valere; quia ex ipsis terminis notum est, si existat Deus, esse illum ità perfectum, ut omnem superet intelligentiam, ac proindè multa habere, in quibus hæsitet humanus intellectus: quod enim humano intellectu comprehendi potest, Deus non est. Hinc sequitur. Quidquid objiciunt Athei in speciem repugnans, Dei causæ favere magis, quàm præjudicare, apud quemcumque sapientem. Nam si, ut pulchrè ait Zeno Veronensis, *Deum quodammodo negat, quisquis rationibus humanis metiri conatur*; Certè à contrariò, Deum quodammodo astruit, qui rationibus humanis Deum incomprehensibilem, & incommensurabilem repre-

ſentat. Deum ergò aſtruunt Athei, cum maximè deſtruere volunt.

§. II.

Altera Demonſtratio ex ideâ neceſſarii.

ENs neceſſarium in exiſtendo, exiſtit, Deus eſt ens neceſſarium in exiſtendo. Ergò Deus exiſtit. Prima propoſitio patet, omni homini terminos penetranti; nam quidquid non exiſtit, non eſt Ens neceſſarium in exiſtendo: Ergò quod eſt Ens neceſſarium in exiſtendo, exiſtit. Altera verò, eſt ipſe Dei conceptus: Dei enim nomine, ſignificatur Ens aliquod neceſſarium in exiſtendo. Confirmatur 1°. Tàm eſt evidens Deum exiſtere, quàm ſit evidens, non exiſtere chimæram: eſt autem evidens, chimæram non exiſtere; quia per chimæram intelligitur id, quod habet repugnantiam ad exiſtendum, & ex terminis patet, non exiſtere id quod habet repugnantiam ad exiſtendum. Atqui nomine Dei intelligitur id, quod habet ſummam neceſſitatem exiſtendi, Ergò evidens eſt Deum exiſtere; quia tàm eſt evidens, exiſtere id, quod habet ſummam neceſſitatem exiſtendi, quàm ſit evidens non exiſtere, quod habet ſummam repugnantiam ad exiſtendum, Confirmatur 2°. Neceſſitas exiſtendi, eſt magna quædam perfectio; nam & melius eſt, habere exiſtendi neceſſitatem, quàm non habere, & imperfectio eſt, eſſe obnoxium contingentiæ exiſtendi: Atqui perfectio competit alicui ſubjecto poſſibili: nam quod eſt

Secunda Demonſtratio ex ideâ entis neceſſaris.

impossibile, non est capax perfectionis, Ergò necessitas existendi, competit alicui subjecto possibili, seu possibile est aliquod Ens, summam habens necessitatem existendi: Ens autem ejusmodi, Deus est.

Objicies. Ambæ præmissæ non sunt evidentes, nisi in sensu conditionato: nam prima quidèm, importat conditionem possibilitatis, & facit hunc sensum. Ens necessarium in existendo existit, si possibile est. Altera verò, importat conditionem existentiæ, & ità resolvitur, Deus est ens necessarium in existendo, si existit. Quo ferè modo ista propositio, Petrus est homo, importat conditionem existentiæ, & facit hunc sensum. Si existit Petrus, est homo. Atqui ex propositionibus conditionatis, inferri non potest absolutè existentia Dei. Ergò, &c. Respondeo. Ambæ demonstrationis præmissæ evidentes sunt, non tantùm in sensu conditionato, sed etiàm in sensu absoluto. Prima quidem, quia possibilitas non est separabilis à necessitate existendi, sed in ipsâ existendi necessitate includitur; est enim evidens, necessitatem existendi, esse perfectionem aliquam possibilem, quia melius est, habere necessitatem existendi, quàm non habere. Id quod puto, omni homini benè rationali, & terminos intelligenti esse clarissimum. Quare ista propositio, *Ens necessarium in existendo existit*, tàm est evidens in sensu absoluto, quàm sit evidens ista in sensu absoluto, *Quod non potest existere, non existit*, nec magis una importat conditionem possibilitatis, quàm altera importet conditionem re-

Hæc propositio *Ens necessarium in existendo existit*, Evidens est etiam in sensu absoluto.

pugnantiæ : ſicut enim impotentia exiſtendi, eſt formaliter repugnantia ad exiſtendum, ità neceſſitas exiſtendi, eſt formaliter exiſtendi poſſibilitas. Quòd pertinet, ad alteram demonſtrationis præmiſſam. Dico pariter evidentem eſſe in ſenſu abſoluto ; quia exiſtentia non eſt ſeparabilis à neceſſitate exiſtendi ; ſed in illâ includitur, ſicut non exiſtentia includitur in impotentia exiſtendi. Ergò tàm eſt evidens abſolutè, Deum habere neceſſitatem exiſtendi, quàm ſit evidens abſolutè, chimæram non poſſe exiſtere. Hinc apparet magnum diſcrimen, inter propoſitionem noſtram, & propoſitionem in objectione allatam : nam hæc quidém, & aliæ ſimiles, quarum termini contingentes ſunt, important conditionem exiſtentiæ ; quia ſcilicet illorum termini ſeparabiles ſunt ab exiſtentiâ, ſeu poſſunt non exiſtere ; at verò propoſitio noſtra, non importat conditionem exiſtentiæ, quia terminos contingentes non habet, & neceſſitas exiſtendi, non eſt ſeparabilis ab exiſtentiâ.

Et hæc quoque in ſenſu abſoluto evidens eſt *Deus eſt ens neceſſarium in exiſtendo.*

§. III.

Tertia Demonſtratio ex ideâ contingentis.

QUidquid poſſibile eſt, vel eſt contingens, vel neceſſarium ; ſed non omne poſſibile contingens eſt. Ergò eſt aliquod ens neceſſarium. Patet veritas majoris propoſitionis : quidquid enim poſſibile eſt, vel neceſſitatem habet exiſtendi, vel non habet. Si habet, eſt neceſſarium ; ſi non habet, contingens eſt. Minorem autem ſic oſtendo. Ratio contin-

Tertia demonſtratio ex ideâ contingentis.

gentis in eo consistit, quòd res ità possit esse; ut possit etiàm non esse; Atqui non omne possibile ità potest esse, ut possit etiàm non esse: nam si omne possibile potest non esse, supponamus reipsâ non esse, seu nihil esse eorum quæ possibilia sunt; in eâ suppositione, quæ manifestè possibilis est, si omnia possibilia contingentia sint, jam omnia possibilia, erunt impossibilia; impossibile enim est, quod habere esse non potest, sed nihil eorum quæ possibilia sunt, poterit habere esse: nam vel esse haberent à se ipsis, vel ab alio. Non primum, quia nihil potest dare sibi primum esse, alioquin esset, antequàm esset. Non secundum, quia nihil est, à quo primum esse accipiant. Suppositio enim fert, in rerum naturâ nihil omninò esse. Vides ex negatione Entis necessarii, quàm clarè sequatur impossibilitas contingentium. Confirmatur. Omne contingens, indiget accipere esse ab alio, quia non habet à se; sed non omne possibile indiget accipere esse ab alio, est enim origo, & fons omnis contingentis, fons autèm & origo contingentis, non indiget accipere esse ab alio: nam si ab alio; acciperet, vel acciperet contingenter, vel necessariò. Si contingenter, Ergò non est origo omnis contingentis, non enim est origo sui ipsius. Si necessariò, Ergò est ens aliquod necessarium; necessitatem enim habet existendi, quod habet necessitatem communicandi alteri existentiam, non enim potest communicare existentiam, nisi existat, & eâdem necessitate existit, quâ existentiam communicat.

Objicies 1°. Non ſatis apparet, omne contingens debere eſſe ab alio. Quidni enim poſſit eſſe à ſe ipſo? Reſpondeo. De ratione contingentis eſt, ut ſit indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum. Ergò ut exiſtat ens contingens, debet tolli ejus indifferentia, ſeu determinari debet ad exiſtendum: atqui in noſtrâ hypotheſi, nihil erit per quod tollatur indifferentia entis contingentis; non enim tolletur per ipſum contingens, quod indifferens eſt ad exiſtendum, & non exiſtendum; ſed neque tolletur per aliquid aliud, quia hypotheſis noſtra fert, nihil omninò eſſe in rerum naturâ. Ergò non niſi ſtultè dicitur, ens contingens poſſe eſſe à ſe ipſo. Quare ſupereſt, ut ſit aliquod ens neceſſarium, à quò contingentia ſuum eſſe accipiant, & ad exiſtendum determinentur.

De ratione contingentis eſt ut ſit ab alio.

Objicies 2°. Eſto omne contingens eſſe debeat ab alio; nihil tamen neceſsè eſt, ſtatuere certum aliquem fontem omnis contingentis, in ipſis enim contingentibus inveniri poteſt cauſa contingentium: ſi nimirùm ipſa contingentia, ſibi mutuo dent eſſe, & accipiant, juxtà Doctrinam mutuæ cauſalitatis, in Philoſophiâ ſatis communem. Reſpondeo. Dubitatur quidèm apud Philoſophos, an ſit poſſibilis mutua cauſalitas quoad ſecundùm eſſe, ſed nulla eſt probabilis Philoſophia, quæ non rejiciat mutuam cauſalitatem quoad primum eſſe, ſaltèm in genere cauſæ efficientis Phyſicæ. Quia evidens eſt, cauſam efficientem Phyſicam præexiſtere effectui ſuo, ſeu habere aliquod eſſe ante effectum ſuum: Ergò evi-

Omninò neceſſe eſt ſtatuere fontem aliquem omnis contingentis.

dens est causam efficientem Physicam; non accipere primum esse ab effectu suo. Neque nos morabitur Atheus mutuâ illâ causalitate, quam nonnulli agnoscunt, in diverso genere causæ; tùm quia versatur quæstio nostra in genere causæ efficientis, in quo genere nemo Philosophus mutuam causalitatem admittit; tùm quia mutua illa causalitas in diverso etiam genere causæ, tela quædam aranearum est, subtiliùs texta, quàm solidiùs: nam quis telam perrumpens, clarè non videat, existentiam effectus semper, & necessariò præsupponere causam suam Physicam, cujuscumque generis illa sit, seu efficiens, seu materialis; ac proindè non posse dare primum esse causæ suæ, seu efficienti, seu materiali.

Series infinita contingentium captu difficilis.

Objicies 3°. Repugnet mutua causalitas, non repugnat certè infinita series contingentium, in quâ serie nullum sit contingens, quod non habeat esse ab alio contingente. Ergò ex ideâ contingentis, non satis demonstratur ens necessarium, quod sit fons, & origo omnis contingentis. Respondeo. 1°. Nihil opus est, Atheos insequi ad præruptam istam, & caliginosam infinitatem fugientes; est enim desperatorum hominum perfugium, qui ne existentiam Dei admittant, admittere coguntur aliquid longè difficilius existentiâ Dei. Respondeo 2°. Omnium Scholarum principibus visa est olim, hodièque videtur innumeris eorum sequacibus, apertè repugnare infinita series contingentium. Ergò saltèm respectu illorum, ex ideâ contingentis habetur inelu-

Impossibilis.

ctabilis demonſtratio exiſtentiæ Dei. Quæ res nos etiàm movit, ut eam partem in Philoſophiâ ſequeremur : quamvis enim Deo *periculum non ſit ſtatus ſui* (ut loquitur Tertullianus) ſapienti tamen , & zelum Dei habenti , ſeu Philoſopho , ſeu Theologo faciendum eſt ; ut in delectu ſententiarum, eas ſequatur, quæ magis favent cauſæ divinitatis. Reſpondeo 3°. Admiſsâ etiam ſerie infinitâ contingentium , demonſtratio noſtra , quamvis multò minorem habeat vim , retinet tamen ſufficientem. Sic enim argumentor. Series illa infinita contingentium , vel exiſtit neceſſariò , vel contingenter : ſi contingenter , Ergò tota potuit non eſſe , ac proindè tota cauſam habet , per quam producta eſt : ſi neceſſariò exiſtit , Ergò eſt aliquod ens neceſſarium in exiſtendo, quod Atheis non placet. Deindè, vel exiſtit neceſſariò , ſecundùm omnes ſui partes , quod dici non poteſt , alioquin non eſſet ſeries contingentium , ut ſupponitur eſſe : vel exiſtit neceſſariò , ſecundùm aliquas tantùm, eaſque certas & determinatas , quod eſt contra ſuppoſitionem ; ſupponimus enim nullam eſſe ſeriei partem , quæ contingens non ſit. Vel denique exiſtit neceſſariò , ſecundùm aliquas partes disjunctivè & indeterminatè, quod per ſe ridiculum eſt ; eſt enim ridiculum , admittere neceſſitatem disjunctivam entium contingentium, quæ in nullo fundetur. Confirmari poteſt : quia ſi in ſerie infinitâ contingentium , quodlibet accipiat eſſe ab alio , tota ſeries indigebit aliquo alio extra ipſam poſito. Rem demonſtrat vir magnus ſenſibili

Et ſi fortè poſſibilis eſt, neceſſariò cauſam habet extra ſe poſitam.

„ exemplo. Nam ſicut multitudo mendiculo-
„ rum, quorum quilibet mendicare debet ab
„ alio, ità ut nullus ſit, qui pecuniam habeat
„ de ſuo; non eſt ipſa ſibi ſufficiens, & mani-
„ feſtum eſt, fieri non poſſe ſibi ſufficientem,
„ per ſolam multiplicationem mendiculorum ſibi
„ inſufficientium : ità manifeſtum eſt, multitu-
„ dinem entium contingentium, quæ propriè
„ mendicantia ſunt, & ab alio ſuum eſſe ac-
„ cipiunt, ſufficientem non eſſe ſibi ipſi, ne-
„ que fieri poſſe ſufficientem, præcisè per mul-
„ tiplicationem entium mendicantium, & ſibi
„ inſufficientium : quia nimirùm ratio inſuffi-
„ cientis multiplicatur, per additionem nova-
„ rum rerum inſufficientium. Ergò per eam
„ præcisè additionem, tolli non poteſt à col-
„ lectione ratio inſufficientis, ſeu collectio fieri
„ non poteſt, de inſufficienti ſufficiens. Manet ergò tota ſeries contingentium inſufficiens ſibi, ſeu indigens accipere eſſe ab alio, ac proindè neceſſe eſt recurrere ad fontem, & originem omnis contingentis. Certè ſicut pecunia illa precaria, quæ de uno mendiculo tranſiret in alium, non de fundo collectionis mendiculorum, ſed aliundè veniret, ità qualecumque illud eſſe, quod unum contingens alteri tranſmittit, originem non habet, in ſerie contingentium; ſed ex alio quodam fonte derivatur. Verùm hæc fortè ſubtilia nimis, & Metaphyſica : ad Phyſica, & magis ſenſibilia veniamus.

ARTICULUS II.

Demonstrationes existentiæ Dei ex mundo Physico & naturali deductæ.

INterpellemus ergò solitarium nostrum. Jàm satis secum ipse, & cum ideis suis collocutus est : introducamus hominem, in istam rerum sensibilium universitatem, & de contemplatione Idearum suarum, ad mundi visibilis contemplationem transferamus. Quid non arguet ille pro Deo suo, ad primum totius mundi intuitum ? quid non, cùm singulas mundi partes lustrabit ? quid non, ubi fortè in mundo portenta, & signa extraordinaria occurrent. Sequamur sapientem spectatorem mundi, quòcumque ierit, atque, ut ille, intuendo, philosophemur.

Secundus ordo demonstrationum ex mundo Physico & naturali.

§. I.

Prima Demonstratio ex generali contemplatione mundi.

EST aliqua causa mundi, causa verò mundi Deus est, Ergò est Deus. Major propositio haberi potest pro demonstratâ ; quia mundus nec seipsum fecit, nec à seipso est, ut probant sensibiles mutationes, quibus est obnoxius : nam quod à se ipso est, sibi sufficit, ut tale sit ; quod autem sibi sufficit, ut tale sit, semper & necessariò tale est. Ergò quod à seipso est, est idem immutabile. Mun-

Prima demonstratio ex generali contemplatione mundi.

dus autem iſte non eſt immutabilis. Minor propoſitio apparet, ex primâ contemplatione mundi. Mundus enim ſtatim apparet immenſum aliquod opus, & mirabilis artificii plenum, quod eſſe non poteſt, niſi à causâ, & ſapientiſſimâ ad delineandum, & potentiſſimâ ad exequendum; talis autem cauſa Deus eſt.

Deum enim clamat.

Certè quodcumque opus artificioſum occurret, ſubit ſtatim cogitatio de opifice: nemo ſtatuam, aut picturam videt, qui ſtatuarium aut pictorem non cogitet: nemo veſtes, navim, aut ædes intuetur, qui non textorem, fabrum, aut architectum intelligat. Ergò nemo mundum videre oculis poteſt, qui mundi opificem intellectu non videat. Hæc ferè eſt ratiocinatio Philonis libro 1°. De monarchiâ.

Opificium mundi.

Confirmatur 1°. Ex ordine, & pulcherrimâ diſpoſitione mundi; quia nihil tam pulchrè ordinatum eſſe poteſt, ſine directione cauſæ alicujus intelligentis: in his enim quæ caſu, & fortuitò fiunt, ordo non eſt, ſed ordinis perturbatio. Id quod omni homini notorium eſt. Nam ſi quis ſuperbum aliquod palatium, factum vellet ex fortuito lapidum concurſu, ſi quis Virgilii Æneidem, Ariſtotelis Philoſophiam; aut Summam Sancti Thomæ, coaluiſſe diceret, ex caracteribus fortuitò in Typographi officinâ aliquandò convenientibus, verè inſanire putaretur. Ergò quicumque mundum hunc viſibilem factum fuiſſe, aut fieri potuiſſe fortuitò dixerit, inſanire putandus eſt; quia rem dicit manifeſte falſam, eſt enim evidens mundum ordinatiſſimum, opus eſſe cauſæ intelligentis, nec niſi à cauſa intelli-

Diſpoſitio.

gente fieri potuisse. Elegans est comparatio Gregorii Nazianzeni. *Quemadmodum*, inquit, *Cytharam videns bene dispositam, & concentum illius audiens, statim intelligit esse aliquem cytharædum; ità qui ordinem, & dispositionem mundi videt, rerumque naturalium quasi concentum audit, Deum esse intelligit, adeò ut nimis hebes, & stupidus sit, qui naturalium demonstrationum vestigia sequens, eò usque non progrediatur.* Confirmatur 2°. Ex perseverantiâ mundi in suo, seu statu, seu motu regulari. Nam quod constanter, & eodem tenore fit, fortuitò, & casu non fit, ut patet experientiâ fortuitorum, & demonstrat Aristoteles in ipso talorum Jactu. *Tali enim*, inquit, *millies Jacti, impossibile est, ut coënse Veneris signum, seu puncta septem, ad singulos Jactus constanter reddant.* Ergò perseverantia mundi, non est quid fortuitum, sed opus summæ intelligentiæ. Rem palpabilem facit Athanasius. *Ad considerationem*, inquit, *Civitatis, aut Reipublicæ benè institutæ, iisdemque semper legibus viventis, occurrit statim princeps aliquis, aut moderator. Ergò ad considerationem mundi, suas semper leges servantis, occurrit animo rector illius, & moderator Deus.* Demonstrationem totam eleganter complexus est Boëtius his verbis. *Mundus hic, ex tàm diversis contrariisque partibus, in unam formam minimè convenisset, nisi unus esset, qui tàm diversa conjungeret: conjuncta verò, naturarum ipsa diversitas invicem discors, dissociaret, atque divelleret; nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret. Hoc, quidquid est, quo cuncta manent, atque agitantur, usitato vocabulo Deum nomina.*

Orat. 4. & 3.

Perseverantia.

Contra gent.

Lib. 3 de consol.

Objicies 1°. Cum Atheis, aut procuratoribus Atheorum. Non est satis evidens, mundum non esse à seipso. Ergò demonstratio non valet. Sed contrà 1°. Omnia quibus constat mundus contingentia sunt, Ergò & mundus ipse contingens est, ac proindè indifferens ad existendum, vel non existendum, Ergò necesse habuit determinari ab aliquo ad existendum, non enim potuit determinari à seipso. Contrà 2°. Mundus iste evidenter mutabilis est, quod autem mutabile est, non est à seipso; nam quod est à seipso, habet à se omnia necessaria, ut tale sit, Ergò semper tale est; semper enim tale est, cui nihil unquam deest, ut tale sit. Contrà 3°. Videt in se unusquisque hominum, quòd incœperit. Ergò videt quòd aliquandò non fuerit; quod autem non fuit, facere seipsum non potuit, ut ex terminis patet. Sed quod unusquisque hominum de seipso videt, pronum est, ut ad alia transferat.

Ineptè dicitur mundus esse à seipso.

Instabis. Potest intelligi ens, quod incipiat necessariò à se, sicut potest intelligi ens æternum à se. Sed contrà. Quisquis ità objicit, inaniter subtilis est: nam quidquid incipit, aliquandò non fuit, ergò debuit transire à non esse, ad esse; istius autèm transitus debet assignari aliqua causa, omnis enim mutationis debet esse aliqua causa: atqui istius mutationis nulla causa esset. Non extrinseca, ut supponitur: non intrinseca, quia ipsa res, cum nihil esset, non potuit esse causa Physica sui ipsius; est enim evidentissimum, quod nihil est, nullius rei causam Physicam esse posse.

Aut à se ipso incepisse.

Objicies 2°. Mundus eſt ab Atomis, ſeu partibus quibuſdam materiæ inſenſibilibus, quæ per varias agitationes, in hanc tandèm mundi formam viſibilem fortuitò convenerunt. Ergò nihil Deo opus eſt. Sed contrà. Non reſponſionem, ſed pœnam meretur ſtulta hæc cogitatio. Probabilius dicerem ego, ex concurſu Atomorum, quibus conſtat Atheus ille, quicumque de grege Epicuri ità ob loquitur; cùm fortè ſperaretur Homo futurus, caſu neſcio quo, non niſi ſtolidam & irrationalem pecudem proveniſſe. Ineptè ab Atomis fortuitò convenientibus.

Objicies 3°. Mundum, & ordinem mundi à naturâ eſſe, eſt enim natura omnium parens. Sed contrà. Vel natura, eſt ipſemet mundus, vel aliquid diverſum à mundo. Si primum. Cùm mundus non poſſit eſſe à ſeipſo, eſſe non poteſt à naturâ. Si ſecundum. Quæro quid ſit ea natura, à mundo diverſa. Vel enim intelligentiam habet, vel non habet, ſi non habet, impoſſibile eſt, ut ab eâ prodierit opus intelligentiâ plenum, quale opus eſt mundus, ſi intelligentiam habet, Deus eſt ipſa natura, inquit ex Senecâ Lactantius, *Cum igitur ortum rerum tribuis, ac detrahis Deo; in eodem Luto hæſitans, verſuram ſoluis, à quo enim mundum fieri negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine, confiteris.* Ineptè à naturâ. Lib. 2. c. 8.



§. II.

Secunda Demonſtratio exiſtentiæ Dei ex contemplatione mundi partium ſingularum.

Secunda demonſtratio ex contemplatione partium mundi ſingularum.

JUpiter eſt, *quodcumque vides.* Dictum eſt impium prophani hominis, ſignificare volentis, hunc quem videmus mundum, Deum eſſe, & quodcumque in mundo eſt, eſſe aliquam partem Dei. Sed velim ego, prophanum dictum conſecrare hodiè, & ità uſurpare, ut ſenſus illius ſit, non in mundo tantùm integro, ſed in ſingulis etiàm mundi partibus, expreſſam divinitatis imaginem apparere. Dividitur Mundus viſibilis, in Superiorem & Inferiorem, ſeu in Cœleſtem & Terreſtrem, juxta illud Moſis, *In principio creavit Deus Cœlum & Terram.* Atqui ſive mundum Superiorem & Cœleſtem, ſive Inferiorem & Terreſtrem contemplemur, Deum ubiquè intelligimus, ergò, &c. Ac 1°. quidem ex mundo cœleſti intelligitur Deus, & quòd ait Pſalmiſta, *Cœli enarrant gloriam Dei*, idque voce tàm altâ & intelligibili, *ut in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nam quis, Amabo, immenſos Cœlorum orbes evoluit, niſi qui immenſus eſt? Quis tàm arduos vaſtoſque fornices, ſine lapide, ſine cæmento, ſine fulcro ſuſpendit, niſi qui eſt omnipotens? Quis per infinita ſpatia ordinatiſſimam cœli militiam in ſtatione ſuâ adeo perſeverantem diſpoſuit, niſi qui eſt exercituum Deus? Quis tam ſplendidas faces, accendit,

Mundi Superioris.

accendit, nisi qui totus splendidus est luminum pater? Quis solem radiis suis veluti sponsum tàm pulchrè coronavit, nisi qui pulcherrimus est? Quis denique nobis spectatoribus, tanto apparatu, tàm magnificam scenam exhibuit, nisi magnificentissimus Deus? Quis ergò ei cum Davide Confessionis Hymnum non concinat, *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum, quoniam elevata est magnificentia tua super Cælos; ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam, propter inimicos tuos*, Hoc est, Atheos: nimirùm ex contemplatione mundi cœlestis, Deus tàm manifestus est, ut infantibus ipsis & lactentibus, facili & insensibili discursu innotescat, ad confusionem Atheorum, oculos præ pudore in cœlum vix attollentium. Sed quem in cœlo fugiunt, iis in terrâ importunus occurret, qui ex mundo etiam terrestri clarè & multipliciter intelligitur. 1°. Enim, ea quæ nos circumstant elementa, Deum esse ità convincunt, ut *ipsas elementorum substantias*, inquit Tertullianus, *illi ipsi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, Deos pronuntiaverint.* 2°. Quæ ex elementis fiunt mixta corpora, metalla, plantæ, arbores, imo ipsa rerum insensibilia semina, sensibilia sunt argumenta divinitatis: est enim evidens, arboris aut olusculi semen, opus esse sapientissimi & intelligentissimi artificis, ità enim superat omnem artem & industriam humanam, ut si fortè omnes sapientes conveniant, deliberentque de modo faciendi per artem unum aliquod corpus, quod in terram jactum, & ger-

Mundi inferioris.

Lib. 1. contra Marcion. c. 13.

minet & tollat ſe, & frondes ferat fructuſque, non omnes ſapientes per ſpatium centum annorum deliberantes inventuri ſint quod quærunt, & ſi fortè invenerint, omnes artifices inventum non exequentur. 3°. Animalia omnia quantumvis muta Deum loquuntur, nec cornua tantùm Rhinocerotum aut proboſcides Elephantorum, ſed ipſa quoque, ut loquitur Tertullianus, *Apis ædificia, formicæ ſtabula, Araneæ retia, Bombycis ſtamina*, contra Atheos *Deum defendunt.* 4°. Demùm præſtantiſſima Imago Divinitatis, homini eſt homo ipſe, omnium ferè quæ ex mundo ducuntur Argumentorum compendium, ſeu animam conſideres, ſeu corpus: nam corporis quidem ſtructura adeo mirabilis eſt, ut Galenus ex illius conſideratione Deum manifeſtè intellexerit, & partes humani corporis, earumque uſum libris aliquot proſecutus, tandem profeſſus ſit, ſe non tàm tractatum Phyſicum aut medicum compoſuiſſe, quàm Hymnum Deo cecniſſe, illiuſque divinam ſapientiam & potentiam in tam divino opere expreſſiſſe. Anima verò hominis, ſive intelligat, ſive memoretur, ſive diſcurrat, ipſo corpore divinius aliquid apparet, & ſola, ſufficiens eſſe poſſit divinitatis argumentum.

Quo ſenſu & quibus oculis Deus in mundo videatur.

Objicies. Quòcumque ſe vertant oculi, nullibi videtur Deus. Ergò &c. Reſpondeo, Nullibi videtur Deus oculis corporeis, quos habent Athei, ſed videtur oculis intellectualibus, quos Athei non habent. Nullibi videtur Deus in ſe, ſed videtur Deus ubique in mundo ſuo; quatenùs ex mundo viſo, tam facilè &

clarè intelligitur; ut visio mundi, pro visione Dei haberi possit. Perindè enim est, ac si per eandem cognitionem quâ videtur mundus, Deus videretur: secundùm Doctrinam Pauli Apostoli, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur*: nimirùm habet se mundus iste visibilis instar corporis animati, cujus anima Deus est. Ergò sicut ex ipsâ specie hominis videmus vivere hominem, quamvis non videatur anima, quâ vivit homo; ità ex ipsâ mundi specie, videmus mundum animari Deo suo, quamvis invisibilis sit Deus ille quo mundus animatur.

§. III.

Tertia Demonstratio ex mundi phænomenis extraordinariis.

Habet quidem Deus testimonia, totum id quod sumus, & in quo sumus, ut loquitur Tertullianus; sed hæc ordinaria sunt & quotidiana: habet insuper Deus testimonia quædam extraordinaria, quibus se identidem esse irrefragabiliùs contestatur; eaque sunt phænomena triplicis generis: phænomena Exorcismorum, phænomena prædictionum, phænomena miraculorum; nam fiunt identidem Exorcismi spirituum malignorum, fiunt certæ prædictiones futurorum, fiunt ostenta miraculorum. Atqui hæc omnia testantur Deum esse. Ac 1°. Quidem negari non potest, quin interdùm in corporibus hominum sint spiritus aliqui humano majores: nam & longè posita vident

Tertia demonstratio ex mundi phænomenis extraordinariis.

Exorcismis spirituum malignorum.

& cordium ſecreta rimantur & linguis peregrinis loquuntur, & ſubtiliſſimè ratiocinantur, & motus cient ſtupendos : eſt autem aliquis iſtorum Spirituum Dominus, nec alius profectò eſt, quàm Deus. Nam & ipſi ſpiritus ultrò confitentur Deum eſſe, in virtute Dei ſubjiciuntur nobis, in nomine Dei fugantur &c. Audiant hîc Athei, vel in ipsâ ſcholâ dæmonum, & ſapere diſcant : nec ridere pergant, ubi *dæmones credunt & contremiſcunt.* 2°.

Prædictionibus futurorum.

Satis conſtat factas fuiſſe certas prædictiones futurorum contingentium, eventus enim prædictionibus exactè reſpondit. Atqui certa prædictio futurorum contingentium, ſine Deo fieri non poteſt, & divinitatis inſigne argumentum eſt, ſecundùm illud, *Annunciate quæ ventura ſunt in futuro & dii eritis vos.* Ratio ulterior eſt, quia intellectus creatus noſtro ſimilis, certas cognitiones non habet, niſi juvetur, aut memoriâ præteriti, aut ſenſu & experientiâ præſentis, aut clarâ perceptione & evidentiâ veritatis. Ad cognitionem autem futurorum contingentium, juvari non potuit, ſeu memoriâ præteriti, quia non præterierant, ſeu experientiâ præſentis, quia præſentia non erant, ſeu evidentiâ veritatis neceſſariæ, quia contingentia erant & obſcura. Ergò ad cognitionem certam futurorum contingentium venire non potuit intellectus creatus, niſi ex revelatione intellectûs melioris, omnia videntis, & ad omnem veritatem cognoſcendam eſſentialiter determinati, cujuſmodi intellectus non alius eſt, quàm divinus. 3°. Demùm dubitari non poteſt quin

Miraculis.

facta ſint innumera miracula, ſeu opera extra-

ordinaria, quæ vires naturæ superant: opera autem ejusmodi manifestè arguunt causam aliquam intelligentem, naturæ dominam, & legibus naturæ minimè obligatam, quæ causa non est alia, nisi Deus: Ergò, si naturam non audiunt Athei, ultrò & sponte divinitati suffragantem, audiant saltem miraculorum vi & extraordinariâ quæstione fatigatam; nam sui semper similis respondet Deum esse, eòque altius, quò frequentius interrogatur.

ARTICULUS III.

Demonstrationes existentiæ Dei ex mundo morali deprompta.

COntemplationem mundi Physici, excipiet contemplatio mundi moralis. De rure igitur, aut Eremo, deducamus in urbem solitarium nostrum: versetur aliquandiu inter homines, negotiis se humanis immisceat, mores hominum sensusque exploret; inveniet statim humana & moralia argumenta pro Deo suo, tùm ex finibus bonorum & malorum, tùm ex generali instrumento benè vivendi, quæ est persuasio divinitatis, tùm denique, ex communi conspiratione hominum in eam persuasionem.

Tertius Ordo demonstrationum ex mundo morali.



§. I.

Prima demonstratio ex finibus bonorum & malorum.

Prima demonstratio ex finibus bonorum & malorum.

SUnt ex hominibus qui benè vivunt, & qui malè, ex quo sic arguo. Debet esse aliquis remunerator bonorum, & vindex malorum; remunerator autem omnium bonorum & vindex omnium malorum, est solus Deus. Ergo, &c. Major propositio demonstratur, ex conceptu virtutis & peccati. Nam ex terminis evidens est, deberi præmium virtuti, & pœnam peccato: nam virtus essentialiter est digna præmio, & peccatum est essentialiter dignum pœnâ, Ergò est evidens, omnis virtutis debere esse aliquem remuneratorem, & omnis peccati aliquem vindicem; neque enim potest deberi præmium virtuti, aut pœna peccato, nisi sit qui possit, & præmium virtuti, & pœnam peccato reddere. Minor autem demonstratur. Quia est evidens esse multas virtutes, quæ in hâc vitâ non habent suum præmium, & multa esse peccata, quæ non habent pœnam suam: videmus enim, & viros bonos interdùm miseros esse, & malos interdùm beatos. Ergò non est in hâc vitâ, qui remuneretur omnem virtutem, aut qui puniat omne peccatum. Superest ergò, ut post hanc vitam sit talis aliquis remunerator, & vindex. Quis autem ille est, nisi Deus? Hanc demonstrationem tangit Chrysostomus multis in locis, sed præsertim Homiliâ nonâ, in secun-

Nam debet esse aliquis vindex malorum & remunerator bonorum.

dam Pauli ad Cor. c. 4. Confirmatur 1°. Multa ſunt peccata, quæ ab hominibus puniri non poſſunt; ſeu defectu authoritatis, ut ſunt peccata principum, qui ſuperiorem non habent; ſeu defectu notitiæ, ut ſunt peccata interiora, aut quæ clàm, & ſine arbitris facta ſunt; vel defectu ſubjecti puniendi, ut cum reus, ſeu fugâ, ſeu morte ſe pœnæ ſubducit. Iſtiuſmodi tamen peccatis pœna debetur. Ergò debet eſſe aliquis vindex, omni homine ſuperior, omnia videns, qui & fugitivos prehendat, & mortuos ultrà hanc etiàm vitam, nocentes perſequatur. Sed quis ille eſt, ſi non eſt Deus? Confirmatur 2°. Multæ ſunt virtutes, quæ ab hominibus præmium ſuum habere non poſſunt; ſeu malignitate & invidiâ hominum, præſenti ferè virtuti detrahentium; ſeu conditione ipſius virtutis latere amantis; ſeu præfeſtinatione mortis coronam virtuti præripientis: iſtiuſmodi tamen virtutibus debetur præmium ſuum. Ergò debet eſſe aliquis remunerator illarum: ſed quis ille eſt, ſi non eſt Deus. Confirmatur 3°. Debet eſſe melior bonorum, quàm malorum conditio, eſt enim recti ordinis iſta inæqualitas: ſed ſi Deus non eſt, melior erit conditio malorum, quàm bonorum: nàm ut fert præſens rerum ſtatus, ſunt ferè mali bonis beatiores. Ergò debet eſſe aliquis, qui hunc rerum ſtatum reformet, rectumque ordinem reſtituat, quis autèm ille eſt, ſi Deus non eſt; adducturus aliquandò bonis expectatiſſimum diem illum, quem appellat Petrus *diem reſtitutionis omnium.*

Si Deus non eſt.

Multa erunt peccata impunita.

Multæ virtutes non remuneratæ.

Nec melior erit bonorum quàm malorum conditio.

Objicies. Ipſa ſibi virtus præmium eſt, &

Ipsa sibi virtus præmium, aut sua sibi pœna peccatum esse non nisi impropriè dicitur.

sua est sibi pœna peccatum, Ergò non demonstratur Deus, ex necessitate vindicis, & remuneratoris. Respondeo 1°. Meritum propriè dictum à præmio distinguitur, nam præmium præsupponit existentiam meriti, ideò enim præmium datur, quia meritum est, Ergò propriè loquendo, nec ipsa sibi virtus præmium est, nec ipsum sibi sua pœna peccatum. Trahit quidèm conscientia virtutis, & rectè facti, voluptatem aliquam; sed ea voluptas, ità virtutis fructus est, ut præmium non sit; quia præmium de fundo ipsius merentis esse non debet. Trahit & conscientia peccati amaritudinem quandam, sed ea amaritudo pœna non est, quia pœna à judice esse debet, non à reo. Respondeo 2°. Demus & præmium esse aliquod voluptatem virtutis, & pœnam aliquam esse amaritudinem peccati, nec una, virtuti sufficit, nec altera, peccato.

Nec virtuti sufficit voluptas virtutis, nec peccato amaritudo peccati.

Nam si virtutis voluptas, virtuti sufficeret, non esset cur aliud præmium boni quærerent, & querendi causam non haberent, si negaretur. Si autem peccato sufficeret amaritudo peccati, jàm sceleratis hominibus aliæ pœnæ non deberentur, & injustitia esset, quæ justitia vindicativa nominatur. Ratio à priori esse potest; quia nec virtutis voluptas sufficienter allicit ad virtutem, sæpè enim in exercitio virtutis, plùs laboris est, quàm voluptatis; nec à peccando satis deterret amaritudo peccati, quæ sensim peccando minuitur, & vix ulla est in peccatoribus obduratis. Maneat igitur, aliud virtuti præmium, & aliam peccato pœnam deberi, ac proindè

opus esse, ut sit Deus remunerator, & vindex.

§. II.

Secunda Demonstratio ex generali Instrumento benè vivendi quæ est persuasio Divinitatis.

REpugnat lumini naturali, errorem persuasum esse medium generale, per se utile, & necessarium ad benè vivendum; homo enim per se, & ex naturâ rei, ad benè vivendum non ducitur errore, sed veritate: cui principio, ratio duplex lucem afferet. 1°. Quia obligatio benè vivendi, est solida quædam, & non imaginaria obligatio; obligatio autem solida, verum & solidum fundamentum habet. Ergò secluso omni errore, superest homini motivum sufficiens benè vivendi, ac proindè per se, & ex naturâ rei, non est homini necessarius error ad benè vivendum. 2°. Quia natura rationalis, est intellectiva veri simul, & prosecutiva boni, hæque facultates duæ benè cohærent, Ergò recta operatio unius, per se, & ex naturâ rei, juvat rectam operationem alterius. Ergò error intellectus non est per se utilis, aut necessarius ad rectum amorem voluntatis. Atqui si Deus non existit, error persuasus erit medium generale per se utile, & necessarium ad benè vivendum: nam si Deus non existit, error est, Deum existere, persuasio tamen existentiæ Dei plurimùm valet, & necessaria est ad benè vivendum, ut fatentur ipsi Athei,

Secunda demonstratio ex persuasione Divinitatis quæ persuasio generale instrumentum est benè vivendi.

Error persuasus non potest esse medium per se utile & necessarium ad benè vivendum.

ajentes, timore factos esse Deos, & persuasionem divinitatis inventum esse politicorum, ad populos in officio continendos. Confirmatur.

Neque notitia primæ veritatis potest esse per se impedimentum benè vivendi.

Evidens est, notitiam primariæ veritatis, non esse per se, & ex naturâ rei magnum impedimentum homini ad benè vivendum; atqui si Deus non existit, notitia primariæ veritatis, erit homini per se, & ex naturâ rei magnum aliquod impedimentum ad benè vivendum. Nam si Deus non existit, negatio existentiæ Dei, est veritas quædam primaria, cujus notitia per se, & ex naturâ rei magnum est homini impedimentum ad benè vivendum: ut patet in Atheis ipsis, hominum flagitiosissimis. Ubi enim semel dixerunt in corde suo, *Non est Deus, corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.*

Valet quidem interdum error ad homines in Officio continendos sed per accidens tantùm, & non per se.

Objicies. Error persuasus interdùm valet, ad homines in Officio continendos: nam strenuè pugnant milites putantes vivere ducem, qui in pugnâ cecidit, & sapiunt pueri credentes domi agere patrem, qui foris est, Ergò quamvis persuasio divinitatis, error esset, valeret tamen ad benè vivendum. Respondeo. Error persuasus quandoquè valet ad homines in Officio, saltèm exterius continendos, non per se, & ex naturâ rei, sed per accidens, & ex pravâ dispositione subjecti, ut probat exemplum militum, & puerorum: nam generosi milites strenuè pugnant extincto duce, & sapiunt benè morati, pueri absente Patre. Sed persuasio Divinitatis per se utilis, & necessaria est ad benè vivendum: quod enim omni ferè homini utile & necessarium est ad benè

vivendum, per ſe tale eſt, non per accidens; atqui perſuaſio divinitatis omni ferè homini utilis & neceſſaria eſt ad benè vivendum. Ergò &c.

Inſtabis. Etiàm ſine Deo ducerentur homines amore honeſti, Ergò perſuaſio divinitatis non eſt ità neceſſaria ad benè vivendum. Reſpondeo. Sine Deo, aut cognitione Dei, paucos admodùm eſſe, qui amore honeſti ducerentur, ut patet ipſo Atheorum exemplo; qui, cum perſuaſione divinitatis, omnem ſimul honeſti amorem exuerunt. Ratio nimirùm eſt, quia honeſtum illud quodcumque ſine Deo fingitur, tàm tenue motivum eſt, ut vix ullum hominem ſatis movere poſſit. Accedit quòd ſine Deo, ratio honeſti ſtare non poteſt; quia in naturâ rationali liberâ & contingenti, debitum faciendi aliquid eſſe non poteſt, niſi à ſupremâ quâdam voluntate, quæ ſit regula faciendorum: atqui ſi non eſt Deus, non eſt ſuprema illa voluntas, Ergò ſi non eſt Deus, in naturâ rationali liberâ & contingente, non eſt ullum debitum faciendi.

Solo amore honeſti pauci admodum ducerentur ſine Deo, vix ſine Deo ratio honeſti ſtaret.

§. III.

Tertia demonſtratio ex unanimi conſenſione hominum in perſuaſionem Divinitatis.

Tertia demonſtratio ex unanimi conſenſu hominum in perſuaſionem Divinitatis.

Quod natura univerſaliter, & naturaliter confitetur, neceſſe eſt eſſe; naturam enim naturaliter, & univerſaliter mentiri impoſſibile eſt: atqui natura univerſaliter, & naturaliter confitetur Deum eſſe, Ergò Deus eſt.

Lib. de virtut. c. 2. Itâ ferè Guillelmus Parisiensis. Sed erit fortè demonstratio clarior, si dicamus. Non conveniunt hominum intellectus, nisi quòad prima principia, aut conclusiones ex primis principiis evidenter deductas; Atqui conveniunt omnium ferè hominum intellectus, quòad existentiam Dei: vix enim est ulla gens nobis nota, quæ non habuerit aliquam Dei notitiam, & cultum alicujus numinis, nec ullibi unquam publicâ authoritate receptus est Atheismus. Ergò existentia Dei, vel est primum aliquod principium, vel conclusio ex primis principiis evidenter deducta. Confirmatur 1°. Ex Antiquitate persuasionis, cujus nullus invenitur Author, non Plato, non Aristoteles, non aliquis è sapientibus, sed quæ humano generi coœva est. Confirmatur 2°. Ex qualitate Sectatorum ejus; existentia enim Dei apparet, viris præsertim sapientibus & bonis, amatoribus veritatis, & honestatis; est autèm evidens, eos aptiores esse ad veritatem inveniendam, quàm pauculos quosdam sceleratos, qui ferè rationem non habent, & si quam habent, millies perdunt. Quamquam, & ipsis etiàm invitis, sese obtrudit interdùm clarissima veritas, istarum noctuarum oculos, ad manifestissima naturæ principia caligantes, suâ luce percellens. Nàm & Athei, in periculis ad Deum confugiunt, & in extremis positi, Deum, quem antè negaverant perduellium more subditorum, tandèm aliquandò agnoscunt. Quare hîc exclamare possumus Augustini verbis contrà Donatistas. *O! violentia veritatis, quæ suos in corde torquet inimicos,*

Quæ persuasio apparet esse divina. Ex Antiquitate.

Ex qualitate Sectatorum.

ut eam confiteantur inviti. Confirmatur 3°. Ex constantiâ, & perpetuitate istiusmodi persuasionis : nàm detegitur tandèm aliquandò falsitas, & quòd ait Augustinus, *Veritas ad tempus occultari potest, vinci non potest.* Ergò si persuasio Divinitatis, esset falsa quædam opinio jampridèm detecta fuisset ejus falsitas, & excussa ; maximè, cum sit importuna nimis, & onerosa persuasio : Atqui tamen ea persuasio, ab initio ad nos usquè integra perseveravit, sine ullâ interruptione ; quod contrà evenit humanis opinionibus, quæ per vices antiquantur, & renovantur : persuasio autèm Divinitatis nunquam fuit antiquata, & conditionem, seu immutabilitatem objecti sui sequens, nullam passa est mutationem, nisi quòd crevit in dies, & latiùs propagata est. Est ergò non humana quædam opinio, sed persuasio planè divina. Confirmatur 4°. Ex facilitate, & familiaritate notitiæ Dei, nàm nec rara est, nec raro veniens, sed crebra, familiaris, & omni homini passim obvia, ità ut vulgi naturalis iste sermo sit, *Quod Deus dederit, si Deus velit, benedicat te Deus, Deus te sospitet, Deo te commendo, &c.* Quod observans Tertullianus, tenere se non potest, quin exclamet. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Hoc est, Deum quem Christiani prædicant, naturaliter confitentis.

Ex constantiâ & perpetuitate.

Ex facilitate & quasi familiaritate notitiæ Dei.

Apologet. c. 17.

Hæc satis pro demonstrabilitate Dei contra Atheos, summæ impietatis homines, verè inexcusabiles ; Nam *hæc summa delicti est* (inquit Tertullianus) *nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Mundum triplicem, Intelle-

ctualem, Physicum & Moralem, velut in aciem produximus, novem demonstrationibus pro Deo pugnantem: quibus si resistere pergant Athei, Deum respuentes sese tàm splendidè monstrantem, futurum profectò est, ut novi isti, & indurati Pharaones, Deum aliquandò sentiant, plusquàm novem plagis ferientem.

CAPUT II.

Termini Quæstionis explicantur.

An existentia Dei sit etiam immediatè evidens, & per se nota.

Objectum immediatè evidens quid sit.

PRæmitto 1°. Objectum immediatè evidens dicitur illud, cui adhæret firmiter intellectus, sine ullo medio demonstrante, ex quo objectum inferatur, idque, vel ex solâ penetratione terminorum, vel ex solo apprehendendi modo. Objectum evidens est ex solâ penetratione terminorum, quod penetratis terminis, statim evidenter apparet: penetrari autèm termini dicuntur, quandò auditis terminis, excitantur ideæ, ad quas significandas termini sunt instituti. Quare si auditis terminis, excitentur tales quædam ideæ, ut una in aliâ evidenter appareat, & illas invicem comparans intellectus, necessariò & sine hæsitatione conjungat; objectum evidens erit ex solâ penetratione terminorum, quo modo prima principia evidentia sunt. Objectum verò evidens est, ex modo apprehendendi, quod

Quid evidens, ex penetratione terminorum.

Quid evidens, ex modo apprehendendi.

ita apprehenditur, ut ipſe apprehendendi modus, apprehendentem evidenter certificet, de exiſtentiâ objecti. Ità evidens mihi eſt, me exiſtere, aut cogitare, non ex terminis quidèm; nàm termini auditi non excitant ideas neceſſariò conjungendas, ſed ex modo quodam apprehendendi intuitivo, & experimentali, qui dubitare me non ſinit, quin exiſtam, aut cogitem. Immediata autèm objecti evidentia, alia eſt abſoluta & generalis, alia reſpectiva & particularis. Abſoluta & generalis evidentia, eſt, cum objectum evidenter apparet omnibus, aut ferè omnibus. Reſpectiva & particularis, cum uni tantùm vel paucis apparet evidenter; ſeu propter perfectiorem aliquorum intellectum; ſeu propter majorem intellectûs applicationem.

Evidentia immediata alia abſoluta & generalis. Alia reſpectiva & particularis.

Præmitto 2°. Notum per ſe, idem eſt, quod evidens ex terminis: ità enim fert, & communis uſus, & vox ipſa ſatis indicat. Dicitur enim notum per ſe, quod non indiget alio notificante. Quod verò non indiget alio notificante, ex ipſis terminis evidens eſt. Confirmatur iſta termini acceptio ex Sancto Thoma. Nam *illa*, inquit, *dicuntur per ſe nota, quæ ſtatim cognitis terminis cognoſcuntur.* Quæ autem talia ſunt, evidentia ſunt ex terminis: contingit autèm, ut obſervat Sanctus Doctor, aliquid eſſe per ſe notum dupliciter: uno modo, ſecundùm ſe, & non quoàd nos: alio modo, ſecundùm ſe, & quoàd nos. *Ex hoc*, inquit, *propoſitio dicitur nota per ſe, quòd prædicatum includitur in ratione ſubjecti, ut homo eſt animal; nam animal, eſt de ratione*

Notum per ſe quid ſit.

Notum per ſe, aliud tale eſt in ſe & non quoad nos aliud in ſe & quoad nos.

hominis. Si igitur notum ſit omnibus, de prædicato & ſubjecto quid ſit, propoſitio nota erit quoad omnes, ut patet, in primis demonſtrationum principiis, quorum termini ſunt quædam communia, quæ nullus ignorat. Ut ens, non ens, totum, & pars, &c. Si autèm apud aliquos notum non ſit, de ſubjecto & prædicato, propoſitio quantùm in ſe eſt, erit per ſe nota, non tamen apud illos, qui prædicatum, & ſubjectum propoſitionis ignorant. Hæc eſt diſtinctio Sancti Thomæ, quæ quamvis non ſit ad guſtum multorum, retinenda tamen eſt, tùm propter autoris ſui reverentiam, tùm quia in Scholis recepta, & bona eſt, ſi benè intelligatur.

1. part. quæſt. 2. art. 1.

Præmitto 3°. Admiſsâ diſtinctione Sancti Thomæ, & explicatione noſtrâ, dubitari non poteſt, quin exiſtentia Dei, ſit per ſe nota, quantùm eſt in ſe; quia ſecundùm definitionem Sancti Thomæ, *ex hoc propoſitio eſt per ſe nota quantùm eſt in ſe, quòd prædicatum includitur in ratione ſubjecti*, ſed prædicatum hujus propoſitionis, *Deus exiſtit*, includitur in ratione ſubjecti: exiſtere enim, eſt de ratione & conceptu Dei, ut dicitur Exodi 3. *Ego ſum qui ſum.* Et ſatis intelligitur, ex demonſtrationibus noſtris. Ergò hæc propoſitio, *Deus exiſtit*, eſt per ſe nota, quantùm eſt in ſe. Quæſtio igitur eò ſolùm reducitur, an exiſtentia Dei, ſit per ſe nota quoàd nos, ſeu nobis immediatè evidens. In quâ quæſtione, duæ ſunt extremæ ſententiæ; negant enim ferè Thomiſtæ, & affirmant ferè Scotiſtæ. Inter utroſque medium tenebimus, ut veritatem

Certum eſt exiſtentiam Dei eſſe per ſe notam quantùm eſt in ſe.

Dubitatur an ſit per ſe nota quoad nos.

veritatem, quæ nobis in medio videtur esse, teneamus.

Thesis prima. Existentia Dei, non est per se nota quoàd omnes, seu non est immediatè evidens, evidentiâ absolutâ & generali. Probatur ratiocinatione Sancti Thomæ. Quia *nullus potest cogitare oppositum ejus, quod est per se notum quoàd omnes, cogitari autèm potest oppositum ejus, quod est Deum esse, secundùm illud Psalmi 52. Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Quo loco, significatur dictum interius, seu verus actus negans; non enim dissimulanter, & ore tenùs, sed interiùs, & in corde suo, *dixit insipiens, non est Deus.* Confirmatur. Si esset evidens immediatè, evidentiâ generali & absolutâ, Deum existere; vel esset evidens, ex modo quodam apprehendendi intuitivo, aut experimentali; vel esset evidens, ex penetratione terminorum: neutrum dici potest. Non primum. Quis enim hominum in terrâ viventium, intuetur, aut experitur existentem Deum. Non secundum. Quàm multi enim sunt, qui præcisè audiendo istos terminos, *Deus existit,* non continuò formant ideas satis claras, quas invicem comparando, necessariò, & sine hæsitatione conjungant.

Quæstio deciditur.

Non est per se nota quoad omnes.

1. *part. quæst* 2. *art.* 2.

Objicies 1°. Authoritatem Scripturæ nostræ, & Patrum Scripturam interpretantium. Dicitur enim Job 32. *Omnes homines vident Deum.* Quibus verbis significatur notitia Dei generalis, & immediata. In quem locum Hieronymus ait, notitiam Dei esse *naturaliter insitam cordibus nostris;* quod ipsum eleganter expres-

Quo sensu dicantur omnes homines videre Deum.

§. I.

Prima demonstratio ex finibus bonorum & malorum.

Prima demonstratio ex finibus bonorum & malorum.

SUnt ex hominibus qui benè vivunt, & qui malè, ex quo sic arguo. Debet esse aliquis remunerator bonorum, & vindex malorum; remunerator autem omnium bonorum & vindex omnium malorum, est solus Deus. Ergo, &c. Major propositio demonstratur, ex conceptu virtutis & peccati. Nam ex terminis evidens est, deberi præmium virtuti, & pœnam peccato: nam virtus essentialiter est digna præmio, & peccatum est essentialiter dignum pœnâ, Ergò est evidens, omnis virtutis debere esse aliquem remuneratorem, & omnis peccati aliquem vindicem; neque enim potest deberi præmium virtuti, aut pœna peccato, nisi sit qui possit, & præmium virtuti, & pœnam peccato reddere. Minor autem demonstratur. Quia est evidens esse multas virtutes, quæ in hâc vitâ non habent suum præmium, & multa esse peccata, quæ non habent pœnam suam: videmus enim, & viros bonos interdùm miseros esse, & malos interdùm beatos. Ergò non est in hâc vitâ, qui remuneretur omnem virtutem, aut qui puniat omne peccatum. Superest ergò, ut post hanc vitam sit talis aliquis remunerator, & vindex. Quis autem ille est, nisi Deus? Hanc demonstrationem tangit Chrysostomus multis in locis, sed præsertim Homiliâ nonâ, in secun-

Nam debet esse aliquis vindex malorum & remunerator bonorum.

dam Pauli ad Cor. c. 4. Confirmatur 1°. Multa ſunt peccata, quæ ab hominibus puniri non poſſunt; ſeu defectu authoritatis, ut ſunt peccata principum, qui ſuperiorem non habent; ſeu defectu notitiæ, ut ſunt peccata interiora, aut quæ clàm, & ſine arbitris facta ſunt; vel defectu ſubjecti puniendi, ut cum reus, ſeu fugâ, ſeu morte ſe pœnæ ſubducit. Iſtiuſmodi tamen peccatis pœna debetur. Ergò debet eſſe aliquis vindex, omni homine ſuperior, omnia videns, qui & fugitivos prehendat, & mortuos ultrà hanc etiàm vitam, nocentes perſequatur. Sed quis ille eſt, ſi non eſt Deus? Confirmatur 2°. Multæ ſunt virtutes, quæ ab hominibus præmium ſuum habere non poſſunt; ſeu malignitate & invidiâ hominum, præſenti ferè virtuti detrahentium; ſeu conditione ipſius virtutis latere amantis; ſeu præfeſtinatione mortis coronam virtuti præripientis: iſtiuſmodi tamen virtutibus debetur præmium ſuum. Ergò debet eſſe aliquis remunerator illarum: ſed quis ille eſt, ſi non eſt Deus. Confirmatur 3°. Debet eſſe melior bonorum, quàm malorum conditio, eſt enim recti ordinis iſta inæqualitas: ſed ſi Deus non eſt, melior erit conditio malorum, quàm bonorum: nàm ut fert præſens rerum ſtatus, ſunt ferè mali bonis beatiores. Ergò debet eſſe aliquis, qui hunc rerum ſtatum reformet, rectumque ordinem reſtituat, quis autèm ille eſt, ſi Deus non eſt; adducturus aliquandò bonis expectatiſſimum diem illum, quem appellat Petrus *diem reſtitutionis omnium.*

Si Deus non eſt.

Multa erunt peccata impunita.

Multæ virtutes non remuneratæ.

Nec melior erit bonorum quàm malorum conditio.

Objicies. Ipſa ſibi virtus præmium eſt, &

Ipsa sibi virtus præmium, aut sua sibi pœna peccatum esse non nisi impropriè dicitur.

sua est sibi pœna peccatum, Ergò non demonstratur Deus, ex necessitate vindicis, & remuneratoris. Respondeo 1°. Meritum propriè dictum à præmio distinguitur, nam præmium præsupponit existentiam meriti, ideò enim præmium datur, quia meritum est, Ergò propriè loquendo, nec ipsa sibi virtus præmium est, nec ipsum sibi sua pœna peccatum. Trahit quidèm conscientia virtutis, & rectè facti, voluptatem aliquam; sed ea voluptas, ità virtutis fructus est, ut præmium non sit; quia præmium de fundo ipsius merentis esse non debet. Trahit & conscientia peccati amaritudinem quandam, sed ea amaritudo pœna non est, quia pœna à judice esse debet, non à reo. Respondeo 2°. Demus & præmium esse aliquod voluptatem virtutis, & pœnam aliquam esse amaritudinem peccati, nec una, virtuti sufficit, nec altera, peccato. Nam si virtutis voluptas, virtuti sufficeret, non esset cur aliud præmium boni quærerent, & querendi causam non haberent, si negaretur. Si autem peccato sufficeret amaritudo peccati, jàm sceleratis hominibus aliæ pœnæ non deberentur, & injustitia esset, quæ justitia vindicativa nominatur. Ratio à priori esse potest; quia nec virtutis voluptas sufficienter allicit ad virtutem, sæpè enim in exercitio virtutis, plùs laboris est, quàm voluptatis; nec à peccando satis deterret amaritudo peccati, quæ sensim peccando minuitur, & vix ulla est in peccatoribus obduratis. Maneat igitur, aliud virtuti præmium, & aliam peccato pœnam deberi, ac proindè

Nec virtuti sufficit voluptas virtutis, nec peccato amaritudo peccati.

opus esse, ut sit Deus remunerator, & vindex.

§. II.

Secunda Demonstratio ex generali Instrumento benè vivendi quæ est persuasio Divinitatis.

REpugnat lumini naturali, errorem persuasum esse medium generale, per se utile, & necessarium ad benè vivendum; homo enim per se, & ex naturâ rei, ad benè vivendum non ducitur errore, sed veritate: cui principio, ratio duplex lucem afferet. 1°. Quia obligatio benè vivendi, est solida quædam, & non imaginaria obligatio; obligatio autem solida, verum & solidum fundamentum habet. Ergò secluso omni errore, superest homini motivum sufficiens benè vivendi, ac proindè per se, & ex naturâ rei, non est homini necessarius error ad benè vivendum. 2°. Quia natura rationalis, est intellectiva veri simul, & prosecutiva boni, hæque facultates duæ benè cohærent, Ergò recta operatio unius, per se, & ex naturâ rei, juvat rectam operationem alterius. Ergò error intellectus non est per se utilis, aut necessarius ad rectum amorem voluntatis. Atqui si Deus non existit, error persuasus erit medium generale per se utile, & necessarium ad benè vivendum: nam si Deus non existit, error est, Deum existere, persuasio tamen existentiæ Dei plurimùm valet, & necessaria est ad benè vivendum, ut fatentur ipsi Athei,

Secunda demonstratio ex persuasione Divinitatis quæ persuasio generale instrumentum est benè vivendi.

Error persuasus non potest esse medium per se utile & necessarium ad benè vivendum.

ajentes, timore factos esse Deos, & persuasionem divinitatis inventum esse politicorum, ad populos in officio continendos. Confirmatur. Evidens est, notitiam primariæ veritatis, non esse per se, & ex naturâ rei magnum impedimentum homini ad benè vivendum; atqui si Deus non existit, notitia primariæ veritatis, erit homini per se, & ex naturâ rei magnum aliquod impedimentum ad benè vivendum. Nam si Deus non existit, negatio existentiæ Dei, est veritas quædam primaria, cujus notitia per se, & ex naturâ rei magnum est homini impedimentum ad benè vivendum: ut patet in Atheis ipsis, hominum flagitiosissimis. Ubi enim semel dixerunt in corde suo, *Non est Deus, corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.*

Neque notitia primæ veritatis potest esse per se impedimentum benè vivendi.

Objicies. Error persuasus interdùm valet, ad homines in Officio continendos: nam strenuè pugnant milites putantes vivere ducem, qui in pugnâ cecidit, & sapiunt pueri credentes domi agere patrem, qui foris est, Ergò quamvis persuasio divinitatis, error esset, valeret tamen ad benè vivendum. Respondeo. Error persuasus quandoquè valet ad homines in Officio, saltèm exterius continendos, non per se, & ex naturâ rei, sed per accidens, & ex pravâ dispositione subjecti, ut probat exemplum militum, & puerorum: nam generosi milites strenuè pugnant extincto duce, & sapiunt benè morati, pueri absente Patre. Sed persuasio Divinitatis per se utilis, & necessaria est ad benè vivendum: quod enim omni ferè homini utile & necessarium est ad benè

Valet quidem interdum error ad homines in Officio continendos sed per accidens tantùm, & non per se.

vivendum, per ſe tale eſt, non per accidens; atqui perſuaſio divinitatis omni ferè homini utilis & neceſſaria eſt ad benè vivendum. Ergò &c.

Inſtabis. Etiàm ſine Deo ducerentur homines amore honeſti, Ergò perſuaſio divinitatis non eſt ità neceſſaria ad benè vivendum. Reſpondeo. Sine Deo, aut cognitione Dei, paucos admodùm eſſe, qui amore honeſti ducerentur, ut patet ipſo Atheorum exemplo; qui, cum perſuaſione divinitatis, omnem ſimul honeſti amorem exuerunt. Ratio nimirùm eſt, quia honeſtum illud quodcumque ſine Deo fingitur, tàm tenue motivum eſt, ut vix ullum hominem ſatis movere poſſit. Accedit quòd ſine Deo, ratio honeſti ſtare non poteſt; quia in naturâ rationali liberâ & contingenti, debitum faciendi aliquid eſſe non poteſt, niſi à ſupremâ quâdam voluntate, quæ ſit regula faciendorum: atqui ſi non eſt Deus, non eſt ſuprema illa voluntas, Ergò ſi non eſt Deus, in naturâ rationali liberâ & contingente, non eſt ullum debitum faciendi.

Solo amore honeſti pauci admodum ducerentur ſine Deo, vix ſine Deo ratio honeſti ſtaret.

§. III.

Tertia demonſtratio ex unanimi conſenſione hominum in perſuaſionem Divinitatis.

Tertia demonſtratio ex unanimi conſenſu hominum in perſuaſionem Divinitatis.

QUod natura univerſaliter, & naturaliter confitetur, neceſſe eſt eſſe; naturam enim naturaliter, & univerſaliter mentiri impoſſibile eſt: atqui natura univerſaliter, & naturaliter confitetur Deum eſſe, Ergò Deus eſt.

Lib. de virtut. c. 2. Ità ferè Guillelmus Parisiensis. Sed erit fortè demonstratio clarior, si dicamus. Non conveniunt hominum intellectus, nisi quòad prima principia, aut conclusiones ex primis principiis evidenter deductas; Atqui conveniunt. omnium ferè hominum intellectus, quòad existentiam Dei: vix enim est ulla gens nobis nota, quæ non habuerit aliquam Dei notitiam, & cultum alicujus numinis, nec ullibi unquam publicâ authoritate receptus est Atheismus. Ergò existentia Dei, vel est primum aliquod principium, vel conclusio ex primis principiis evidenter deducta. Confirmatur 1°. Ex Antiquitate persuasionis, cujus nullus invenitur Author, non Plato, non Aristoteles, non aliquis è sapientibus, sed quæ humano generi coæva est. Confirmatur 2°. Ex qualitate Sectatorum ejus; existentia enim Dei apparet, viris præsertim sapientibus & bonis, amatoribus veritatis, & honestatis; est autèm evidens, eos aptiores esse ad veritatem inveniendam, quàm pauculos quosdam sceleratos, qui ferè rationem non habent, & si quam habent, millies perdunt. Quamquam, & ipsis etiàm invitis, sese obtrudit interdùm clarissima veritas, istarum noctuarum oculos, ad manifestissima naturæ principia caligantes, suâ luce percellens. Nàm & Athei, in periculis ad Deum confugiunt, & in extremis positi, Deum, quem antè negaverant perduellium more subditorum, tandèm aliquandò agnoscunt. Quare hîc exclamare possumus Augustini verbis contrà Donatistas. *O! violentia veritatis, quæ suos in corde torquet inimicos,*

Quæ persuasio apparet esse divina. Ex Antiquitate.

Ex qualitate Sectatorum.

ut eam confiteantur inviti. Confirmatur 3°. Ex constantiâ, & perpetuitate istiusmodi persuasionis : nàm detegitur tandèm aliquandò falsitas, & quòd ait Augustinus, *Veritas ad tempus occultari potest, vinci non potest.* Ergò si persuasio Divinitatis, esset falsa quædam opinio jampridèm detecta fuisset ejus falsitas, & excussa ; maximè, cum sit importuna nimis, & onerosa persuasio : Atqui tamen ea persuasio, ab initio ad nos usquè integra perseveravit, sine ullâ interruptione ; quod contrà evenit humanis opinionibus, quæ per vices antiquantur, & renovantur : persuasio autèm Divinitatis nunquam fuit antiquata, & conditionem, seu immutabilitatem objecti sui sequens, nullam passa est mutationem, nisi quòd crevit in dies, & latiùs propagata est. Est ergò non humana quædam opinio, sed persuasio planè divina. Confirmatur 4°. Ex facilitate, & familiaritate notitiæ Dei, nàm nec rara est, nec rarò veniens, sed crebra, familiaris, & omni homini passim obvia, ità ut vulgi naturalis iste sermo sit, *Quod Deus dederit, si Deus velit, benedicat te Deus, Deus te sospitet, Deo te commendo, &c.* Quod observans Tertullianus, tenere se non potest, quin exclamet. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Hoc est, Deum quem Christiani prædicant, naturaliter confitentis.

Ex constantiâ & perpetuitate.

Ex facilitate & quasi familiaritate notitiæ Dei.

Apologet. c. 17.

Hæc satis pro demonstrabilitate Dei contra Atheos, summæ impietatis homines, verè inexcusabiles ; Nam *hæc summa delicti est* (inquit Tertullianus) *nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Mundum triplicem, Intelle-

ctualem, Physicum & Moralem, velut in aciem produximus, novem demonstrationibus pro Deo pugnantem: quibus si resistere pergant Athei, Deum respuentes sese tàm splendidè monstrantem, futurum profectò est, ut novi isti, & indurati Pharaones, Deum aliquandò sentiant, plusquàm novem plagis ferientem.

CAPUT II.

Termini Quæstionis explicantur.

An existentia Dei sit etiam immediatè evidens, & per se nota.

Objectum immediatè evidens quid sit.

PRæmitto 1°. Objectum immediatè evidens dicitur illud, cui adhæret firmiter intellectus, sine ullo medio demonstrante, ex quo objectum inferatur, idque, vel ex solâ penetratione terminorum, vel ex solo apprehendendi modo. Objectum evidens est ex solâ penetratione terminorum, quod penetratis terminis, statim evidenter apparet: penetrari autèm termini dicuntur, quandò auditis terminis, excitantur ideæ, ad quas significandas termini sunt instituti. Quare si auditis terminis, excitentur tales quædam ideæ, ut una in aliâ evidenter appareat, & illas invicem comparans intellectus, necessariò & sine hæsitatione conjungat; objectum evidens erit ex solâ penetratione terminorum, quo modo prima principia evidentia sunt. Objectum verò evidens est, ex modo apprehendendi, quod

Quid evidens, ex penetratione terminorum.

Quid evidens, ex modo apprehendendi.

ita apprehenditur, ut ipse apprehendendi modus, apprehendentem evidenter certificet, de existentiâ objecti. Ità evidens mihi est, me existere, aut cogitare, non ex terminis quidèm; nàm termini auditi non excitant ideas necessariò conjungendas, sed ex modo quodam apprehendendi intuitivo, & experimentali, qui dubitare me non sinit, quin existam, aut cogitem. Immediata autèm objecti evidentia, alia est absoluta & generalis, alia respectiva & particularis. Absoluta & generalis evidentia, est, cum objectum evidenter apparet omnibus, aut ferè omnibus. Respectiva & particularis, cum uni tantùm vel paucis apparet evidenter; seu propter perfectionem aliquorum intellectum; seu propter majorem intellectûs applicationem.

Evidentia immediata alia absoluta & generalis. Alia respectiva & particularis.

Præmitto 2°. Notum per se, idem est, quod evidens ex terminis: ità enim fert, & communis usus, & vox ipsa satis indicat. Dicitur enim notum per se, quod non indiget alio notificante. Quod verò non indiget alio notificante, ex ipsis terminis evidens est. Confirmatur ista termini acceptio ex Sancto Thoma. Nam *illa*, inquit, *dicuntur per se nota, quæ statim cognitis terminis cognoscuntur.* Quæ autem talia sunt, evidentia sunt ex terminis: contingit autèm, ut observat Sanctus Doctor, aliquid esse per se notum dupliciter: uno modo, secundùm se, & non quoàd nos: alio modo, secundùm se, & quoàd nos. *Ex hoc*, inquit, *propositio dicitur nota per se, quòd prædicatum includitur in ratione subjecti, ut homo est animal; nam animal, est de ratione*

Notum per se quid sit.

Notum per se, aliud tale est in se & non quoad nos aliud in se & quoad nos.

veritatem, quæ nobis in medio videtur esse, teneamus.

Thesis prima. Existentia Dei, non est per se nota quoàd omnes, seu non est immediatè evidens, evidentiâ absolutâ & generali. Probatur ratiocinatione Sancti Thomæ. Quia *nullus potest cogitare oppositum ejus, quod est per se notum quoàd omnes, cogitari autèm potest oppositum ejus, quod est Deum esse, secundùm illud Psalmi 52. Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Quo loco, significatur dictum interius, seu verus actus negans; non enim dissimulanter, & ore tenùs, sed interiùs, & in corde suo, *dixit insipiens, non est Deus.* Confirmatur. Si esset evidens immediatè, evidentiâ generali & absolutâ, Deum existere; vel esset evidens, ex modo quodam apprehendendi intuitivo, aut experimentali; vel esset evidens, ex penetratione terminorum: neutrum dici potest. Non primum. Quis enim hominum in terrâ viventium, intuetur, aut experitur existentem Deum. Non secundum. Quàm multi enim sunt, qui præcisè audiendo istos terminos, *Deus existit*, non continuò formant ideas satis claras, quas invicem comparando, necessariò, & sine hæsitatione conjungant.

Quæstio deciditur.

Non est per se nota quoad omnes.

1. part. quæst 2. art. 1.

Objicies 1°. Authoritatem Scripturæ nostræ, & Patrum Scripturam interpretantium. Dicitur enim Job 32. *Omnes homines vident Deum.* Quibus verbis significatur notitia Dei generalis, & immediata. In quem locum Hieronymus ait, notitiam Dei esse *naturaliter insitam cordibus nostris*; quod ipsum eleganter expres-

Quo sensu dicantur omnes homines videre Deum.

Lib. De testimonio animæ.

ſerat Tertullianus, conſcientiam Dei appellans, *dotem animæ à principio.* Reſpondeo. Eo Scripturæ loco indicari tantùm, notitiam Dei eſſe, & valdè communem, ità ut nemo ferè illâ careat, & valdè claram, ità ut æquivaleat intuitivæ, & experimentali; quamvis reipsâ, nec intuitiva, nec experimentalis ſit: ſicubi autem Patres cognitionem Dei dicant eſſe *naturalem, naturaliter inſitam, ingenitamque*, id tantùm volunt, cognitionem Dei haberi poſſe lumine naturali; quatenùs habet homo vim diſcurrendi naturalem, & innumera argumenta Divinitatis: Tertullianus verò, cum Dei conſcientiam appellat, *dotem animæ à principio*, ſignificat eam eſſe facilè parabilem; ità ut donata magis animæ, quàm acquiſita videatur.

Quo ſenſu per ſe nota ſit omnibus hæc propoſitio, Deus eſt juſtus.

Objicies 2°. Iſtæ propoſitiones, *Deus eſt Juſtus, Deus eſt ſapiens, Deus eſt colendus, &c.* Sunt immediatè evidentes, evidentiâ generali & abſolutâ, Ergò & iſta propoſitio, *Deus exiſtit*, quæ aliis neceſſariò præſupponitur, eſt pariter immediatè evidens. Reſpondeo. Diſtinguo Antecedens. Sunt immediatè evidentes, ſi faciant ſenſum abſolutum, Nego. Si faciant ſenſum conditionatum, Concedo Antecedens, Nego Conſequentiam. Nam, ſive Deus exiſtat, ſive non; vera ſemper, & evidens eſt iſta conditionalis, *ſi Deus exiſtit, colendus eſt.* Ratio à priori eſt, quia aſſenſus exhibitus propoſitioni conditionatæ, non præſupponit aſſenſum exhibitum conditioni.

Objicies 3°. Si exiſtentia Dei non eſt immediatè evidens, evidentiâ abſolutâ & gene-

rali ; poterit Deus ignorari invincibiliter ; multi enim ſunt valdè ſtupidi, qui diſcurſu non valent. Reſpondeo. 1°. Tranſeat ſequela. Neque enim eſt improbabile, aliquem naturæ ſuæ ſtupidæ relictum, poſſe ignorare Deum invincibiliter : certè ferunt Braſiliæ regionis incolas, cum primùm Luſitani in eas oras navigarunt, nullam Dei cognitionem præ ſe tuliſſe. Reſpondeo. 2°. Nego ſequelam. Quia Deus per immenſam charitatem ſuam, ſufficienter hominibus providit de ſui cognitione ; tùm per naturalem diſcurſum, tùm per Inſtitutionem, Doctrinamque Parentum, tùm etiàm per revelationem Divinam : niſi fortè homines Divino lumini aditum præcludant per abuſum rationis naturalis. Reſpondeo 3°. Etiàmſi exiſtentia Dei foret immediatè, & ex terminis evidens, non tamen indè fieret, Deum à nemine ignorari poſſe invincibiliter ; quia interdùm homini ſtupido, in mentem non veniunt, etiàm prima principia, quantùmvis ſint immediatè evidentia, & per ſe nota.

An & quomodo poſſit ignorari Deus invincibiliter.

Theſis 2ª. Exiſtentia Dei eſt per ſe nota quoàd aliquos ; ſeu, immediatè evidens evidentiâ particulari & reſpectivâ. Hæc Theſis nullatenùs pugnat cum ſuperiore : ſunt enim, ut notat Sanctus Thomas ex Boëtio, *quædam communes animi conceptiones, & per ſe notæ apùd ſapientes tantùm* ; ac proindè fieri poteſt, ut quamvis exiſtentia Dei, non ſit per ſe nota apùd omnes, ſit tamen per ſe nota apùd aliquos. Rem autem ità ſe habere probatur. Extrema iſtius propoſitionis, *Deus exiſtit*, interdùm apprehenduntur ſatis clarè, ut ſtatim

Exiſtentia Dei n ta eſt per ſe quoad aliquos.

appareat connexio extremorum : nam ſapientes, ſaltèm aliqui, ſtatim ut Deum audiunt, clarè concipiunt Ens aliquod perfectiſſimum, colligens in ſe omnem perfectionem poſſibilem : aliundè verò, clarè concipiunt iidem, neceſſitatem exiſtendi eſſe aliquam perfectionem, Ergò comparantes ideam Dei, & ideam neceſſitatis exiſtendi, clarè vident unam convenire alteri, ac proindè neceſſariò unam alteri tribuunt, ſine ope diſcursûs. Confirmatur 1°. Mathematico per ſe notum eſt, & immediatè evidens, triangulum eſſe figuram, quia in ideâ quam habet trianguli, clarè videt ideam figuræ. Ergò quicumque clarè videbit in ideâ Dei, ideam exiſtentis, per ſe notum erit, & immediatè evidens, Deum exiſtere. Atqui inſignis aliquis Theologus, ſive ex ſolâ auditione terminorum, ſive ex multis diſcurſibus præviis, formare poteſt ideam Dei, in quâ clarè videat ideam exiſtentis, Ergò inſigni alicui Theologo, poteſt eſſe per ſe notum, & immediatè evidens Deum exiſtere. Confirmatur 2°. Quia, quod vulgo hominum evidens eſt mediatè & per diſcurſum, ſummis ingeniis ferè evidens eſt immediatè, & ſine diſcurſu. Ratio à priori eſt. Quia neceſſitas diſcursûs tota ferè venit ex ideâ confusâ Antecedentis, quæ explicatione indiget : fit autèm ferè, ut quo tempore vulgus hominum ideas rerum confuſas habet, ſumma ingenia, claras habeant ; quare ingenia illa gigantum more, unico paſſu veritatem prehendunt, quam puſilla & nana, ut ità dicam, ingenia, non niſi diſcurrendo, & multiplici-

ter fatigando se, assequuntur. Atqui omni ferè homini, mediatè & per discursum evidens est, Deum existere, ut suprà demonstravimus, ergò &c. Confirmatur 3°. Quia multæ demonstrationes existentiæ Dei, quæ pro legitimis habentur, resoluuntur ultimò in propositiones aliquas non magis evidentes, quàm sit ista evidens, *Deus existit.* Ut facilè patebit comparanti.

Objicies 1°. Sancto Thomæ visa est argumentatio nostra merum Sophisma. Sic enim habet, prima parte, quæstione 2. articulo 3. ad 2. *Dato etiàm*, inquit, *quòd quilibet intelligat hoc nomine, Deus, significari illud, quo majus cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quòd intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum naturâ, sed in apprehensione intellectus tantùm; nec potest tolli, quod sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest, quod non est datum à supponentibus Deum non esse.* Età Sanctus Doctor. Respondeo. Nego Antecedens. Neque enim locus ille Sancti Thomæ pugnat contra nos, & verum omninò est, quod ait Sanctus Doctor, ex eo præcisè, quòd quis concipiat quocumque modo ens, quo majus cogitari non potest, non statim ei apparere, quod tale ens existat in re: quicumque enim concipiendi modus non sufficit, ad assensum evidentem; quia potest apprehendi Deus ità confusè, ut vi apprehensionis non appareat existentia Dei. Sed non negat Sanctus Thomas, quin à viro sapiente, & docto Theologo, formari possit talis Dei conceptus, qui

Neque hoc negat Sanctus Thomas.

existentiam clarè, & formaliter importet; undè, habens ejusmodi conceptum, & simul conceptum existentiæ, unum alteri necessariò, & sine hæsitatione tribuit.

Cur non sit pariter omnibus per se nota.

Objicies 2°. Non omni homini evidens est ex penetratione terminorum, Deum existere, Ergò nulli. Respondeo. Nego consequentiam, Quia non omnes eodem modo terminos penetrant: alia est enim terminorum penetratio perfecta, alia imperfecta; nàm interdùm auditis terminis, excitantur ideæ confusæ, interdùm etiàm claræ excitantur. Dico igitur, viros doctos & ingeniosos, quicumque auditis terminis istius propositionis, *Deus existit*, formant ideas satis claras, ut in ideâ Dei clarè videant ideam existentis, habere immediatam evidentiam existentiæ Dei; quam evidentiam non habent alii, quibus ex auditione terminorum, similes ideæ non excitantur.

Cur negetur à viris etiam doctis ista evidentia, aut non habeatur.

Instabis. Viris etiàm doctis, & ingeniosis terminos perfectè penetrantibus, non tamen evidens est immediatè, Deum existere; magni enim Doctores immediatam istam evidentiam negant. Respondeo. 1°. Magni Doctores cum negant evidentiam immediatam Dei, absolutam dumtaxat & generalem negant, non respectivam & particularem. Respondeo 2°. Circa istiusmodi evidentias, facile est hallucinari; nàm sicut interdùm nobis moveri videmur, etiàm cum maximè quiescimus; ità nobis videmur aliquandò discurrere, cum minimè discurrimus. Respondeo 3°. Fieri posse, ut viris etiàm ingeniosis & doctis, non semper immediatè appareat existentia Dei, non defectu

claritatis idearum, ſed defectu attentionis ad ideas; quam fortè attentionem viri docti aliquandò non habent.

Objicies 3°. Si exiſtentia Dei eſt ità evidens, ut Jàm diximus, à nemine poterit ignorari Deus. Reſpondeo. Diſtinguo ſequelam, à nemine non hebete, tranſeat, à nemine hebete, Nego. Sunt enim homines ferè non homines, qui in hoc mundi libro, quamvis imperitorum liber eſt, veritates non vident, caracteribus grandioribus exaratas, legere nimirùm, & primas rerum ſyllabas aptare neſcii: quare fieri poteſt, ut aliquis hebes, hebetudini ſuæ relictus Deum ignoret; ſicut fieri poteſt, ut patentem, & benè lucentem ſolem, cæcus aliquis non videat.

Ignorari poteſt Deus ab homine ſaltem hebete.

Inſtabis. Saltèm non poterit negari Deus ab homine ingenioſo & non hebete. Reſpondeo. Diſtinguo. Non poterit negari Deus, in ſenſu compoſito attentionis ad argumenta Divinitatem ſuadentia. Concedo. In ſenſu diviſo, Nego. Sed poteſt homo ingenioſus facere ſenſum diviſum, ſeu intellectum removere à conſideratione talium argumentorum, quod, negotium eſt voluntatis depravatæ. Nam 1°. Poteſt voluntas facere indirectè, ne intellectus aſſentiatur objecto alicui evidenti, quatenùs poteſt facere voluntas, ne intellectus attendat ad objectum, aut ad media objectum demonſtrantia. 2°. Poteſt eadem voluntas facere, ut intellectus objecto evidenti poſitivè diſſentiatur; quia interdùm objectum evidens habet aliquam difficultatem, quæ difficultas eſt umbra quædam, & ſpecies falſi: atqui

Imò & ab homine non hebete negari.

quandò apparet species aliqua falsi in objecto; potest voluntas imperare dissensum, ergò &c. Hinc generatim explicabis. Quomodo à viris etiam ingeniosis, negentur interdùm propositiones verè evidentes; & in præsenti materiâ intelliges, quomodo dicat insipiens in corde suo, *non est Deus*, in corde nimirùm suo, quia ità Judicat agente pravo affectu, & illius error, non tàm intellectûs error est, quàm voluntatis.

Evidentia existentiæ Dei nihil impedit divinam ejusdem revelationem.

Objicies 4°. Deus revelavit existentiam suam; nam Exodi 3. dicit Dominus ad Moysen. *Ego sum qui sum, & sic dices Filiis Israël, qui est, misit me ad vos.* Quibus verbis continetur clara, & formalis revelatio existentiæ Dei, Ergò existentia Dei non est ità evidens: nam revelatur id solùm, quod obscurum est, ut sonat ipse terminus revelationis. Revelatio enim est quasi quædam reductio veli, quo res anteà tegebatur. Accedit quòd, si existentia Dei est evidens, Jàm ista Dei revelatio superflua est, & nullius usûs. Respondeo. Nego consequentiam, ejusque probationem. Quia quamvis ex primariâ Institutione, revelatio significet reductionem veli aliquid tegentis, à Theologis tamen applicatur iste terminus, ad significandum quodcumque dictum Dei aliquid testificantis; atqui dicere potest Deus & testificari, id quod est evidens, Ergò quamvis evidens sit existentia Dei, potuit Deus revelare, seu testificari existentiam suam. Nec verò inutilis est, aut superflua ea testificatio, habet enim usum multiplicem. Primus est, pro hominibus stupidis. Isti enim more cæcorum,

Eaque revelatio usum habet multiplicem.

ſi Deum præſentem non vident, loquentem audiunt, & quaſi de voce agnoſcunt, quem de vultu non norunt. Secundus uſus ſpectat homines mediocris & vulgaris ingenii, qui non ità penetrant demonſtrationum noſtrarum vim, ut non ſuboriatur identidem aliqua ſuſpicio latentis Sophiſmatis; valet autèm divina revelatio ad tranquillandum animum, eaſque dubitationum moleſtias abigendas. Tertius uſus ſpectat homines ſapientes, quibus & minuitur labor, & creſcit meritum ex Divinâ revelatione: Jàm enim, nec ad aliorum Inſtructionem, neceſſe habent fatigari, in quærendis demonſtrationibus quas vulgus intelligat, nec ipſis ad privatam rerum Divinarum meditationem præmittere opus eſt humanos & naturales diſcurſus; ſiquidem revelationem habent Divinam, in quâ acquieſcere poſſunt, majore merito, & certitudine non minore. Quartus uſus reſpicit aliarum revelationum fidem: nam ex iſtius revelationis veritate, per naturalem rationem compertâ & quaſi palpatâ, præſumitur veritas aliarum, quæ rationem humanam ſuperant. Quintus deniquè uſus, eſt commendatio bonitatis Dei: neque enim ſatis habuit uti legatione creaturarum ad nos, & alienâ, ut ità dicam, voce ſe prodere, vel in ideis noſtris, ut in imagine monſtrare, ſed inſuper ſe ipſe propriâ quaſi voce indicare voluit, & familiariter dicere, *Ecce ego ſum*,

Inſtabis 1°. Credimus, & credere tenemur exiſtentiam Dei; non creditur autèm, quod evidenter apparet. Ergò, &c. Reſpondeo.

Nihil ergo vetat quominùs existentia Dei credatur fide divinâ.

Sunt qui negent, esse obligationem credendi existentiam Dei fide divinâ propriè dictâ, hoc est, fide, quæ nitatur testimonio Dei; quia sufficere putant, si firmiter teneamus Deum existere, undecumquè veniat firmitudo adhæsionis nostræ. Verùm hæc sententia displicet: suppono enim nunc, quod est alterius loci, esse obligationem credendi existentiam Dei fide divinâ propriè dictâ, secundum illud Pauli ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Nam ea Apostoli verba intelligi debent de fide propriè dictâ, si intelligi possint, possunt autem, nihil enim vetat ità intelligi. Et verò, eâdem fide tenemur credere, quòd Deus existat, quâ fide tenemur credere, quòd Deus remunerator sit; tenemur autèm credere fide divinâ propriè dictâ, quòd Deus remunerator sit. Ergò, &c. Quare permissâ majore, Nego minorem: existentia enim, quamvis evidenter appareat, credi potest fide divinâ propriè dictâ: quod, ut clarè intelligatur. Distinguo duplicem statum, seu dispositionem intellectûs circà existentiam Dei. Primus, est status evidentiæ actualis: cum scilicet intellectus evidenter cognoscit Deum esse, sive immediatè, & ex clarâ penetratione terminorum, qui modus paucorum est, sive mediatè, ex attentione actuali ad argumenta divinitatem demonstrantia, qui modus evidentiæ communis est. Secundus status est inevidentiæ actualis: cum scilicet intellectus non cognoscit evidenter Deum esse, sive ex summâ naturæ hebetudine, sive ex defectu

attentionis actualis ad argumenta divinitatem demonstrantia, aut ad ideas mentales in quibus apparet; potest enim intellectus removeri à consideratione talium argumentorum, aut idearum. Quâ distinctione statuum præsuppositâ. Dico 1°. Existentia Dei credi potest fide divinâ propriè dictâ, saltèm cum intellectus positus est, in statu inevidentiæ actualis. Ratio est, quia intellectus in statu inevidentiæ actualis, nullum habet impedimentum, quominùs utatur revelatione divinâ, tanquàm medio ad existentiam Dei Judicandam: nam si quod haberet impedimentum, maximè evidentiam de objecto, sed in statu inevidentiæ, evidentiam non habet, Ergò &c. Atque hæc est expressa mens Sancti Thomæ, in responsione ad primum Articulo 2. Quæstione 2. *Nihil enim*, inquit, *prohibet, quod secundum se demonstrabile est, & scibile, accipi ut credibile ab aliquo, qui demonstrationem non capit.* Dico 2°. Existentia Dei credi potest fide divinâ propriè dictâ, etiàm cum intellectus est in statu evidentiæ actualis: tenentur enim viri docti & sapientes credere existentiam Dei, Ergò vel seorsim ab evidentiâ suâ, vel conjunctim cum illâ. Non seorsim, quia evidentiam suam, nec abjicere tenentur, nec satis aliquandò possunt, Ergò tenentur credere in statu evidentiæ actualis. Certè cum Deus noster *amictus sit lumine sicut vestimento*, ut loquitur Propheta, quantumvis se colligat intellectus, omnemque aditum præcludere conetur, vix umquàm impediet, ne quid divini luminis illabatur: in eo autèm illapsu, quis putet virum

Saltem quandò intellectus est in statu inevidentiæ actualis.

Imò & in statu actualis evidentiæ.

doctum recitare non posse Symbolum suum; nisi fortè supprimat prima Symboli verba. *Credo in Deum.* Sed longè difficilius est, ne dicam impossibile, facere omninò, ne recurrat memoria demonstrationum Dei antè-habitarum; quemadmodùm Geometra, qui fortè millies demonstravit aliquam propositionem impedire non potest, quin meminerit se olim propositionem demonstrasse, quamvis jàm medium demonstrationis exciderit; actualis autèm illa memoria demonstrationis antè-habitæ, æquivalet ipsi demonstrationi, in ordine ad excludendam dubitationem, & formidinem de objecto. Quare si credi non potest existentia Dei, in statu evidentiæ actualis, miseranda potiùs est, quàm invidenda Doctorum hominum conditio, quibus fraudi est sua ipsorum scientia; per illam enim privantur exercitio fidei supernaturalis, quæ omni naturali evidentiâ potior est. Meliùs ergò pro causâ sapientum, quorum maximè interest, ità fideles esse posse, ut rationales esse non desinant, meliùs (inquam) dicitur, fidem existentiæ Dei cum evidentiâ actuali sociari posse. Ratio ulterior est. Quia nihil vetat intellectum uni eidemque objecto assentiri, propter motivum evidens, & simul propter motivum divinæ authoritatis, sive per unum eundemque actum, sive per duos, de quo non multùm curant solidi Theologi.

Eaque concordia non repugnat Sancto Thomæ.

Instabis 2°. Ista concordia fidei divinæ cum evidentiâ displicet Sancto Thomæ, sic enim loquitur Sanctus Doctor quæst. 2. art. 2. ad 1. *Dicendum, quòd Deum esse, & alia hujusmodi,*

quæ per rationem naturalem nota esse possunt de Deo; non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Respondeo. Nego Antecedens. Dico ex mente Sancti Thomæ, ea quæ per rationem naturalem nota sunt, formaliter sumpta, seu prout nota sunt ratione naturali, non esse articulos fidei, quia motivum fidei non est ratio naturalis; quamvis eadem, si præcisè sumantur à ratione naturali, & accipiantur cum motivo divinæ authoritatis, sint veri articuli fidei: quam subtilem distinctionem indicavit ipse Sanctus Thomas eodem loco aiens, *Quod demonstrabile est, posse accipi ut credibile ab aliquo, qui demonstrationem non capit.* Hoc est, qui à demonstratione præscindit, nec objectum considerat, ut apparens per demonstrationem. Cæterùm, ea quæ per rationem naturalem nota sunt, dicuntur ad fidem præambula, non quòd ipsa non sint aliquid de fide, sed quia sunt prima objecta fidei, naturali ordine aliis præsupposita, & in serie rerum credendarum, quasi agmen ducunt: neque novus est iste loquendi modus, nam dux anteire dicitur exercitum, quamvis ipse sit de exercitu, Ergò objecta dici possunt pariter ad fidem præambula, quamvis ipsa sint de fide.





QUÆSTIO II.

De unitate seu singularitate Dei.

JACTO feliciter totius Religionis fundamento, seu solidè stabilitâ contra Atheos existentiâ Dei, quæ omnium veritatum prima est; superstruere oportet contra Polytheos Unitatem, seu Singularitatem Dei; quæ secunda veritas est cum primâ ità connexa, ut, quod ait Tertullianus, *Deus non sit, si unus non est.* Unitatem autèm hîc accipimus, pro unitate illâ, per quam res ita est una & singularis, ut omnem multiplicitatem excludat, non specificam tantùm, sed etiàm numericam. *Quo modo* (inquit Bernardus.) *Sol unus est, quia non est alter, & Luna est una, quia non est altera.* Demonstrare igitur habemus, Deum ita esse unum per exclusionem pluralitatis Deorum, ut plures dii nec sint, nec esse possint. Sunt enim 1°. Ingenia quædam dura, ne dicam fortia, quibus nondùm satis apparet evidenter Unitas & Singularitas Dei; quare Polytheismum in genere, vel tacitè admittunt, vel non satis apertè rejiciunt. 2°. Sunt, aut fuerunt qui Polytheismum aliquem in specie sequuntur, numerum & conditionem Deorum determinantes. Nos primo loco, contra Polytheismum in genere, deindè verò, contra Polytheismum in specie, Unitatem & Singularitatem Dei demonstrabimus.

Lib. 1. contra Marc. c. 3.

CAPUT PRIMUM.

Demonstratur unitas & singularitas Dei contra Polytheismum in genere.

THesis Unica. Evidens est Deum esse unum & singularem, per exclusionem omnis pluralitatis Deorum.

Unitas & singularitas Dei demonstratur. Ex ipsâ Dei notione populari.

Demonstratur 1°. Ex ipsâ Dei notione populari : nàm evidens est, esse non posse plures Deos, si ipsa Dei notio pluralitatem Deorum evidenter excludat; sicut evidens est, non posse esse circulum infinitum, quia ipsa notio circuli formaliter importat rationem figuræ essentialiter terminatæ. Atqui ipsa Dei notio evidenter excludit pluralitatem Deorum. Nam quid tandem est Deus? Certè aliquid omnium Primum, Optimum, Maximum, *Hoc enim*, inquit Augustinus, *omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponitur*, ea verò notio Dei evidenter excludit pluralitatem, quia ex ipsis terminis repugnat plures esse res, quarum quælibet sit omnium prima, quælibet optima, quælibet maxima. Nam si essent, exempli causâ, duo dii, unus esset altero melior, & simul non esset. Melior quidem esset, quia ex suppositione Deus esset, ac proindè aliquid omnium optimum : non esset autèm melior, quia haberet collegam divinitatis meliorem se, aut certè non inferiorem. Hæc ferè est solida ratiocinatio Tertul-

De Doct. Christ. c.7.

liani ex conceptu Summi Magni deprompta. *Nam quæ est*, inquit, *conditio Summi Magni, ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud Summum Magnum, quia si fuerit, adæquabitur, & si adæquabitur, non erit jàm Summum Magnum, eversâ conditione, &, ut ità dicam, lege, quæ Summo Magno nihil sinit adæquare; Ergò unicum sit necesse est, quod fuerit Summum Magnum, par non habendo, ne non sit Summum Magnum.* Confirmatur 1°. Deus ex conceptu suo habet omnem perfectionem possibilem. Repugnat autèm duas naturas realiter distinctas, habere singulas omnem perfectionem possibilem, una siquidèm non habebit eam perfectionem, per quam distinguetur ab alterâ. Nam ea perfectio quæ est discretiva duarum, non potest esse utrique communis. Ergò suppositio pluralitatis Deorum destruit formaliter conceptum Dei: & stat firmum illud, quod *Catholica veritas distinctè pronunciavit*, ut loquitur Tertullianus, *Deus si non unus est, non est.* Confirmatur 2°. Magna quædam perfectio est, non habere æqualem: ut vel ex eo patet, quòd omnes singularitatem affectant, & summæ ambitionis votum sit, non habere parem: pluralitas autèm Deorum detraheret Deo singularitatem, & communitatem induceret. Confirmatur 3°. De ratione perfectissimi est, ut sit aliquid tale, à quo cætera omnia pendeant, ejusmodi enim conceptus melior est opposito; sed in hypothesi plurium Deorum, non stat ille conceptus, unus enim Deus ab altero non penderet. Ergò in hypothesi plurium Deorum, nullus esset Deus.

Lib. 1. contra Marcion. c. 3.

Deus. Quare, ut rectè concludit Athanasius, perindè est dicere multos esse Deos, ac nullos esse, & Polytheismus, quidam Atheismus est, quemadmodum in politicâ multitudo principum est ruina principatus, & Poliarchia Anarchia est. *Contra Gentiles.*

Demonstratur 2°. Unitas Dei ex unitate mundi, juxtà illud Ambrosii, *Unum Deum communis natura testatur, quia unus est mundus.* *Lib. 12. de fide c. 1.* Videtur enim satis impossibile, ut plures ad productionem istius rerum universitatis, sine discordiâ convenerint; neque minùs impossibile est, ut in eodem rerum tenore servando plures conveniant: quod egregiè explicat Lactantius similitudine multiplici. *Non possunt*, inquit, *in unâ civitate multi esse rectores, nec in unâ domo multi Domini, nec in unâ navi multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges; sed nec in cœlo, multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures, in uno corpore: adeò in unitate natura universa subsistit.* Confirmatur 1°. Quia ad productionem mundi, vel sufficit unus de pluribus diis, vel opera omnium necessaria est; si sufficit unus, alii omnes superflui sunt ad productionem mundi, & potuit esse mundus, diis etiam otiantibus & invitis. Quis autem seriò dixerit Deum esse, sine quo mundus esse potuerit? si autèm unus non sufficit. Ergò Deus imbecillis est, qui solus non est mundo idoneus, & alienâ ope indiget. Confirmatur 2°. Si penderet mundus à pluribus diis, non staret diu ordo iste rerum, sed brevi turbaretur, singulis omnia ad arbitrium

Ex unitate mundi.

De ira Dei c. 11.

ſuum trahentibus, ut ſolidè ratiocinatur idem Athanaſius contrà Gentiles. *Quo ferè modo*, inquit, *nec navis ſi gubernetur à multis rectè curſum tenere poteſt, nec cythara concentum edere, ſi à multis pulſetur.* Confirmatur 3°. Si plures dii mundum regerent, omnes eſſent liberi; eſt enim libertas, magna perfectio divinitatis. Quæro igitur, vel poſſent velle pugnantia, vel non poſſent. Si dicas poſſe. Velit ergò unus ſolem moveri, & alter velit eſſe immobilem, uter (Amabo) in eâ contentione prævalebit? uterque prævalere non poteſt, quia pugnantia volunt, ſupereſt ergò, ut vel unus prævaleat, in quâ ſuppoſitione apparet imbecillitas alterius, vel prævaleat neuter, in quo caſu uterque eſt impotens, qui facere non poſſit, quod velit. Si autem eos neges poſſe velle pugnantia. Contrà eſt, quòd omninò videtur impoſſibile, voluntates perfectè liberas ad idem volendum ſemper neceſſitari.

Ex communi ſenſu hominum de Deo uno.

Demonſtratur 3°. Ex communi ſenſu hominum. Nam de uno Deo, omnium penè una opinio eſt, & quidam naturæ inſtinctus, quem pulchrè appellavit Tertullianus, *Teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ*, hoc eſt, unum Deum naturaliter, Chriſtiano more profitentis. *Audio*, inquit Minutius, *audio vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt, &, Deus magnus eſt, &, Deus verus eſt, &, ſi Deus dederit.* Vulgi iſte naturalis ſermo eſt? An Chriſtiani confitentis oratio. Plura non dico, pro demonſtratione unitatis Dei; vide quæ ſupra diximus, pro de-

In Octav.

monstratione existentiæ : nam utraque veritas, eodem stat gradu certitudinis, & claritatis.

Objicies 1°. Multiplicitas individuorum est quædam naturæ perfectio ; nam quò plura sunt naturæ individua, eò natura perfectior est. Naturæ autèm divinæ competit omnis perfectio, Ergò & individuorum multiplicitas. Respondeo. 1°. Cum Augustino, multiplicitatem esse defectum entis, non perfectionem : *nihil, enim* (inquit) *est esse, quàm unum esse : itaque, in quantùm quodque unitatem adipiscitur, in tantum est.* Ergò cum natura divina maximè omnium sit ens, maximè omnium debet una esse, ac proindè omnem multiplicitatem excludere. Respondeo 2°. Esto, multiplicitas individuorum sit perfectio naturæ limitatæ & imperfectæ, quæ nihil habet multiplicitati repugnans ; non est tamen perfectio naturæ illimitatæ, & perfectissimæ, cujusmodi est natura divina ; quia natura illimitata & perfectissima, est essentialiter immultiplicabilis : nam *duo summa magna quomodo consistant* (inquit Tertullianus,) *cum hoc sit summum magnum, par non habere ; par autem non habere, uni competat, in duobus esse nullomodo possit.* Respondeo 3°. Multiplicitas individuorum facit quidem ad perfectionem quandam naturæ extensivam, quatenùs plura individua, sunt plures naturæ, sed non facit ad perfectionem naturæ intensivam : quamvis enim Socrates esset unicus homo, natura humana in Socrate, non esset minus perfecta intensivè ; quia eadem haberet prædicata essentialia, quæ nunc

Lib. 1. de morib. Manich.

Individuorum multiplicitas naturæ defectus est magis quàm perfectio

Lib. 1. contra Marc. c. 3.

habet. Perfectio autèm extensiva naturæ, non est perfectio pura, & simpliciter simplex (ut loquuntur) sed tantùm perfectio secundùm quid, imperfectione mixta, & pugnans cum perfectione meliori, unitate scilicet, & singularitate. Naturæ igitur divinæ formaliter inesse non potest, cui formaliter inest quod melius est.

Objicies 2°. Ponamus esse duo individua naturæ divinæ, stabit in utroque tota ratio divinitatis; utrumque enim habebit omnem perfectionem possibilem, divinitati essentialem: nam, si qua uni perfectio deesset, maximè differentia numerica alterius, sed defectus perfectionis illius nullatenùs impedit, quominus habeatur omnis perfectio divinitati essentialis; tùm quia differentia numerica, non est essentialis naturæ; tùm quia pugnat cum perfectione æquali, ac proindè est tantùm perfectio secundùm quid; perfectio autèm secundùm quid, non est divinitati essentialis. Respondeo. In neutro individuo futuram essentiam divinitatis, quia neutrum haberet omnem perfectionem divinitati essentialem. 1°. enim, Neutrum haberet singularitatem illam, quâ fit, ut Deus parem non habeat. 2°. Neutrum haberet *Superabundantiam Divinam*, ut loquitur Divus Thomas, quâ fit, ut Deus omnia excedat. 3°. Neutrum haberet cumulum omnium perfectionum possibilium, unum enim individuum careret perfectione alterius: nam quod additur, essentiam Dei non postulare, ut, quiDeus est, habeat perfectiones secundùm quid, est omninò falsum; essentia enim Dei

Lib. 1. Contra Gentes c. 45.

In duobus naturæ divinæ individuis essentia divinitatis stare non potest.

continet omnem perfectionem possibilem, aut formaliter, aut eminenter : formaliter quidèm eas perfectiones, quæ appellantur simpliciter simplices : eminenter verò, perfectiones secundùm quid. Atqui in hypothesi plurium Deorum, unus non contineret formaliter perfectionem numericam alterius, ut per se patet, nec contineret eminenter, quia differentia unius, non esset melior differentiâ alterius.

Objicies 3°. Si non esset multiplicabilis ratio essentiæ divinæ, non erit multiplicabilis ratio personæ : Nam si repugnet esse plures naturas, quarum quælibet sit perfectissima, videtur æquè repugnare esse plures personas, quæ singulæ perfectissimæ sint. Si plures naturæ concordes esse non possint, in productione, aut conservatione rerum; quomodo pluribus personis benè conveniet. Respondeo. Nego sequelam. Disparitas est, quia quælibet Persona Divina, ut persona est, non est simpliciter, & in omni genere perfectissima; sed perfectissima dumtaxàt secundùm quid, & in suo genere : paternitas v. g. perfectissima non est in omni genere, sed in genere paternitatis, &c. Nihil autèm repugnat, plura esse perfectissima secundùm quid, & in suo genere. At verò essentia divina est aliquid simpliciter, & in omni genere perfectissimum, quod profectò stare non potest in pluribus. De concordiâ autem dico, personas divinas non posse esse discordes, quia unam eandemque voluntatem habent; sed plures naturæ divinæ, cùm diversas haberent voluntates, easque omninò liberas, & à se invicem independen-

Cur ratio personæ divinæ multiplicabilis sit, non ratio essentiæ.

tes, non videtur possibile, ut semper in omnibus convenirent. Sed quomodo personarum divinarum multiplicitas conciliari possit, cum unitate essentiæ divinæ, fusiùs tractabitur suo loco, ubi de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

CAPUT II.

Demonstratur unitas & singularitas Dei contra Polytheismum in specie.

Species Polytheismi multiplex.

DUplicem distinguo Polytheismi speciem. Alius est Polytheismus Gentilium, qualem scilicet finxerunt Gentiles idololatræ. Alius est Polytheismus Hæreticorum, qualis nimirùm placuit Hæreticis nonnullis, Christi nomen & sectam profitentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Contra Polytheismum Gentilium.

Contra Polytheismum Gentilium.

POlytheismo Gentilium, opponere quidèm possumus demonstrationes omnes, quæcumque militant contrà Polytheismum in genere; sed præter illa communia, tria sunt argumenta Patrum singularia, quæ addere placet, non tàm meis, quàm ipsorum verbis.

Primum Argumentum est. manifesta quædam absurditas.

Primum Argumentum est, manifesta quædam absurditas Polytheismi Gentilium: nàm

ea ſententia abſurda, & ſtolida eſt, quæ detrahit Deo omnes ferè perfectiones, quas ipſo naturæ lumine clarum eſt, eſſe maximè proprias divinitatis, Deo affingens attributa, quæ manifeſtè Deo indigna ſunt: talis autèm eſt Polytheiſmus Gentilium, ut facilè patebit, enumeratione aliquot ejuſmodi abſurditatum inſignium. Prima eſt. Quòd Deo tollit æternitatem, & immortalitatem ſuam: quatenùs Deos exhibet temporales, qui & incœperunt eſſe, & mortui ſunt. *Antè Saturnum*, inquit Tertullianus, *Deus penes vos nemo eſt, ab illo cenſus totiùs, vel potioris, vel notioris divinitatis: itaque, quod de origine conſtiterit, id, de poſteritate conveniet.* Saturnum autem hominem fuiſſe, nec Gentiles negant, & ſi fortè negarent, de ſuis antiquitatum inſtrumentis convinci poſſent. *Antrum Jovis*, inquit Cyprianus, *In Cretâ viſitur, & ſepulchrum ejus oſtenditur; quare dicendum eſt, totum operis divini examen, tàm eſſe mortale, quàm ſeminis ſui par.* Secunda abſurditas eſt. Quòd Deo tollit independentiam ſuam; Deos enim inducit ab alio factos, non à ſe ipſis. *Quia ſi ſeipſi facere Deos potuiſſent, nunquàm homines fuiſſent, poſſidentes ſcilicet melioris conditionis poteſtatem. Ergò neceſſe eſt, eſſe aliquem ſublimiorem Deum, & mancipem quendam divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit.* Dii igitur & nati & facti ſunt: ſi autèm aliquandò nati ſunt (quærit lepidè Cyprianus,) *cur non hodieque naſcuntur, niſi, ſi fortè Jupiter ſenuit, aut partus in Junone defecit.* Tertia eſt. Quòd Deo tollit neceſſitatem exiſtendi: quatenùs Deos

Apolog. c. 1.

Lib. De Idolol.

Lib. de idol.

facit contingentes, & arbitrarios. Nàm *ſtatus Dei cujuſque, in Senatûs æſtimatione pendebat: Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet, & nolendo damnaſſet.* Nec Senatûs tantùm, ſed privatorum etiam hominum arbitrio divinitas permittebatur. Homines enim politi & ingenioſi in Deos conſecrabant, quos paulò antè luctu publico mortuos confeſſi erant. Quarta. Quòd Deo tollit immutabilitatem, & beatum illum ſtatum, omni malo inacceſſum: Deos enim exhibet patentes vulneri, & humanis caſibus obnoxios; putà, Venerem humanâ ſagittâ ſauciatam, *Martem tredecim menſibus in vinculis penè conſumptum. Quinta. Quòd Deo tollit Sanctitatem: Deos enim repreſentat Sceleratiſſimos, ut, Jovem adulterum, Mercurium furem, Junonem invidam, Larentinam publicum Scortum, &c. Quare graviter Gentiles reprehendit Tertullianus, quòd in diis conſecrarent eadem Scelera, quæ in hominibus puniebant. *Quid ergò damnatis*, inquit, *quorum collegas adoratis? ſugillatio eſt in Cœlo, veſtra Juſtitia.* Sexta. Quòd Deo tollit intelligendi vim, proprium caracterem divinitatis: Deos enim inducit inanimes, *quos milvi & mures, & Aranea intelligunt; putà nimirùm ſimulacra, & materias ſorores vaſculorum, inſtrumentorumque communium.* Septima. Quòd Deo tollit omnipotentiam: invehit enim turbam puſillorum Deorum, qui nihil ferè poſſint. *Unuſquiſque* (ait Auguſtinus,) *Domi ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omninò ſufficit: tres Deos iſti poſuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinam li-*

Apolog. cap. 11.

mini : ità, non poterat Forculus ſimul fores & cardinem, limenque ſervare. Octava. Quòd Deo tollit majeſtatem ſuam, deprimendo divinitatem ad ipſas uſque animantes : quod Romanis Tertullianus exprobrat, Chriſtianos ſimul vindicans à calumniâ, quâ caput aſini adorare dicebantur, *Vos tamen*, inquit, *non negabitis & jumenta, & tauros, & canterios cum ſuâ Hipponâ coli à vobis; hoc forſitan improbandum, quod inter cultores pecudum beſtiarumque, aſinarii tantùm ſumus.* Nec beſtias tantùm, ſed res alias quaſque indigniſſimas Gentiles pro diis habuerunt : nam (ut notat Cyprianus,) *deam quoque Cloacinam, Tatius & invenit, & coluit, pavorem Hoſtilius & pallorem; mox, à neſcio quo, febris dedicata, & Aca, & flora meretrices : atqui hi ſunt dii Romani..* Sed hæc pluſquàm ſatis de abſurditate Polytheiſmi Gentilium : nec enim omnia dicere velim, quia, ut cum Auguſtino argumentum noſtrum concludam, *piget me, quod illos non pudet.*

Apolog. cap. 16.

Lib. de idol.

Secundum. Ipſa conſcientia Gentilium.

Alterum Argumentum Patrum contra Polytheiſmum Gentilium, eſt ipſa Gentilium conſcientia, Deos ſuos non modò clàm, ſed etiam palàm ridentium. *Appellamus* (ajebat Tertullianus,) *& provocamus à vobis ad conſcientiam veſtram, illa nos Judicet, illa nos damnet.* Porrò iſtam Gentilium conſcientiam colligebat Tertullianus, partim ex ſapientum & ingenioſorum ſenſu : Nàm *quis non Poëta*, inquit, *ex authoritate principis ſui dedecorator invenitur Deorum : de Philoſophis taceo, Socrate contentus; qui in contumeliam Deorum, quer-*

Apolog. cap. 14.

cum, & *hircum*, & *canem dejerabat* : partim, ex sermone ipsius vulgi imperiti, Deum passim, non Deos nominantis; nec ad Capitolium, sed ad Cœlum respicientis · partim denique, ex publico & patenti Deorum contemptu, quem contemptum multipliciter præferebant. 1°. Quidem, quòd Deos suos venderent; nam *Domesticos*, inquit, *Deos, quos Lares dicitis, domesticâ potestate tractatis, pignorando, venditando, demutando, aliquandò in cacabulum de Saturno, aliquandò in trullam de Minervâ; ut quisque contritus atque contusus est, dùm diu colitur.* 2°. Quòd Deos vectigales haberent. *Jure*, inquit, *publico fœdatis, quos in hastario vectigales habetis : divinitas addicta conducitur.* 3°. Quòd de diis quæstum facerent. *Majestas Quæstuaria efficitur; exigitis mercedem pro Solo Templi, pro aditu Sacri : non licet Deos nosse gratis, venales sunt.* 4°. Quòd Deos riderent in mimis suis, quorum argumenta erant, *Et Mœchus Anubis, & masculus Luna, & Diana flagellata, & Jovis mortui testamentum recitatum.* 5°. Quòd producerentur ab Histrionibus in Scenam, *Ubi luget Sol filium jactatum de Cœlo, lætantibus vobis; & Cybele Pastorem suspirat fastidiosum, non erubescentibus vobis.* 6°. Quòd Deorum personæ agerentur à vilissimis, & impurissimis hominibus : Nam *sæpè imago Dei vestri, vestit ignominiosissimum caput. corpus impurum, Minervam repræsentat; Nonnè violatur Majestas, & Divinitas constupratur, laudantibus vobis.* 7°. Quòd in Deorum templis præsertim peccarent. Nam *constat, in templis adulteria componi, inter Aras*

Apolog. cap. 13.

Ibidem.

Ibidem.

Apolog. cap. 15.

Apolog. cap. 15.

Ibidem.

Lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditorum & Sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis & tapetibus, & purpuris, thure fragrante, libidinem expungi. Undè concludens, *Nescio*, inquit, *plus de vobis dii vestri, quàm de Christianis querantur.* Ibidem.

Tertium Argumentum est fides & constantia Christianorum Martyrum, qui Polytheismum sanguine magis, quàm ratione expugnarunt: fuit enim hæc præcipua, & iniqua caussa persecutionum nascentis Ecclesiæ; cum Christiani passim accusarentur sacrilegii, & modis omnibus torquerentur, velut contemptores Deorum. Hoc tamen nobis (inquit Tertullianus,) qui propter Deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quòd eadem & ipsi dii patiuntur, ut fiant. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos? quod simulacrum non priùs Argilla deformat, cruci & stipiti superstructa? in patibulo primùm corpus Dei vestri dedicatur. Unguibus deraditis latera Christianorum: At, in Deos vestros, per omnia membra validius incumbunt asciæ: ignibus urimur, hoc & illi, à primâ quidem massâ: ad metalla damnamur, indè censentur dii vestri. Si per hæc constat divinitas aliqua, Ergò qui patiuntur, consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.

Tertium. fides & constantia Martyrum Christianorum.

Apolog. cap. 12.

Objicies. Polytheismus omnium ferè gentium opinio fuit, omnes autem in errorem consentire non possunt: Polytheismus antiquissimus est, à primis usque temporibus veniens; novitati autèm debet præscribere antiquitas: Polytheismus diu multùmque duravit,

est autem ea mendacii natura, ut brevi detegatur. Ità ferè Gentiles, pro sua superstitione contra Christianos arguebant. Respondeo. Antè omnia, triplicem distingui oportere Polytheismum. Mentalem scilicet, Vocalem & Realem. Polytheismum mentalem appello, persuasionem animi internam, circa pluralitatem Deorum. Vocalis autèm est, cum pluribus rebus per abusum tribuitur *incommunicabile Dei nomen.* Realis in eo consistit, quòd multis rebus divini honores exteriùs reddantur. Undè, primus, est Polytheismus mentis. Secundus, est Polytheismus linguæ. Tertius, est Polytheismus actionis. Hâc distinctione præmissâ,

Polytheismo Gentilium nihil favet, seu universalitas, seu antiquitas, seu diuturnitas.

Dico primò, circa universalitatem Polytheismi. Polytheismum mentalem, sapientum & ingeniosorum non fuisse; ea enim est sententiæ absurditas, quæ in sapientem & ingeniosum cadere vix possit. Igitur, sapientes & ingeniosi, Deorum pluralitatem; vel apertè negabant, ut Socrates, propterea damnatus, quia Deos destruebat; vel privatim inter suos, & in sinu redibant, ut plerique Romani, Epicurum eatenùs secuti, & Epicuri imaginem propterea in sinu gestantes; vel deniquè in scriptis publicis, ità Deos asserebant, ut simul ridiculos facerent: quo modo scripsit Tullius de naturâ Deorum, cujus libri, ut in Deos contumeliosi, posteà cum Christianorum libris combusti sunt, temporibus Diocletiani. Polytheismus ergò mentalis, fuit tantùm multitudinis imperitæ: imò, nec propriè loquendo, illius fuit, quia imperita plebs non

Polytheismus mentalis paucorum admodùm fuit.

ſatis intelligebat, quid nomine Dei ſignificaretur. Quare nego Polytheiſmum mentalem adeò fuiſſe communem, fuit enim paucorum, & ferè ſtupidorum. Communis ergò Polytheiſmus vocalis tantùm fuit, aut realis; quatenùs homines *Dei nomen incommunicabile* Lapidibus & lignis impoſuerunt, non ſatis intelligentes quid dicerent; aut creaturis ſupremum cultum exhibuerunt, rebellium more ſubditorum, qui ſæpè regios honores deferunt iis, quos probè ſciunt reges non eſſe, ſed Tyrannos.

Dico ſecundò. Contra Antiquitatem Polytheiſmi, valere illud Tertulliani, *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium Regnorum.* Valet quoque illa ejuſdem reſponſio ad Gentiles. *Antiquitatem prædicatis, & novè in dies vivitis*, novos enim Deos quotidiè inducebant, ablegatis etiam veteribus. Valet deniquè. Quòd ſententia de Unitate Dei longè antiquior eſt Polytheiſmo : Polytheiſmi enim & notantur initia, & origo vitioſa oſtenditur, eaque multiplex. Prima eſt. Quam notat Tertullianus, licentia, ſeu pictoria, ſeu poëtica : pictoribus enim atque poëtis, quibus omnia licent, libuit multiplicem fingere divinitatem. Secunda eſt. Quam notat Paulus ad Rom. præſumptio Philoſophorum; *qui evanuerunt in cogitationibus ſuis, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Tertia. Quam notat Auguſtinus, Methodus malè intellecta quorumdam ſapientum, qui plura nomina Deo tribuebant, & divinitatem quaſi partiebantur

Sententia de unitate Dei Polytheiſmo antiquior.

In Apolog.

Polytheiſmi origo vitioſa eaque multiplex.

C. 1.

Lib. de Meth.

in plures perfectiones; inde enim plebs occasionem accepit errandi, & divinitatem multiplicandi. Quarta. Indicata à Cypriano, fuit regum ambitio: reges enim non contenti humanis honoribus, divinos affectarunt: indè illis instituta Templa, indè ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra, *indè posteris facta sunt Sacra, quæ priùs fuerant assumpta solatia.* Quinta. Fuit adulatio, & avaritia populorum, regum ambitioni turpiter servientium, propter bona temporalia obtinenda. Hinc appellatur à Paulo avaritia, *Idolorum servitus.* Sexta. Causa fuit nimius amor parentum in filios: quæ causa tangitur Sap. 14. ubi dicitur, *à luctu dolens parens, citò rapti filii fecisse imaginem, & illum, qui tùm quasi homo mortuus fuerat, nunc, ut Deum colere cœpisse.* Septima, Fuit dæmonum fraus divinitatis umbram multipliciter captantium: illi enim *Spiritus insinceri & vagi,* (ut loquitur Cyprianus,) *Sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt, afflatu suo vatum pectora inspirant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula effundunt, falsa veris semper involuunt.* Habent ergò Gentiles, si ad originem Polytheismi redeant, unde erubescant.

Lib. de idol.

Ad Coloss. 3.

Lib. de idol.

Polytheismi diuturnitas veritatis Indicium non est.

Dico tertio. Quòd pertinet ad diuturnitatem Polytheismi, nullum omninò veritatis indicium esse: tùm quia incredibilis fuit Polytheismi inconstantia: tùm quia popularis error, in materiâ præsertim religionis, morbus est curatu difficillimus; populus enim hoc videre non potest, quòd erret. Ad hæc, nutriebant errorem iidem hominum mores, qui errorem

invexerant ; fovebat politica principum, quòd ex mutatione religionis timerent rerum mutationem : accedebat constans astutia diaboli, populo malè credulo illudentis. Addere possumus iram & Justitiam Dei, qui homines Dei cognitione abutentes tradiderat in reprobum sensum, miserabilem idololatriæ statum permittens; tùm ad Justitiam suam, tùm ad Christi venturi necessitatem demonstrandam. Ille enim est, qui *Spolians potestates*, Deos gentium traditurus erat *confidenter*, *palàm triumphans in semetipso*, ut loquitur Apostolus. *Ad Col. c. 2.*

ARTICULUS II.

Contra Polytheismum Hæreticorum.

DEos, non pictoria tantùm, aut Poëtica licentia multiplicat, sed etiam Hæretica : nam Polythei fuere nonnulli Priorum temporum Hæretici, imprimis autem Valentiniani, Marcionitæ, & Manichæi, quos omnes refutare satis erit absurditate, & inconsequentiâ Doctrinæ suæ : habent enim singuli delitia sua, quæ breviter perstringam, & pro merito singulorum.

§. I.

De Polytheismo Valentini.

DIco. Polytheismus Valentini ineptissima fabula est, aut series malè texta ineptissimarum fabularum. Explicatur ex ipso Ter- *Explicatur*

& rejicitur Polytheismus Valentini.

Advers. Valent.

tulliano. Valentinus Ægyptius, Antonini Imperatoris temporibus, cum primum professus esset Romæ Catholicam fidem, fortè Episcopatum speraverat, quia & ingenio poterat & eloquio; sed alium ex Martyrii prærogativâ, loci potitum indignatus, *de Ecclesiâ authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi proprio ratu exuti, præsumptione ultionis accendi.* Conversus est ad expugnandam veritatem, triginta Deos, quos *Æonas*, seu sæcula nominavit, admittens, *usque enim ad triginta Æonum fætus, tanquam Æoniæ scrophæ, examen Divinitatis effudit.* Rejicitur autem fabula. 1°. Ipsorum silentio & dissimulatione Hæreticorum: Nam Valentiniani, frequentissimum inter Hæreticos collegium, nihil magis curant, quàm occultare, quod prædicant. *Confusio nimirùm prædicatur, dum religio asseveratur.* 2°. Ipsâ profunditate, seu obscuritate fabulæ; est enim intricatissima: quare, si bonâ fide quæras (inquit Tertullianus,) concreto vultu & suspenso supercilio, altum est, aiunt. Hinc est, quod Catholicos, ut simplices traducerent, se autem solos sapientes jactarent. Sed abscondat se serpens quantùm potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet in cæca, detrudatur per anfractus, seriem suam evolvat, tortuosè procedat, nec semel totus, Lucifuga bestia; nostræ columbæ domus simplex est, etiàm in editis semper, & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus Sancti; nihil quippè veritas erubescit, nisi solummodo abscondi. 3°. Solâ expositione fabulæ: quem refutandi modum sequitur

ſequitur Tertullianus, fabulam ridere contentus : Nam *ſi ridebitur*, inquit, *materiis ipſis ſatisfiet, multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur.* Et verò quis non rideat *Bython & Sygen*, hoc eſt, profunditatem & ſilentium, prima rerum omnium principia, Divinitatem tricenariam, triginta Æonum fœtus enixam, Æonum conjugationes, Nuptiales Thalamos, copulationes, emiſſiones & Genealogias indeterminatas, quas demonſtrare, damnare eſt. Pleniorem ſingulorum refutationem, ſi quis velit, videri poteſt Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, Doctrinarum omnium curioſiſſimus explorator, qui Valentinianos Æonas, *cucumeres*, *pepones & cucurbitas* appellat. Neceſſe habebat ille fabulam diſtinctiùs perſequi, quia Rhodani populos peſtis illa jàm infecerat. Nobis ultrà progrediendum eſt.

Dices. In Scripturâ plerumque fit mentio plurium Deorum, inducitur enim Deus aliquis Deorum in Sion, prædicantur Filii excelſi, &c. Reſpondeo 1°. In Scripturâ mentionem nuſquam fieri triginta Deorum, quem numerum gratis fingebat Valentinus ; ſed neque Deos, Æonas, aut Sæcula, Scriptura nominavit. Sicubi igitur mentio plurimorum Deorum fit in Scripturâ, intelligenda res eſt, vel in ſenſu Gentilium, ſimulacra ſua Deos appellantium ; ità Deus noſter dicitur eſſe præ omnibus diis, hoc eſt, præ omnibus quos Gentiles, ut Deos adorabant ; vel dicendum eſt, fieri abuſum & ampliationem nominis ; quatenùs ſcilicet nomen Dei transfertur ad

Quo ſenſu Scriptura plurium Deorum mentionem faciat.

imaginem Divinitatis; quò ferè modo multos soles esse dicimus, cum in nube multi soles pinguntur; nam imago quidèm divinitatis potest esse multiplex, at ipsa divinitas unica est.

§. II.

De Polytheismo Marcionis.

Explicatur & exploditur Polytheismus Marcionis.

DIco. Polytheismus Marcionis insigniter peccat in multis. Explicatur. Marcion ille, quem *primogenitum diaboli* appellabat Polycarpus Smyrnensis Episcopus, quale monstrum fuerit, depingit Tertullianus sub initium libri 1. De unico Deo contra Marcionem: ubi postquàm multa dixit de Ponto Marcionis Patriâ, deque regionis duritie ac barbarie, ad hominem veniens, *sed nihil*, inquit, *tàm Barbarum ac tàm triste apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus est.* Duos autem Ponticus iste Deos asserebat: unum scilicet, quem negare non poterat Creatorem, hoc est, nostrum: alterum, quem probare non poterat, id est, suum, unum, bonum, alterum, malum: unum, creatorem; alterum, reparatorem: unum, visibilium, alterum, invisibilium factorem: unum, Deum legis, alterum, Deum Evangelii; Nam propterea Antitheses scripserat Marcion, hoc est contrarias oppositiones Legem inter & Evangelium, ut ex diversitate sententiarum utriusque testamenti, diversitatem quoque Deorum argumentaretur. Dico autem ejusmodi Polytheismum peccare insigniter in multis.

1°. Quidem. Peccat in numero Deorum. Rationem enim *Summi Magni* multiplicat, quæ non est multiplicabilis, Lippientibus nimirùm etiam singularis Lucerna *numerosa est.* 2°. Peccat in definiendò Deorum numero: nam si duo, cur nòn plures? *Locupletiorem enim credi oporteret substantiam Divinitatis, si competeret ei numerus. Honestior atque liberalior Valentinus*, qui ad triginta usque numerum extendit: certè, si multiplicitas sit perfectiò naturæ Divinæ, ei tribuenda est quàm maxima, Ergò jàm non duos Deos; sed infinitos admittere oportebit. 3°. Peccat in disparitàte Deorum suorum: duos enim Deos non æquales, aut similes, sed omninò inæquales & dissimiles, unum altero superiorem ac meliorem repræsentat, *desinit autem, & destruitur Deus, si subjiciatur.* 4°. Peccat in constitutione Dei sui, illum enim novum facit; quis autem Deus novus, nisi falsus? Verus enim Deus, nec in seipso novus est, cum necesse sit æternùm esse; nec in cognitione novus, Deus enim ignotus esse non potuit. *Invenio quidem* (ait Tertullianus,) *ignotis diis Aras prostitutas, sed Attica idololatria est, item incertis diis, sed superstitio Romana est.* Deum item inducit, cui mundus iste totus extraneus est, cum tamen hoc Dei sit, omnia illius esse, & omnia ad illum pertinere. Sicut " enim creator ex hoc probatur Deus, & in- " dubitatus Deus, quia omnia ipsius, & nihil " extraneum illi, ità & alius idcircò non Deus, " quia omnia non ejus, ideoque extranea. " Deum fingit insuper nullo suo opere insignem, "

Tert. eodem lib.

Ibidem.

Lib. 1. contra Marc.

Unam saltem Cicerculam Deus Marcionis propriam protulisse debuerat, ut novus aliquis Triptolemus prædicaretur. Denique Deum exhibet imaginariè tantùm, stupidè, & imperfectè bonum, qui nihil omninò ulciscatur, nihil puniat, neque enim *plenè bonus est, nisi qui mali æmulus, & vindex est.* 5°. Peccat in constitutione Dei Creatoris; illius enim Divinitatem agnoscit simul, & destruit: nam & Deum Creatorem, alteri Deo subjicit, & vult malum esse, non bonum, rerum visibilium conditorem, non invisibilium. 6°. Peccat in consequentibus: nam & legem rejicit, tanquam à Deo Creatore latam, Resurrectionem carnis negat, damnat nuptias, quippè quæ tendunt ad propagationem carnis, Christum putativè tantùm, & in phantasmate apparuisse vult, non autem in verâ carne. Istorum autem omnium ratio est, quia carnem putat esse à Deo malo.

Deus Creator quomodo non malus.

Objicies cum Marcionitis. Est aliquis Deus bonus, sed Deus Creator, bonus non est: Ergò est alius Deus distinctus â Creatore. Minorem probant multis argumentis. Nam 1°. (inquiunt) Deus creator hominem fecit malum & peccatorem. 2°. Fecit diabolum instinctorem peccati. 3°. Excusari non potest à peccato ipsa substantia Creatoris; anima enim quæ in homine peccat, est flatus Dei, & portio quædam divinæ substantiæ. Ità illi. Quibus respondet indignans Tertullianus. *O! canes quos foras expellit Apostolus, latrantes in veritatem Dei: hæc sunt argumentorum ossa, quæ abroditis.* Nego igitur Minorem. Ad primum

autem dico, bonitatis esse quòd Deus hominem fecerit, eumque liberum fecerit: quòd autem peccaverit homo, non Dei culpam esse, sed hominis; culpa enim libertatis non ei imputari debet, à quo data est. Præsciebat ergò Deus hominem peccaturum, & peccatum impedire poterat, sed idcircò impedire noluit, quia si impediisset, rescissâ arbitrii libertate quam permiserat, exclamasset Marcion: *O! Dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit. Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? Cur intercedit, si permisit.* Ad secundum pariter dico, Angelum à Deo factum esse bonum: nam sapientissimus erat, antequam diabolus, ut habetur multis scripturæ locis, propriâ igitur voluntate, & malus, & mendax, & diabolus factus est. Ad tertium. Nego peccatum cadere in substantiam Creatoris, anima enim ità est flatus Dei, ut non sit ipsa Dei substantia, sicut flatus hominis in fistulam, homo non est, nec urceus factus à figulo, figulus est, opus enim aliud sit ab artifice, necesse est: atqui anima, est opus Dei Creatoris.

Contra Marc. lib. 2.

Instabis 1°. Deus creator sævus est; nam, vehementer irascitur, & punit, & in æternum damnat, quæ omnia non sunt Dei boni. Respondeo cum Tertulliano. Usque ad « delictum hominis, Deus à primordio tantùm « bonus, exindè judex, & severus; ità prior « bonitas Dei, secundùm naturam, severitas « posterior, secundùm causam, illa ingenita, « hæc accidens, illa propria, hæc accommodata, « Deus igitur sævus non est, sed Justus: «

Quomodo non sævus sed justus.

Contra Marc. lib. 2.

„ justitiam malam nemo dixerit, quæ malo non „ favet, nemo non bonam, quæ bono prospi- „ cit : omne quippe opus justitiæ, procuratio „ est bonitatis. Idem, quia bonus est, & justus. „ Nam quis author boni, nisi qui & exactor? „ quis mali extraneus, nisi qui inimicus? quis „ inimicus, nisi qui & expugnator? quis ex- „ pugnator, nisi qui & punitor? sic totus Deus „ bonus est, dum pro bono, omnia est. Addo insuper. Deum non posse esse perfectè bonum, si non idem justus sit; nam qualis esset Deus, & quomodo bonus, sub quo delicta gauderent, & ei diabolus illuderet, qui hominem faceret magis malum severitate delicti.

Instabis 2°. In Evangelio proponitur duplex arbor, una bona, altera mala; quæ duplex arbor Deum duplicem repræsentat, unum bonum, alterum malum : bona autem arbor non facit fructus malos, Ergò Deus qui facit fructus malos, non est bonus Deus; sed Deus Creator malos fructus facit, ipse enim se profitetur conditorem malorum. Respondeo. Similitudinem geminæ arboris ad homines, non ad Deos pertinere, ut vel hinc patet, quòd arbor mala dicitur excidenda, & mittenda in ignem; hoc autem Deo convenire non potest: quòd autem additur, Deum esse conditorem malorum; distinguenda sunt duo malorum genera, mala scilicet culpæ, & mala pœnæ : & malorum quidem culpæ, Deum negamus esse authorem, sed ultrò fatemur authorem esse malorum pœnæ, quæ scilicet judici congruunt; nam hæc, illis tantùm mala sunt, quibus rependuntur, alioquin bona,

Quomodo & quorum malorum conditor.

quia justa, & bonorum defensiva, & delictorum inimica, & in hoc ordine, Deo digna. Quod si Marcion credendum putat Deo Creatori profitenti se mala facere, eidem pariter credendum est, asserenti se facere bona. Ità ad omnia occurrit Deus *idem percutiens & sanans, mortificans & vivificans, humilians & sublevans* : Ergò ab uno eodemque principio, & bona, & mala procedunt.

§. III.

De Polytheismo Manichæi.

DIco. Polytheismus Manichæi nihilò melior, imò longè fabulosior Polytheismo Marcionis. Explicatur. Manichæus natione Persa, conditione servus, qui & Curbicus dicebatur; se ipse Apostolum Jesu Christi nominare solebat. Non quòd se unum de Apostolis putaret esse, sed quòd eo titulo insinuare vellet, se esse paracletum illum Spiritum veritatis, à Christo Apostolis promissum, ut observat Augustinus, in libro contra Epistolam fundamenti; in quâ Epistolâ Doctrinæ suæ fundamenta jaciebat Manichæus : Admisit autem duo rerum principia æterna, sibi invicem contraria, duasque naturas & substantias, unam boni, alteram mali; Duas item terras conterminas, terram lucis & terram tenebrarum : mundum verò istum, non ex nihilo factum, sed ex permixtione boni & mali concretum; ipsum etiam hominem constare ex duobus principiis, ex bono quidem secundùm

Explicatur & rejicitur Polytheismus Manichæi.

animam, ex malo autem secundùm corpus. Atque hæc sunt fundamenta Manichæismi, quibus superædificati sunt errores innumeri minùs ad præsentem quæstionem pertinentes. Peccat autem ista Manichæi sententia. 1°. Quòd rerum principia æterna duo constituat, cum tamen necesse sit unicum esse. 2°. Peccat in constitutione principii boni, & terræ lucis: nam principium illud finitum facit, lo- „ co terminatum, quippe cui contermina sit ad „ unum latus terra tenebrarum, tanquam si „ unus panis in quadras quatuor decussatim for- „ metur, in quibus sint tres candidæ, una ni- „ gra: & quidem tres candidæ terram luminis, „ nigra vero terram tenebrarum repræsentet. Ridet Augustinus & meritò ridet tam defor- „ mem turpemque fissuram, vel scissuram Dei, „ tàm inaniter supra hiulcum, tàm deformiter „ infra obscuratum; & Antropomorphitas, qui Deo humanam formam tribuebant, honestiùs de Deo sentire probat, quàm Manichæos. Deinde, corruptibilem facit Deum error iste, commutabilem, violabilem, indigentiæ & miseriæ obnoxium; animam quippe Deum esse dicit vel partem Dei: *Nec video* (inquit Augustinus,) *quomodo Deus non sit, quæ pars Dei dicitur*: Nam *&* *auri pars, aurum est, & pars aquæ, aqua est, & pars lucis, lux est: sed esto, Dei pars Deus non sit, non tamen erit incorruptus Deus, in cujus parte corruptio est.* 3°. Peccat in constitutione summi mali; nam summum malum vult esse naturam, & substantiam, nulla autem natura seu substantia malum esse potest; quia malum est,

quod contra naturam eſt. Deinde, in ſummo malo multa bona admittit; ſiquidem bona ſunt, firmitas corporis, viſus, auditus, locutio, fœcunditas, ſolum genitale, libertas, vita, *quæ omnia*, inquit Auguſtinus, *in illo mali regno fuiſſe perhibetis, & ſummum malum audetis aſſerere.* 4°. Peccat in multis conſequentibus, præſertim in materiâ morum, quæ omnia eleganter & ſolidè pluribus libris refellit Auguſtinus, aliquandò & ipſe Manichæus. Quâ de re Eccleſiam ſic pulchrè alloquitur. *Te ergò Sponſa veri Chriſti Eccleſia Catholica alloquar & ego te pro modulo meo, qualiſcumque Filius & ſervus tuus, poſitus in te diſpenſare cibaria conſervis meis: cave ſemper & cave Manichæorum impiam vanitatem, ille me quondam error excuſſerat, expertus fugi, quod experiri non debui, ſed tibi profuerint etiam pericula mea; cui nunc ſervit liberatio mea.* *Lib. contra Epiſtolam fundamenti.*

Objicies cum Manichæis. Eſt aliqua mala ſubſtantia, ſed mala ſubſtantia non eſt à bono, ergò eſt à malo principio. Antecedens ſic probabat olim Auguſtino unus de primatibus Manichæis: vellem, aiebat, habere ſcorpio- «
nem, in manu hominis ponere, ac videre «
utrum non ſubtraheret manum; quod ſi face- «
ret, non verbis, ſed reipsâ convinceretur ali- «
quam ſubſtantiam malam eſſe: quandoquidem «
illud animal eſſe ſubſtantiam non negaret. «
Reſpondeo. Nego Majorem. Ad probationem autem dico cum Auguſtino, Manichæum illum primatem pueriliter egiſſe cum pueris. Quis enim meliuſculè imbutus & eruditus non videat, Scorpionem, & alia quæ mala dicuntur *Malum non eſt aliqua ſubſtantia.*

per inconvenientiam lædere, & rursus per convenientiam non lædere, sæpè etiam commoda non parva conferre; nam si illud venenum per seipsum malum esset, eundem Scorpionem magis priusque interimeret; at contra si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interibit: Ergò illius corpori bonum est, quod nostro malum est, item illi bonum est habere id, quo nobis bonum est carere; quia scilicet venenum illud cum corpore Scorpionis convenientiam habet, inconvenientiam cum nostro.

Instabis 1°. Si malum non est aliqua substantia, quid tandem erit, certè quidquid sit malum, non erit à principio bono, superest ergò ut sit à principio malo. Respondeo. Ad quæstionem mali Manichæis familiarem, multiplicem affert Augustinus conceptum mali, unde hæresim Manichæi penitus destruit. Ac 1°. Quidem malum esse dicit, quod est contra naturam: quo semel constituto, evertitur hæresis Manichæi, nulla enim natura malum est, sed quod contra naturam est, id, est malum. *Vestra igitur illa gens mali* (inquit Augustinus,) *quam vultis esse summum malum quomodo erit contra naturam, id est, contra substantiam, cum eam, naturam atque substantiam esse dicatis.* 2°. Malum definit id quod nocet, quidquid autem nocet bono aliquo privat eam rem cui nocet: nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet; atqui in illa gente quæ summum malum dicitur, cuique rei noceri non potest; vel enim noceretur summo malo, sed in summo malo nihil boni est, sed

Multiplex mali conceptus ex Augustino.

nocere, est privare aliquo bono : vel noceretur summo bono, istud autem incommutabile & inviolabile est, ergò nullo bono privari potest. 3°. Malum, inquit Augustinus, est corruptio : corruptio autem non est in seipsâ, sed in aliquâ substantiâ quam corrumpit, non enim substantia, est ipsa corruptio; ea igitur res quam corrumpit corruptio, malum non est ; quod enim corrumpitur, integritate & sinceritate privatur, integritas autem & sinceritas bonum est ; non igitur quod corrumpitur bono caret : Ergò gens illa tenebrarum, si omni bono carebat, corrumpi non poterat, non enim habebat quod ei posset auferre corruptio, quæ si nihil auferat non corrumpit. *Audete jam dicere si potestis, Deum & Dei Regnum potuisse corrumpi, si diaboli regnum quale describitis, quomodo corrumpi possit, non invenitis.* 4°. Malum est inconvenientia, quæ sine dubio substantia non est, & à substantiâ removeri potest : quo in genere, exemplum affert Augustinus cujusdam facinorosæ mulieris Atheniensis, quæ venenum, quod certo modulo damnati hauriebant paulatim bibendo, sine ullo vel levi incommodo valetudinis, effecit ut biberet : itaque cum esset aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quam consuetudine vicerat, accepit, ut cæteri, non, ut cæteri extincta est. Hæc ferè Augustinus in quæstione unde sit malum, sapienter præmittens quid sit malum, ne ignotæ rei, quod absurdissimum est, origo quæratur. Sed ad quæstionem, unde sit malum,

Unde sit malum.

valdè intricatam clarè decidendam, mihi videtur opus esse ulteriori distinctione. Distinguo igitur Bonitatem duplicem, unam Physicam, alteram Moralem. Bonitas Physica est rei perfectio, idem enim est bonum, quod perfectum, ut ait Sanctus Thomas. Moralis est ea rei perfectio, quâ fit ut conformiter rectæ rationi & legi æternæ operetur. Hinc patet, distingui posse duplicem rationem mali, Physicam & moralem. Ratio mali Physica quæ substantiæ convenit, est imperfectio substantiæ, seu negatio perfectionis quæ in substantiâ non est. Ratio autem mali moralis est ea imperfectio substantiæ, quâ fit ut difformiter rectæ rationi operetur. Rursus bonitas substantiæ Physica, alia absoluta est, alia respectiva. Bonitas absoluta substantiæ, est perfectio substantiæ considerata in seipsâ, quatenùs sibi ipsi bona est. Bonitas respectiva, est ea perfectio quâ fit, ut substantia sit bona & conveniens alteri. Hinc patet rationem mali Physicam, aliam item esse absolutam, aliam respectivam. Ratio mali absoluta est ipsa imperfectio substantiæ sine respectu ad aliud: Ratio mali respectiva est disconvenientia substantiæ cum alio: quod autem disconvenit, vel est negativum aliquid; vel positivum; negativum, seu negatio rei disconvenit ipsi rei cujus est negatio; positivum, ut calor disconvenit frigori, & aqua disconvenit igni. His positis triplex nascitur quæstio. Prima est- Unde sit malum Physicum absolutum. Secunda. Undè sit malum Physicum respectivum. Tertia. Unde sit malum morale. Quas omnes

quæstiones breviter decidere oportet, ut summum illud malum & principium mali, Manichæismi scilicet idolum destruatur.

Pro decisione ergo primæ quæstionis, unde sit malum physicum absolutum, statuendum est 1°. Esse aliquam substantiam summè bonam, quia est aliqua substantia summè perfecta habens omnem perfectionem possibilem, sine ulla imperfectione aut defectu, & hæc substantia, Deus est. 2°. Nulla alia substantia est summè bona, quia nulla alia substantia ità perfecta est, ut non habeat defectum aliquem. 3°. Nulla substantia esse potest summè mala physicè, omnes enim substantiæ habent aliquam perfectionem, & consequenter aliquam bonitatem physicam. 4°. Substantia creata physicè sumpta dici potest mala secundùm quid, hoc est non summè bona & aliquam habens imperfectionem. 5°. Substantia creata in quantùm physicè bona est, à Deo est, pertinet enim ad perfectionem summi boni, ut nihil bonum sit, quod ab ipso non sit. 6°. Substantia creata in quantùm deficit à bono, propriè loquendo à Deo non est; quia Deus causa non est, cur à bono deficiat. Hæc est ratiocinatio Augustini. *Quocirca* (inquit) *cum in Catholicà dicitur omnium naturarum atque substantiarum esse authorem Deum, simul intelligitur ab eis, qui hoc possunt intelligere, non esse Deum authorem mali. Quomodo enim potest ille qui omnium quæ sunt, causa est ut sint, causam esse rursus ut non sint, id est, ut ab essentiâ deficiant & ad non esse tendant.* 7°. Defectus ille perfectionis ulterioris, in quo solo posita est ratio

Unde sit malum physicum absolutum.

Lib. de moribus Manich. c. 2.

mali physici absoluti, nullam causam habet propriè dictam. Non physicam, quia defectus ille non est aliquid positivum, sed mera negatio. Non moralem, defectus enim ille nulli causæ liber est, sed essentialiter alligatus naturæ creatæ; nam sicut essentiale est Deo ut sit ens summè perfectum, ita essentiale creaturæ est, ut sit ens limitatum, & habens negationem alicujus perfectionis.

Unde sit malum physicum respectivum.

Pro decisione autem secundæ quæstionis, unde sit malum physicum respectivum, statuendum est. 1°. Esse aliquam substantiam summè bonam etiam bonitate respectivâ, quia est aliqua substantia ità conveniens & necessaria cæteris omnibus, ut sine illâ cætera esse non possint. 2°. Nulla est substantia summè mala etiam malitiâ respectivâ, quia nulla est substantia quæ omni substantiæ disconveniat, nam neque disconvenit sibi ipsi, neque disconvenit substantiæ summè bonæ, quæ cum omni substantia benè convenit. 3°. Substantia creata, partim bona est respectivè, partim mala, quia partim conveniens est, partim disconveniens; convenit enim uni & disconvenit alteri, ut longâ inductione demonstrat Augustinus. 4°. Naturæ creatæ bonitas respectiva à Deo est; quia bonitas illa respectiva, seu convenientia quam habet res una cum alterâ, est aliquid positivum & absolutè bonum, ut supponimus. 5°. Naturæ autem creatæ malitia respectiva, seu disconvenientia cum altero etiam à Deo est. Ista enim disconvenientia, vel est aliquid positivum consistens in naturâ & qualitatibus utriusque termini, qualis est disconvenientia aquæ & ignis,

caloris & frigoris, uterque autem terminus absolutè bonus est. Vel importat aliquid negativum, ut disconvenientia substantiæ cum negatione sui, quæ malum est substantiæ; ista autem negatio à Deo est suo modo, quatenùs scilicet Deus liberè non conservat substantiam, potens illam conservare, quare Deo imputari potest quod substantia non sit, propterea dicitur Deus *formans lucem & creans tenebras.*

Unde sit malum Morale.

Ad decisionem denique tertiæ quæstionis, unde sit malum morale, statuendum est 1°. Esse substantiam aliquam summè bonam bonitate morali, quæ substantia Deus est, summam habens necessitatem, ut omnes sui affectus rectæ rationi & legi æternæ conformes sint, omnes infinitè honesti. 2°. Nulla esse potest substantia summè mala moraliter, talis enim substantia, vel peccaret necessitate, quod ex terminis repugnat; nam peccatum essentialiter voluntarium est, vel peccaret tantùm voluntate, & consequenter mala esset, non conditione naturæ sed voluntate; quæcumque igitur substantia mala est moraliter, voluntate talis est, non necessitate aut conditione naturæ. 3°. Malum igitur morale seu peccatum, est à voluntate creatâ non à Deo. Deus enim substantiæ quidem causa est, quæ substantia mala dicitur, quia ejusmodi substantia bona est, sed non est causa malæ voluntatis, quæ substantiam facit moraliter malam; quare cum audimus, *omnia ex ipso & per ipsum & in ipso* omnes utique naturas intelligere debemus, inquit Aug. quæ naturaliter sunt, neque enim ex ipso sunt peccata quæ naturam non servant, sed vitiant, quæ

peccata ex voluntate peccantium esse, multis modis scriptura testatur. Sed hæc pluribus in materiâ de peccatis suo loco.

A principio summè bono potest esse aliquid mali physici respectivi, non autem absoluti, quia nullum tale est.

Objicies 1°. principium summè bonum non potest esse causa ullius mali etiam respectivi, quale malum est dolor, privatio, destructio. Videtur enim illud longè melius esse, quod ita bonum, est ut nulli omninò rei nocere possit, ergo principium, est aliqua substantia summè mala. Respondeo, nego Ant. Principium enim summè bonum, est summè perfectum, ac proindè habet dominium perfectissimum in cætera omnia, debet ergo posse producere, conservare, destruere pro arbitrio. Adde quod, privationes & destructiones rerum non parum conferunt ad pulchritudinem universi; nam & Deus certa loca & tempora non illuminando, tenebras facit tàm decenter, quàm dies: Si enim
„ nos (inquit Aug.) continendo vocem decen-
„ ter interponimus in loquendo silentium, quan-
„ to magis illas rerum omnium privationes de-
„ center facit rerum omnium perfectus artifex.
„ Unde & in hymno trium puerorum lux & te-
„ nebræ laudant Deum, id est, ejus laudem in be-
„ nè considerantium cordibus pariunt.

Nàm nec diabolus nec ignis æternus diabolo paratus est aliquid physicè & absolutè malum.

Instabis. 1°. sunt mali Angeli, mala est potestas nocendi data diabolo & principibus malis, malus item est ignis ille æternus, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, hæc omnia mala sunt, ergo non sunt à principio bono. Respondeo ad primum. Angeli non à Deo mali sunt conditi, sed ipsi peccando facti sunt mali. Ad secundum, potestas nocendi ipsa mala non est, sed illius usus, quia injustum non est ut reprobis

reprobis accipientibus nocendi potestatém, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Certè per potestatem diabolo datam, & Job probatus est, ut Justus appareret, & Petrus tentatus est, ut non de se præsumeret, & Paulus Colaphizatus, ne se extolleret, & Judas damnatus, ut se suspenderet. Ad Tertium. Ignis ille æternus, malus non est absolutè, sed respectivè tantùm, nimirum damnatis malus est, quorum peccatis est debitus.

Nec mala erat arbos quam Adamus appetendo peccavit

Lib. de Gen.

Instabis. 2°. peccatum est appetitio naturæ malæ, quomodo enim quis peccet appetendo quod bonum est, & quomodo peccavit homo appetendo arborem vetitam, si mala non fuit arbor. Respondet Augustinus. Peccatum non est appetitio naturæ malæ, sed desertio melioris: non ergo naturam malam homo appetiit " cum arborem vetitam tetigit, sed id, quod me- " lius erat deserendo, factum malum ipse com- " misit: melior quippè creator, quàm ulla crea- " tura quam condidit, cujus imperium non erat " deserendum, ut tangeretur prohibitum, quam- " vis bonum. Non itaque arborem malam Deus " in Paradiso plantaverat, sed ipse erat melior " qui eam tangi prohibebat; idcirco autem pro- " hibebat, ut ostenderet naturam animæ rationa- " lis Deo debere esse subjectam, & ordinem sa- " lutis per obedientiam custodiri, per inobe- " dientiam corrumpi; quare arborem, quam tan- " gi vetuit, appellavit dignoscentiæ boni & ma- " li, ut homo eam tangendo contra vetitum, ex- " periretur pœnam peccati, & ità dignosceret " quid interesset inter obedientiæ bonum, & in- " obedientiæ malum. "

Responsiones Augustini ad multas Manichæorum quæstiones.

Instabis denique multis Manichæorum quæstionibus, quas collegit Augustinus sub finem Libri 2. de Genesi contra Manichæos cap. 29. Interrogationibus Manichæorum breves responsiones subiiciens, in hunc ferè modum. Quare fecit Deus hominem, quem peccaturum sciebat? quia (inquit Aug.) & de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundùm moderamen justitiæ suæ, & quia nihil oberat Deo peccatum ejus ..... sed sic eum faceret, inquiunt, ut non peccaret? ... imo, ipse hoc faceret, sic enim factus est, ut si noluisset, non peccaret .... non admitteretur diabolus ad ejus mulierem? imo, ipsa ad se diabolum non admitteret .... non fieret, inquiunt, mulier? .... Hoc est dicere non fieret bonum, quia & ipsa utique aliquid bonum est, & tantum bonum, ut Apostolus eam dicat esse gloriam viri. Iterum dicunt. Quis fecit diabolum? seipse, non enim naturâ, sed peccando diabolus factus est ... vel ipsum, aiunt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat? Imo quare non faceret, cum per suam justitiam & providentiam multos de malitiâ diaboli corrigat. Ergo, inquiunt, bonus est diabolus, quia utilis? Imo diabolus malus est, sed bonus & potens Deus est, qui etiam de malitiâ ejus multa justa & bona operatur; non enim diabolo imputatur nisi voluntas sua, quæ conatur facere malè; non Dei providentia, quæ de illo benè facit.

1. *Ad Cor.* c. 11.



QUÆSTIO III.

De summâ Dei loquentis Authoritate.

DEUM hactenùs demonstravi contra Atheos, & Dei unitatem seu singularitatem contra Polytheos; sequitur, ut contra Libertinos, pro fundamento Christianæ Theologiæ, quæ Dei unius testimonio nititur, ex ipsis principiis naturalibus, summam Dei loquentis authoritatem evidenter demonstrem: contendo enim, ut evidens est, Deum existere, eundemque ita esse unum, ut nisi sit unus, nullus sit, non minus esse evidens, Deum, si loquitur, mereri summam fidem, ac proindè summam esse Dei loquentis authoritatem. Quod, ut clarè appareat.

Præmitto 1°. loqui, ut communiter dicitur, est manifestare alteri mentem suam, seu adhibere signa conceptus interni manifestativa, cum ordinatione ad audientem. Quare ad locutionem tria requiruntur. Nam 1°. debet loquens adhibere signa conceptus interni manifestativa, quia cum finis locutionis sit communicatio conceptuum, qui intus latent, necesse est, eum qui loquitur, adhibere aliqua signa quibus latentes conceptus manifestet. 2°. ea signa dirigere debet ad audientem cum ordinatione mentis suæ, seu velle debet, ut audiens veniat in cognitionem conceptus interni, per signa expressi. 3°. directio illa signorum, & ordinatio mentis fieri debet certo quodam modo, qui locutivus

Quid sit loqui.

dicitur; ità ut loquens ad audientem ea ſigna mentemque ſuam dirigat, quaſi nomine ſuo: nam qui loquitur, teſtem ſeipſe facit dicti ſui, ſuummet judicium producens in teſtimonium rei aſſertæ, ſuâque authoritate illam muniens & ſignans. Dirigere autem ſigna modo locutivo, & quaſi nomine ſuo, eſt, ità ſigna exhibere; ut, ex ipſo exhibendi modo cognoſcat audiens, ea à loquente ad ſe dirigi. Tria hæc in locutione propriè datâ ità importantur, ut ſi vel unum deſit, locutio non ſit.

Quid authoritas loquentis, & in quo fundetur.

Præmitto 2°. Authoritas loquentis, eſt titulus ille, propter quem loquenti debetur fides. Titulus verò ille fundatur in duobus, in ſapientiâ ſcilicet, & in veracitate loquentis. Sapientia, dicitur ea perfectio, quâ fit, ut loquens, verum aſſequatur in cognoſcendo, ſeu res, uti ſunt, cognoſcat. Veracitas, dicitur ea perfectio, quâ fit, ut loquens res ità eſſe dicat, quemadmodum judicat eſſe. Cur autem duæ illæ perfectiones authoritatem loquentis conſtituant ratio inpromptu eſt: quia ſcilicet naturaliter ordinantur, ad veram rei atteſtationem & manifeſtationem; adeò ut illis præcisè poſitis in loquente, repugnet falli quicumque loquenti aſſentitur: nam ſi loquens ſapiens eſt, non fallitur judicando, ſi verax eſt, non fallit loquendo: fidem autem profectò meretur, qui nec falli poteſt, nec fallere, cum in credendo ipſius dictis, nullum ſit errandi periculum.

Theſis. Summa eſt Dei loquentis authoritas. Demonſtratur. Summa loquentis authoritas, eſt titulus ille, propter quem debetur loquenti ſumma fides: atqui in Deo eſt talis titulus: ti-

tulus enim ille, eſt magna quædam perfectio, ut, vel hinc patet, quòd magni facere putamus eos, in quorum dictis acquieſcimus, & inſignis habetur illius Philoſophi laus, qui tantæ erat apud ſuos authoritatis, ut pro omni ratione uſurparent, *ipſe dixit*. Confirmatur 1°. ſi non eſt ſumma Dei loquentis authoritas, caret Deus titulo, quo mereatur ſummam fidem, ſed Deus eo titulo non caret; quia in Deo nulla eſt imperfectio, defectus autem talis tituli aliqua imperfectio eſt; nam apud homines, qui fidem non meretur, habetur pro nullo; & offendi ſe putat, cui teſtificanti non creditur. Confirmatur. 2°. quia perfectiones quæ fundant ſummam loquentis authoritatem, in Deo ſummæ ſunt; Deus enim ſummè ſapiens eſt, eſſentialiter determinatus ad cognoſcendam omnem veritatem, idemque ſummè verax, & neceſſitatus, ſi loquitur, ad verum loquendum: atqui ſumma ſapientia, & ſumma veracitas fundant ſummam loquentis authoritatem: quam authoritatem ſupponentes Prophetæ noſtri, uti rem indubitatam, quò prædicationibus ſuis fidem conciliarent, ſoliti erant in fronte ponere, *Hæc dicit Dominus*, eâ epigraphe veluti ſigillo, dicta ſua munientes. Neque tantùm Prophetis id ſolemne eſt, ſed omnibus omninò hominibus, qui ad faciendam fidem juſjurandum adhibere ſolent, Deumque aſſumere in teſtem, quaſi ipſo naturæ inſtinctu conſentiant omnes, & Deum eſſe, & Deo deberi ſummam fidem. Addo ego authoritatem Dei loquentis evidentiorem eſſe, ipſâ Dei exiſtentiâ; nam exiſtentia Dei non apparet

Summa Dei loquentis authoritas demonſtratur.

ſaltèm omnibus immediatè, & ex terminis: at verò, ex ſuppoſitione exiſtentiæ Dei, immediatè & ex terminis apparet ſumma Dei loquentis authoritas; quia evidens eſt ex terminis, ſi Deus exiſtat, habere illum omnem perfectionem, nec minùs ex terminis evidens eſt, ſummam in atteſtando authoritatem perfectionem eſſe aliquam. Ergò immediatè, & ex terminis evidens eſt, ex ſuppoſitione quòd Deus exiſtat, ſummam eſſe Dei loquentis authoritatem. Hinc

Quanta ſit & cujus ponderis.

Sequitur 1°. Authoritatem Dei loquentis tantam eſſe, ut præponderet omni humanæ autoritati; quia omnis homo mendax, ſeu mendacio & errori obnoxius eſt: quare, ſi fortè omnes homines aliquid teſtificarentur, Deus autèm ſolus contradiceret; ratio naturalis dictat evidenter, contra autoritatem omnium hominum, Deo ſoli credendum eſſe.

Sequitur 2°. Authoritatem Dei loquentis tantam eſſe, ut cuicumque teſtimonio ſenſuum prævaleat; quia teſtimonium ſenſuum obnoxium eſt errori, & abſolutè conjungi poteſt cum falſitate: quare, ſi fortè ſenſus omnes teſtimonio Dei refragarentur, evidens tamen eſt, non propterea deſeri debere teſtimonium Dei, ut ſenſibus credatur.

Sequitur 3°. tantam eſſe Dei loquentis autoritatem, ut præponderet omni evidentiæ humanæ, eo ſenſu, ut ſi fortè Deus teſtificetur contra id, quod nobis apparet evidenter, nihilominùs Deo credendum ſit; quia evidentiæ noſtræ, ſaltèm aliquæ, poſſunt fieri nobis ſuſpectæ: experimur enim eſſe aliquas evidentias

perſonales, ſeu aliqua apparere nobis evidentia, quæ tamen evidentia non ſunt. At verò autoritas Dei evidentiſſima eſt, nec poteſt eſſe ulla ſuſpicio evidentiæ falſæ; quia ſcilicet autoritas Dei, eſt veritas quædam, ut ita dicam, fori noſtri, & fines rationis humanæ non ſuperans; debetur enim naturaliter homini cognitio authoritatis Dei, ſeu in loquendo, ſeu in præcipiendo, ut, & loquenti credere poſſit, & obedire præcipienti: in materiâ autem fori noſtri, quæcumque veritas evidenter apparet, reipsâ talis eſt, qualis apparet: quare cum intellectum captivamus in obſequium fidei, omninò rationabile, & legitimum eſt obſequium noſtrum; Deus enim loquens, tanto jure exigere poteſt creaturæ fidem, quanto jure Deus præcipiens exigere poteſt creaturæ obedientiam, ergò ſicut evidens eſt, creaturam debere obſequi Deo præcipienti, quidquid præcipiat; ità evidens eſt, creaturam debere credere Deo loquenti, quidquid lòquatur.

Sufficerent quidèm pauca hæc apud hominem fidelem, & bene rationalem: Sed quia omni homini debitores ſumùs, quatuor ſunt, quæ diſtinctius demonſtrare velim, tùm ad confuſionem infidelium & irrationalium hominum, tùm ad ſummam Dei loquentis authoritatem, omni ex parte muniendam. Primum eſt. Repugnare Deo omne mendacium; nam ſunt, qui, ut mendacia ſua conſecrarent vani homines, Deum ipſum fecere mendacem, aut certè capacem mendacii. Alterum eſt. Repugnare Deo omnem æquivocationem fallacem: ſunt enim, qui verum Deum repræſentent,

instar cujusdam Apollinis ambigua Oracula reddentis. Tertium. Repugnare Deo omnem confirmationem falsi per miracula : nam sunt, qui Deum inducant ut præstigiatorem, qui per signa & miracula spectatorum oculis imponat. Quartum Deniquè, repugnare Deo infusionem & operationem propriam erroris : non enim desunt, qui Deum ipsum velint esse spiritum deceptorem.

ARTICULUS I.

Demonstratur repugnare Deo omne mendacium, & quamcumque assertionem falsi.

Quid sit mentiri, seu immediaté seu mediatè.

PRæmitto. Mendacium, est locutio quædam menti diformis. Mentiri enim, ut fert ipsum nomen, est, loquendo ire contra mentem, seu, ut explicat Augustinus, dicere aliquid aliter ac sentimus. Ex quâ definitione statim intelligitur, non omnem assertionem falsi, mendacium esse; non enim mentitur, qui ignoranter falsum dicit : contra verò, qui verum dicit, credens falsum esse, mentitur. Sicut autem potest aliquis loqui duobus modis, ità, & mentiri. Potest igitur aliquis mentiri : vel immediatè & per se, vel mediatè & per alium : mentitur immediatè & per se, qui signa à se edita dirigit alteri, quasi nomine suo, ad manifestandum judicium; quod reipsâ non habet : mentitur verò mediatè & per alium, qui signa ab alio edita assumit tanquam sua, eaque dirigit ad audientem quasi nomine suo, ut significet ju-

dicium internum, quod re ipsâ non habet. Nunc demonſtrandum nobis eſt, Deum, nec immediatè & per ſe, nec mediatè & per alium, mentiri poſſe, nec falſum quocumque modo aſſerere.

Dico igitur. 1°. Deus mentiri non poteſt immediatè & per ſe. Eſt contra Priſcillianiſtas Hæreticorum mendaciſſimos, eoſdemque mendacii Patronos turpiſſimos, quibus, Auguſtino teſte, ad tegendas turpitudines ſuas, erat perpetuò, & in ore, & in uſu, *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Facilè autem demonſtratur. Quia, impotentia mentiendi, ſeu neceſſitas ad verum loquendum, videtur ex ipſis terminis pertinere ad perfectionem Dei. Confirmatur. Quia ſumma authoritas in atteſtando, & meritum ſummæ fidei, magna quædam perfectio eſt; nam, ut apparet ex ipsâ penetratione terminorum, melius eſt habere meritum ſummæ fidei, quàm non habere; atqui ſi Deus mentiri poſſet immediatè & per ſe, caderet ſtatim ſummâ ſuâ authoritate, & meritum ſummæ fidei non haberet; Ergò, &c. Minor probatur. 1°. Enim ſumma fides, eſt fides omnem dubitationem de falſitate dicti excludens, Deo autem, ſi mentiri poteſt, non debetur fides omnem dubitationem excludens de falſitate dictorum ejus; quia poteſt eſſe aliqua dubitatio, num Deus utens poteſtate mentiendi, reipsâ aliquandò mentiatur, & falſum dicat. 2°. Summa fides eſt ea, quâ firmior eſſe non poteſt; ſed, ſi Deus mentiri poſſit, poteſt eſſe firmior aliqua fides, quàm quæ debetur Deo loquenti; illa nimirùm

Deus mentiri non poteſt immediatè.

De hæreſ. c. 7.

quæ deberetur personæ ad verum loquendum necessitatæ. 3°. Motivum fundans summam fidem, debet esse motivum absolutè & necessariò connexum cum veritate; atqui si Deus mentiri possit, locutio Dei non est absolutè & necessariò connexa cum veritate, ac proindè non potest fundare summam fidem. 4°. Si Deus posset falli in judicando, Deus attestans non mereretur summam fidem. Ergò neque si posset fallere mentiendo; veracitas enim summa, non minùs fundat meritum fidei, quàm sapientia loquentis.

Objicies 1°. Deus supremus Dominus non tenetur legibus humanis: Ergò quamvis hominibus non liceat mentiri, Deo tamen licebit. Confirmatur. Quia si Deus mentiri non possit, non erit summè liber, necessitabitur enim ad verum loquendum. Respondeo. Non tenetur Deus legibus humanis, sed tenetur legibus suis, seu divinis: est autem divina lex, vel potiùs summa naturæ necessitas, & indispensabilis obligatio in Deo, ne umquam mentiatur; quia si semel mentiretur, caderet authoritate suâ, non haberet meritum summæ fidei, & destrueret fundamentum societatis suæ cum Creaturis intellectualibus. Ad Confirmationem dico. Non pertinere ad libertatem Dei, ut mentiri possit; nam summa libertas non se habet ad actus dedecentes, potestas autem mentiendi se habet ad actum dedecentem; mendacium enim est actus dedecens: Ergò potestas mentiendi, non est summa, sed imperfecta quædam libertas, Deo planè indigna. Quòd verò dicitur Deus necessitari ad

Libertas Dei non postulat, ut possit mentiri.

verum loquendum, accipiendum eſt in ſenſu conditionato; quatenùs ex ſuppoſitione, quòd Deus loqui velit, neceſſitatur ad verum loquendum; ſed abſolutè & independenter ab omni hypotheſi, Deus ad verum loquendum nullatenùs neceſſitatur, poteſt enim verum loqui, & non loqui pro arbitrio,

Objicies 2°. Stat mentiendi poteſtas, cum ſummâ Dei loquentis authoritate; Deus enim, etiam ſi mentiri poſſit, poterit à creaturâ exigere, & obtinere ſummam fidem; quia licet mentiri poſſit, poterit perſuadere ſe reipsâ non mentiri: nam, ſi poteſt fieri credibile Deum loqui, quamvis abſolutè poſſit Deus non loqui: quidni poſſit fieri credibile Deum non mentiri, quamvis abſolutè mentiri poſſit? Reſpondeo. Nego Antecedens. Deus enim, ſi mentiri poſſet, non obtineret à creaturâ ſummam fidem, titulo & merito ſuæ authoritatis; eſto, aliis fortè mediis obtineret. Rueret ergò ſumma Dei loquentis authoritas, de cujus ratione eſt, ut ſola, & ſine alterius adminiculo fundare poſſit ſummam fidem. Quòd verò additur, poſſe fieri credibile, Deum non mentiri, quamvis abſolutè mentiri poſſit, difficillimum eſt. Sed demus ità fieri poſſe, nihilominùs deſtruetur authoritas Divina, & meritum ſummæ fidei, conſiſtens in connexione neceſſariâ locutionis divinæ cum veritate, quæ connexio jàm ſupponitur non eſſe. Quare, ſi fortè crederetur Deo loquenti, non jam ei crederetur propter ſolam loquentis authoritatem, ſed propter alia quædam motiva, quæ ſuaderent Deum verè loqui, & non mentiri. Quod

Si mentiri poſſet, non poſſet exigere à creaturâ ſummam fidem, titulo & merito ſummæ ſuæ authoritatis.

planè indignum est Deo, & imperfectam in attestando authoritatem sapit; nam imperfecta est authoritas hominis, qui, ut fidem obtineat, opus habet adhibere juramentum, testes, aliaque fidei humanæ præsidia. Confirmatur responsio. Si non creditur homini; nisi propter prædem datum, non tàm illius authoritati creditur, quàm prædi; Ergò, si Deus indigeret externis testimoniis, quibus probaret se non mentiri, jàm non ei propter authoritatem suam, sed propter externa testimonia crederetur. Hinc patet, nullam esse paritatem, quæ ab existentiâ divinæ locutionis petitur; nihil enim nocet summæ Dei loquentis authoritati, quòd externis quibusdam motivis persuadeat Deus, se fuisse locutum; authoritas enim Dei non postulat, ut necessitetur ad loquendum, aut, ut evidenter, aut immediatè appareat existentia locutionis ejus; sed summa Dei loquentis authoritas postulat, ut si Deus loquatur, non nisi verum loqui possit, omnisque Divina locutio necessariam habeat cum veritate connexionem.

Jurare tamen potest.

Objicies 3°. Si Deus mentiri non potest, nihil opus est ut juret, jurare tamen passim dicitur. Sequela probatur. Quia juramentum adhibetur dumtaxat ad confirmanda dicta, & faciendam fidem; Deus autem nihil opus habet confirmare dicta sua, nec majorem fidem facit jurans, quàm simpliciter loquens. Respondeo. Deus cum jurat, non alium assumit in testem, quàm seipsum, secundùm illud, *per memetipsum Juravi, dicit Dominus*, nec aliam interponit authoritatem, quàm suam.

Cum autem simpliciter loquitur, facit se testem rei, quam dicit, suamque pariter authoritatem interponit : quare fateor, in re, non esse majorem authoritatem Dei jurantis, quàm Dei simpliciter loquentis : Nego tamen inutile esse juramentum Dei. Valet enim 1°. Ad inculcanda Dei dicta, quia juramentum est quasi geminata locutio. 2°. Ad majorem Dei loquentis reverentiam ingenerandam apud homines ; nam juramentum, est testificatio quædam Sanctior. 3° Ad significandam immobilitatem voluntatis Dei aliquid promittentis, quem juramenti Divini usum sic explicat Apostolus ad Hebræos, *Volens*, inquit, *Deus abundantius ostendere immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.*

Quò pertineat jusjurandum Dei.

Cap. 2.

Objicies 4°. Deus mentitus est, multa enim locutus est pugnantia, multa promisit, quæ non implevit, multa minatus est, quæ non evenere. Respondeo. Quicumque tàm impudenter objicit, dignus est, cui per alapam respondeatur : nam si alapam mereri creditur, qui homini in faciem dicere audet, mentiris ; quantò magis, qui Deum mentiri blasphemat, in conspectu & in auribus ipsius Dei. Sed quia alapa genus est responsionis non satis Theologicum, præstat impudenti blasphemiæ, opponere humilem Psalmistæ Confessionem, *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* Quâ Confessione præmissâ. Nego absolutè, Deum unquàm locutum fuisse pugnantia ; nam quæ in Scripturâ videntur esse pugnantia, reipsâ pu-

Vindicatur Deus à calumniâ mendacii.

gnantia non sunt ; nec adeò difficilis est eorum concordia, ut non omnia Patres, & Scripturæ interpretes satis feliciter conciliarint. Accedit quòd, quamvis nulla via occurreret conciliandi dicta Dei, impudenter tamen, & irrationabiliter diceretur, Deum fuisse mentitum ; quia præsumendum est pro Deo, contra humani ingenii imbecillitatem ; neque deserenda est possessio manifestæ veritatis, propter quamcumque difficultatem occurrentem. Ergò, cum semel teneamus tanquàm certum & evidens, Deum mentiri non posse ; nihil nos movere debet, quidquid contra occurrerit. Quòd verò spectat promissiones, & minas Dei irritas : dico, illas conditionatas esse, & à conditione suspensas ; ideòque effectum non habere, quia non est posita conditio, sub quâ Deus promisit, aut minatus est : nam si fortè conditionatæ non sunt, sed absolutæ, certissimè effectum suum, aut jam habuerunt, aut habituræ sunt, juxta illud, *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* *Mar. c. 13.*

Deus mentiri non potest etiã mediatè & per alium.

Dico 2°. Deus mentiri non potest mediatè & per alium. Demonstratur pariter. Quia impotentia mentiendi per alium, magna perfectio est, fundans titulum, propter quem debetur summa fides Deo, per alium loquenti. Nam si Deus per alium loquens mentiri posset, Deus per alium loquens non mereretur summam fidem, consequens verò summæ Dei authoritati multùm derogat. Confirmari potest 1°. Quia summa Dei veracitas postulat, ne Deus ullo modo loqui possit contra men-

tem ſuam, quocumque inſtrumento utatur ad loquendum: Nam ſi fortè Deus aliquo inſtrumento utens, poſſet falſum loqui, jam poſſet excogitari veracitas aliqua major veracitate Dei; illa nimirùm quâ fieret, ne quis ullo modo poſſet falſum loqui. Confirmari poteſt. 2°. Quia peccaret homo contra veracitatem, ſive ſuâ, ſive alterius linguâ, vel manu, falſum teſtificaretur. Ergò peccaret Deus, ſive per ſuam, ut ità dicam, linguam aut manum, ſive per linguam aut manum alterius, falſum teſtificaretur.

Objicies 1°. Poteſt Deus præcipere homini ut mentiatur: ſupponamus enim credere hominem, invincibiliter obligari ſe, ex præcepto charitatis ad mentiendum; in circumſtantiâ ignorantiæ invincibilis obligatur ad mentiendum, vult autem Deus hominem implere obligationem ſuam; ergò vult, & præcipit, ut homo mentiatur: Atqui Deus cùm præcipit homini, ut mentiatur, ipſe per hominem mentitur. Reſpondeo. Admiſsâ ſuppoſitione, Deum hoc ipſo præcisè, quòd præcipit mendacium, non mentiri; quia Deus ità mendacium præcipit, ut tamen non aſſumat verba hominis tanquàm ſua; neque dirigat ea nomine ſuo ad audientes, tanquam ſigna mentis ſuæ, ergò Deus, ità mendacium præcipit, ut non mentiatur.

Poteſt tamen præcipere homini ut mentiatur in circumſtantiâ ignorantiæ invincibilis.

Inſtabis, ſi Deus mendacium præcipiat, imputabitur mendacium Deo: quo ferè modo, imputatur homicidium ei, qui homicidium præcipit, ergò ſicut qui homicidium præcipit, dicitur occidere mediatè & per alium, ità

Deus, si mendacium præcipiat, dicetur mentiri mediatè & per alium. Respondeo. Si Deus mendacium præcipiat, imputabitur mendacium Deo, ut præcipienti, non tamen, ut mentienti. Nam, aliud est præcipere mendacium, & aliud mentiri: cur autèm qui præcipit mendacium, non dicatur mentiri mediatè & per alium, dicatur verò occidere mediatè & per alium, qui homicidium præcipit; discrimen petendum est, ex diversitate istarum denominationum: nam denominatur verè occidens, quicumque est vera causa homicidii; præcipiens autem homicidium, est vera causa homicidii. At verò, non dicitur mentiens, quicumque causa est mendacii; sed ille tantùm, qui falsa signa adhibet cum ordinatione mentis, & quasi nomine suo; ergò cum Deus in his circumstantiis, ità mendacium præcipiat, ut verba hominis mentientis non adhibeat ipse cum ordinatione mentis ad audientem, & nomine suo, ità mendacium præcipit, ut tamen ipse non mentiatur.

In quâ hypothesi mendacium Deo imputaretur, ut præcipienti, non tamen ut mentienti, quia aliud est mentiri, aliud præcipere mendacium.

Obiicies 2°. Deus potest assumere actionem ministri malam tanquàm suam; ità ut ministro physicè agente, Deus moraliter agat, ergò potest Deus assumere locutionem ministri falsam pro suâ, ità ut ministro falsum loquente, Deus moraliter falsum loquatur. Respondeo. Nego consequentiam, & paritatem. Quia denominatio agentis longè simplicior est, denominatione loquentis: nimirùm, una generica est, altera specifica; nam agit quidem, quicumque loquitur, sed non loquitur, quicumque agit, ergò ut Christus denominetur agens moraliter per

Potest Deus assumere actionem Ministri malam tanquā suam.

Sed non potest assumere locutionem Ministri falsam.

per actionem miniſtri, ſatis eſt, ſi actio miniſtri, perindè ſe habeat in ordine ad aliquem effectum Chriſti proprium, ac ſi eſſet actio phyſica ipſius Chriſti; hoc enim ipſo actio miniſtri, quamvis mala ſit, dicitur eſſe actio moralis Chriſti, non quidèm, in ordine ad omnem effectum, ſed in ordine ad illum, quem perindè præſtat, ac ſi eſſet actio ipſius Chriſti. Atqui intentio miniſtri Baptizantis v. g. quamvis fortè ſit mala, poteſt ex voluntate Chriſti, ità ſe habere in ordine ad aliquem effectum, ac ſi eſſet intentio phyſica Chriſti, ergò actio miniſtri, quamvis mala, poteſt eſſe moralis actio Chriſti. At verò, ut Deus denominetur loquens moraliter per locutionem miniſtri; non ſatis eſt, locutionem perindè ſe habere ad aliquem effectum præſtandum, ac ſi eſſet locutio ipſius Dei, ſed neceſſe eſt, ut Deus verba à miniſtro edita, aſſumat tanquam ſua, dirigens illa nomine ſuo ad audientem, cum ordinatione mentis ſuæ: Deus autèm id facere non poteſt, ſi verba à Miniſtro edita falſam ſignificationem habent, ergò Deus non poteſt moraliter falſum loqui, per Miniſtrum loquentem.

Ratio diſcriminis inter utrumque.

Dico 3°. Non poteſt Deus falſum aſſerere quocumque modo. Sequitur ex ſuprà dictis: nam, quamvis aſſertio falſi, in homine ſeparari poſſit à mendacio, propter ignorantiam hominis, in Deo tamen non poteſt; Deus enim, ſi falſum diceret, ſcienter diceret, & contra mentem ſuam, ergò ſi falſum diceret, mentiretur. Confirmari poteſt. Etſi daremus in Deo aſſertionem falſi, poſſe à mendacio ſe-

Deus non poteſt falſum quocumque modo aſſerere.

parari, non tamen Deus poſſet falſum aſſerere; quia, ſi falſum aſſereret quocumque modo, perindè caderet ſummâ ſuâ authoritate, perindè perderet meritum ſummæ fidei, perindè deſtrueret fundamentum Societatis ſuæ cum Creaturis intellectualibus, ac ſi mentiretur.

ARTICULUS II.

Demonſtratur repugnare Deo omnem æquivocationem fallacem.

Æquivocatio quid ſit. Alia vocalis eſt, alia mentalis.

PRæmitto. Æquivocatio, eſt locutio ambigua, ſeu, quæ duplicem ſenſum habet, unum verum, alterum falſum. Verus ſenſus dicitur, quem verba ità exprimunt, ut ſit etiàm in mente loquentis. Falſus dicitur, qui exprimitur quidèm per verba, ſed in mente loquentis non eſt. Æquivocatio, alia vocalis eſt, alia mentalis. Vocalis tota conſiſtit in verbis expreſſis & formalibus, duplicem habentibus ſenſum; eaque, vel determinabilis eſt, vel indeterminabilis. Determinabilis, ſi ex circumſtantiis ambiguitas verborum tolli poſſit; indeterminabilis, ſi tolli non poſſit. Æquivocatio mentalis, ſeu locutio mentaliter reſtricta, conſtat partim verbis, quæ exprimuntur, partim, quæ ſupprimuntur: eaque loc[illegible] vel inſenſibilis eſt, & purè mentalis, [illegible] ſenſibilis, & non purè mentalis. Inſenſibilem appello, in quâ aliquid ità ſupprimitur, ut neque ex verbis prolatis, neque ex circumſtantiis haberi poſſit. Senſibilem appello, in quâ, id quod ſupprimitur, vel ex verbis prolatis,

Vocalis vel determinabilis eſt, vel indeterminabilis.

Mentalis verò ſenſibilis, vel inſenſibilis.

vel ex circumſtantiis haberi poteſt : eſt enim diligenter obſervandum, circumſtantias perſonæ loquentis, loci, temporis, aliaſque, eſſe quædam verba realia, quæ addita verbis formalibus, locutionem integrant.

Repugnat Deo æquivocatio inſenſibilis & purè mentalis.

Dico 1°. Deo repugnat æquivocatio inſenſibilis, & purè mentalis : Demonſtratur. Quia Deo repugnat omnis locutio mendax, ut ſuprà oſtenſum eſt ; æquivocatio autèm inſenſibilis & purè mentalis, eſt aliqua locutio mendax ; omnia enim ſigna à loquente exhibita, falſum ſignificant, & contra mentem loquentis teſtificantur. Confirmatur. 1°. Si quid eam locutionem excuſaret à mendacio, maximè verba quæ in mente retinentur, & quæ, ſi fortè cum verbis expreſſis jungerentur, veram loquentis mentem ſignificarent ; ſed ea verba talem locutionem non excuſant à mendacio, quia perindè ſe habent, ac ſi non eſſent, in ordine ad unam locutionem cum verbis expreſſis faciendam ; verba enim illa quæ ſupprimuntur, neque in ſe, neque in circumſtantiis ullatenùs apparent. Confirmatur 2°. Quia ſi Deus uti poteſt reſtrictione mentali inſenſibili, Deus loquens non meretur ſummam fidem ; quamtumvis enim exteriùs teſtificetur aliquid eſſe, poteſt ſemper dubitari, num ſub verbis Dei lateat aliqua falſitas, Deo locutionem interiùs reſtringente.

Objices. Non repugnat Deo æquivocatio ſenſibilis, ergo neque inſenſibilis. Antecedens negari non poteſt ; in Scripturâ enim multæ ſunt locutiones Dei mentaliter reſtrictæ, reſtrictione ſenſibili. Conſequentia verò proba-

tur, quia quæcumque æquivocationem insensibilem à Deo excludunt, excludere videntur sensibilem. Nam 1°. Si Deus uti potest æquivocatione sensibili, non debebitur Deo loquenti summa fides, poterit enim dubitari de veritate dictorum Dei; quia quidquid Deus loquatur, dubitari poterit, an loquendo utatur restrictione mentali. 2°. Æquivocatio sensibilis tendit ad deceptionem audientium; per illam enim plerumque audientes decipiuntur. Ergò est locutio mendax. Respondeo. Nego Consequentiam. Locutio enim mentaliter restricta, restrictione sensibili, est vera quædam locutio, nihil habens Deo indignum: Nam, quòd verba quæ exprimuntur, sensum habeant falsum, si solitariè sumantur, nihil omninò facit ad locutionem falsificandam; quia verba quæ exprimuntur, accipi debent cum verbis quæ supprimuntur, ità autem accepta veram faciunt locutionem. Quòd additur ad probationem consequentiæ.

Non tamen repugnat æquivocatio sensibilis.

Dico 1°. In æquivocatione sensibili, dubitari non posse de veritate dictorum Dei, si dicta Dei integrè, & non dimidiatè accepta, necessariò vera sunt. Esto. Dubitari possit, an dicta Dei dimidiata veritatem habeant; fateor enim interdùm falsum esse id, quod verba Dei dimidiata significant; sed omninò nego falsum esse id, quod per integram Dei locutionem significatur: quòd verò dicitur, semper dubitari posse, quidquid Deus loquatur, an loquendo utatur restrictione mentali, omninò falsum est; satis enim constare nobis potest, Deum multa loqui sine restrictione mentali.

Ratio generalis eſt, quia quandò Deus ità loquitur, ut nemo prudens, attentis omnibus circumſtantiis, judicare poſſit Deum uti reſtrictione mentali, pro certo tenendum eſt, Deum mentali reſtrictione non uti; Deus enim uti non poteſt reſtrictione mentali inſenſibili, reſtrictio autèm in talibus circumſtantiis eſſet inſenſibilis. 2°. Nego abſolutè locutionem ſenſibiliter reſtrictam, tendere per ſe ad deceptionem audientium; ordinatur enim ad verum aliquem ſenſum eis communicandum. Quòd ſi fortè contingat eâ locutione audientes decipi, non culpa locutionis eſt, quæ per ſe eſt apta ad verum ſignificandum; ſed culpa ipſorum audientium, qui non ſatis attendunt ad circumſtantias, & judicium ſuum præcipitant. Quare locutio ſenſibiliter reſtricta, nihil pugnat cum ſummâ Dei veracitate: Quamvis enim ſumma veracitas Deum obliget, ne utatur locutione, quæ per ſe tendat ad audientes decipiendos; non obligat tamen, ut abſtineat ab omni locutione, quâ prævidet audientes ſuâ imprudentiâ abuſuros, ut in errorem veniant.

Quia neque per ſe tendit ad decipiendos audientes, neque ordinatur à Deo in hunc finem.

Inſtabis. Deus loquens, vel intendit manifeſtare veram mentem ſuam, vel non intendit: Si primum, non debet uti reſtrictione, reſtrictio enim in hunc finem adhibetur, ut vera mens loquentis diſſimuletur. Si ſecundum, locutio Dei ordinatur ad decipiendos audientes. Reſpondeo. Deus loquens, intendit manifeſtare veram aliquam mentem ſuam, illam ſcilicet, quam verba expreſſa unà cum circumſtantiis ſignificant. Chriſtus (exempli causâ) interrogatus à Diſpulis de die judicij, & reſpondens ſe neſcire

illum diem, intendit manifestare veram aliquam mentem suam; illam nimirùm, quâ judicat, se nescire illum diem scientiâ communicabili: aut si mavis, significare vult Discipulos esse nimis curiosos, aut ea interrogare, quæ scire ipsos non expediret; quod aliis verbis clariùs dicit, *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Cur autèm verba aliqua supprimat, quæ locutionem integram facerent, ratio est, honestas loquentis; multò enim honestius, ineptè interroganti dicitur, *nescio*, quàm dicatur, *ineptus es, & curiosus, nolo dicere, quod interrogas.* Quòd verò aiunt, restrictionem mentalem usurpari, ad veram mentem dissimulandam tegendamque; fateor, illam usurpari ad dissimulandam tegendamque aliquam mentem, sed non eam mentem, quam locutio significat: mens enim loquentis sæpe multiplex est; una, quam per verba non exprimit loquens, sed dissimulat & tegit; altera, quam per verba, & circumstantias significat, & manifestare vult. Ut stemus in exemplo nostro. Christus restrictione mentali utens, duplicem habet mentem; unam, quâ videt diem judicij certo aliquo tempore futurum, & hanc mentem, quam scire volunt Apostoli, ipse prudenter dissimulat. Alteram, quâ videt se nescire diem judicij scientiâ communicabili, & curiosos esse Apostolos, qui interrogent de eâ re, quam pater occultam esse voluit; istam verò mentem suam Apostolis manifestare vult, & per verba talibus circumstantiis affecta significat.

Act. Apost. c. 1.

Dico 2°. Deo repugnat æquivocatio indeterminabilis, ſeu ità ambigua, ut ambiguitas tolli non poſſit. Demonſtratur autem repugnare ex duplici capite. 1°. Quidem. Ex capite ſummæ veracitatis : nam æquivocatio ejuſmodi apta eſt ſignificare ſenſum aliquem falſum; nec eſt aliquid, ut ſupponimus, per quod determinetur ad verum ſignificandum, talis autem æquivocatio Deo repugnat ſummè veraci; quia ſcilicet audientes exponeret manifeſto periculo deceptionis, ſumma enim veracitas poſtulare videtur, ne loquens, audientes tali periculo exponat; ſed potius ità loquatur, ut per ipſum non ſtet, quominus audientes verum ſenſum aſſequantur. 2°. Ex capite ſummæ ſapientiæ. Nam Deus loquens intendit ſignificare mentem ſuam, per ea ſigna quæ exhibet; id enim ſi non intenderet, non loqueretur; ergò debet exhibere ſigna idonea ad verum ſenſum ſignificandum : atqui æquivocatio indeterminabilis conſtat ſignis, quæ idonea non ſunt ad verum ſenſum ſignificandum, cum omnia ex ſuppoſitione indifferentia ſint, nec magis ſignificent id, quod Deus habet in mente, quàm, quod non habet. Ergò Deus ſummè ſapiens ea ſigna ordinare non poteſt, ad veram mentem ſuam ſignificandam.

Deo repugnat æquivocatio indeterminabilis, ſeu ità ambigua, ut ambiguitas tolli non poſſit.

Objicies. 1°. Deus æquivocè locutus eſt æquivocatione indeterminabili : quàm multæ enim occurrunt in Scripturâ locutiones ambiguæ, in quibus interpretandis ſæpè deſudarunt patres, & quidem conatu irrito, nondùm enim ſatis habetur verus illarum ſenſus. Reſpondeo. Locutiones Scripturæ ambiguas,

Locutiones Dei ambiguæ multis modis determinabiles sunt.

determinabiles esse ad verum sensum, idque multis modis, ut notat Augustinus lib. 3. De Doct. Christ. Nam locutio ambigua determinari potest ad verum sensum, per circumstantias personæ, seu audientis, seu loquentis; per circumstantias loci, & temporis, per Antecedentia, & consequentia, per ipsum proferendi modum, per adhibitum interpretem &c. Determinatio autem illa, quæ locutionis divinæ ambiguitatem tollit, integrat ipsam locutionem divinam, quod omninò advertendum est, adeò ut, non sit integra & perfecta locutio divina, ante talem determinationem; quia locutio divina integra & perfecta, debet esse determinata ad verum significandum. Hîc tamen multa sunt, quæ monere oportet. 1°. Nihil necesse est, ut locutio ambigua Dei, sit à quocumque determinabilis; sed satis est, si determinabilis sit ab eo, ad quem dirigitur. Nam potest quis, saluâ sinceritate, ità loqui uni, ut ab illo solo intelligatur, non intelligatur à cæteris. Nihil ergò derogat sinceritati Dei loquentis, quòd multæ sint in Scripturâ locutiones ambiguæ, & fortè etiàm nobis absolutè indeterminabiles; quia fortè, hæ locutiones determinari poterant ab iis, ad quos solos dirigebantur: nimirùm deest nobis circumstantia aliqua determinans, quæ fortè illis non deerat. 2°. Nihil necesse est, ut locutio ambigua Dei, statim & sine ullo labore determinabilis sit ab eo, ad quem dirigitur; sed satis est, si adhibito labore, & post longam examinis moram, determinari tandem possit: nam apud homines, saluâ sinceritate, potest

quis ſcribere amico epiſtolam ità implexam & intricatam, ut non niſi magno labore explicari poſſit. Nihil ergò mirum eſt, ſi nos hæreamus interdùm in locutionibus Dei intelligendis; cùm, ne ipſi quidem Apoſtoli, aut Prophetæ, quibus Deus immediatè loquebatur, Deum loquentem ſtatim intelligerent. 3°. Nihil neceſſe eſt, ut locutio ambigua Dei determinabilis ſit, ſolo ingenio & labore ejus, ad quem dirigitur; ſed ſatis eſt, ſi determinari poſſit, adhibitâ operâ interpretis. Nam & homines, ſaluâ ſinceritate, loquuntur interdùm linguâ peregrinâ, & iis ignotâ, ad quos ſermonem dirigunt; ſi nimirùm præſto eſt interpres, qui defectum intelligentiæ, qui in audientibus eſt, ſuppleat. Nihil ergò movere nos debet, quòd, ad locutiones Dei intelligendas, non ſatis ipſi idonei ſimus, ſed interpretatione Doctorum, & etiàm totius Eccleſiæ opus habeamus. 4°. Demùm. Nihil neceſſe eſt, ut locutio ambigua Dei, actu determinetur ad verum ſenſum; ſed ſatis eſt, ſi determinari poſſit: Nam, ſi fortè audiens non attendat ad circumſtantias determinantes, Jam non erit culpa Dei loquentis, ſed creaturæ audientis.

Obijcies 2°. Ergò æquivocatio etiàm determinabilis, Deo pariter repugnabit; nam æquivocatio determinabilis ambiguitatem habet, quam ambiguitatem in falſis gentilium diis reprehendimus. Reſpondeo. Nego conſequentiam: æquivocatio enim determinabilis, eſt vera quædam locutio, nihil habens Deo indignum: quamvis enim ſigna ambigua, ſe-

Ambiguitas iſta locutionis Dei longè diverſa eſt

ab illâ quam falsi gentilium dii affectabant.

cundùm se, & præcisè sumpta à circumstantiis, apta sint significare sensum falsum; si tamen accipiantur cum circumstantiis determinantibus, Jam non ad falsum, sed ad verum sensum significandum omninò determinata sunt: quod additur ad probationem, de oraculis falsorum Deorum, dico, in illis duo reprehendi. Primum, quod ambigua sint ambiguitate indeterminabili. Alterum, quod ista ambiguitas ordinetur ad decipiendos mortales. At verò in oraculis veri Dei, nihil tale reprehendi potest; nam ea, si fortè ambigua sunt, ambiguitatem determinabilem habent; nec ordinatur ista ambiguitas, ad deceptionem audientium, sed ad fines alios sanctissimos.

Benè stat cum summâ Dei veracitate.

Instabis 1°. Ista ambiguitas pugnare videtur cum summâ Dei veracitate, major siquidem intelligeretur esse veracitas Dei, si Deus necessitaretur ad mentem suam, claris & apertis signis manifestandam. Respondeo. Nego Antecedens, ejusque probationem. Nam, sicut veracitas Dei non postulat, ut Deus aperiat mentem suam, saluâ enim suâ veracitate potest Deus omninò tegere mentem suam, & nihil loqui; ità veracitas Dei non postulat, ut Deus utatur signis, mentem suam clarè & apertè manifestantibus, sed satis est, si utatur signis, veram & non falsam mentem manifestantibus, quocumque tandem modo illam manifestent: atqui, signa ambigua determinabilia, sumpta cum circumstantiis determinantibus, veram & non falsam Dei mentem manifestant. Esto, non nisi obscurè id faciant, & cum aliquo labore audientium.

Inſtabis 2°. Ambiguitas ordinatur à Deo ad deceptionem audientium, nam ſi Deus nollet audientes decipi, clarè & apertè loqueretur. Reſpondeo. Nego Antecedens. Deus enim, etiamſi obſcurè & ambiguè loquatur, nullatenùs tamen intendit ſuâ locutione audientes decipi, ſed alios fines habet dignos ſe, quos paſſim indicant patres. Primus eſt. Ne apud populum locutio divina, ſuâ perſpicuitate & facilitate vileſcat; populus enim ea ferè contemnit, quæ obvia ſunt, & magni facere ſolet, quæ non intelligit. Quare, ſicut reges majeſtatis causâ, id cavent, ne ſubditis nimiùm pateant, & per aditus difficiles reverentiam ſibi conciliant; ità Deus dignitatis causâ non vult, ut pateant omnibus omnia dicta ſua, populi reverentiam captans ex difficili intellectu. Secundus finis eſt exercitatio noſtra. Nam ſicut nonnullorum ars eſt, demiſsè loqui, ut curioſius audiantur, quia aures arrigit difficultas audiendi; ita ars quædam divina eſt, obſcurè & ambiguè interdùm loqui, ut curioſiùs dicta Dei examinentur, quia induſtriam excitat difficultas intelligendi: nec verò caruit ars iſta effectu ſuo; Jam enim in verbo & lege Dei, magna ingenia meditantur die ac nocte, quæ profectò ſtatim languerent, ſi plana omnia, & facilia invenirent. Tertius finis eſt diſſimulatio myſteriorum fidei, quæ interdùm neceſſaria eſt, neque enim expedit omnia fidei myſteria ſimul proponere; ſunt enim aliqua lactis inſtar, quæ parvulis in fide ſtatim inſtillare oportet; ſed alia ſunt, veluti ſolidiores cibi, quæ parvulos ſuffocarent, non ale-

Ordinatur non ad deceptionem audientium.

Sed ad fines alios Deo dignos.

rent : obscuritas autem divinæ locutionis, est velum quoddam, quo mysteria dissimulantur, & ad tempus teguntur. Quartus Finis est subordinatio fidelium. Obscuritas enim, & ambiguitas divinæ locutionis facit, ut pro vero illius sensu intelligendo, fidelis populus ad Pastores & Doctores Ecclesiæ recurrat ; cessaret autem iste recursus, si locutio divina nihil difficile, & obscurum haberet.

ARTICULUS III.

Demonstratur repugnare Deo confirmationem falsi per miracula.

Miraculum, seu opus miraculosum quid sit.

PRæmitto 1°. Miraculum dicitur opus aliquod extraordinarium, superans naturæ vires, saltèm in circumstantiis, in quibus fit ; nam si fortè opus aliquod superet vires naturæ, in quibuscumque circumstantiis positæ, miraculosum dicitur quoàd substantiam : si verò, ità naturam superet in præsentibus circumstantiis, ut non superaret in aliis, miraculosum dicitur quoàd modum : sed miraculum, sive quoad substantiam, sive quoad modum, fieri potest, vel à Deo extraordinariè operante, sine consortio ullius creaturæ, vel â Deo simul & à creaturâ ; Deo scilicet creaturam assumente & elevante ad operandum miraculosè ; quocumque autem modo miraculum fiat, semper est proprium opus Dei, & Deum habet pro causâ principali.

Aliud est miraculosum quoad substantiam, aliud quoad modum.

Ordinari potest multipliciter ad confirmationem lsi.

Præmitto 2°. Miraculum intelligi potest fieri à Deo in confirmationem falsi dupliciter. 1°. Ità ut Deus per miraculum intendat

confirmationem falsi. 2°. Ità ut sola creatura miraculo abutatur, ad falsi confirmationem; Deo interim miraculum ordinante, ad alios fines. Rursus, Iste abusus miraculi esse potest, vel sensibilis, vel insensibilis; sensibilis erit, si fiat in iis circumstantiis, in quibus videntes judicare possunt, creaturam abuti miraculo ad confirmandum falsum, miraculum verò à Deo ordinari in alios fines. Abusus insensibilis erit, si fiat in iis circumstantiis, in quibus judicari potest prudenter, miraculum à Deo ipso ordinari in confirmationem falsi, ità ut non nisi imprudenter contrarium judicari possit.

Miraculi abusus alius sensibilis alius insensibilis.

Dico 1°. In statu, saltèm providentiæ præsentis, fieri non potest miraculum ad confirmandum falsum, Deo ipso confirmationem falsi intendente. Demonstratur. Quia miraculum est quoddam quasi sigillum divinum, quo Deus dicti alicujus, seu sui, seu alieni, veritatem confirmat, & veluti sigillat: atqui Deus non potest apponere dicto falso sigillum suum, unicè institutum ad sigillandam veritatem; Ergò Deus non potest facere miraculum in confirmationem falsi. Minor est evidens. Nam si Deus hoc faceret, testificaretur aliquo modo falsum, & deciperet. Rem confirmat Cardinalis Toletus illustri similitudine. Sicut enim, inquit, rex apponens sigillum « suum Scripturæ, quam scit falsam esse, cen- « setur eo ipso testificari falsum, & decipere; « ità, si Deus sigillum suum apponeret dicto « falso, censeretur testificari falsum & decipere, « quod est contra summam veracitatem & sin- « ceritatem. Majus verò probari potest 1°. Fi- «

In statu providentiæ præsentis Deus miraculum ordinare non potest ad confirmationem falsi.

delibus nostris, ex Scripturâ, ubi miracula passim dicuntur signa, & testificationes Dei: nam Marci cap. ultimo, dicuntur Apostoli *prædicasse ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, hoc est, miraculis. Pauli ad Hebræos 2. Dicitur Deus *contestari signis & potentiis.* Joan. 3. *Opera*, inquit Christus, *quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Hoc est, miracula illa, quæ fieri à me videtis, testantur talem me esse, qualem me dico: & Joan. 10. *Si mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite*: quasi diceret. Litteras legationis meæ, ne fortè fallaces & furtivas putetis esse, ecce, exhibeo illas à Deo ipso benè sigillatas, & miraculorum sigillo munitas. Unde sic argumentor. Verum sigillum Dei nemo novit meliùs ipso Deo; sed Deus ipse pro sigillo suo agnoscit miraculum: Ergò miraculum est verum sigillum Dei. 2°. Probari potest etiàm extraneis ex communi sensu hominum. Nam quod omnes homines pro sigillo Dei agnoscunt, non potest non esse verum sigillum Dei; si enim Deus omnes homines errare permitteret in agnitione sigilli sui, satis sincerus non esset; sicut satis sincerus non esset princeps, qui sciens & videns haberi passim à subditis pro regio annulo, qui regius annulus non est, de errore publico non admoneret. Atqui omnes homines miraculum agnoscunt pro sigillo Dei. Judæi quidem: quantumvis enim inimicissimi Christo, nunquam tamen negarunt, veris miraculis inesse vim confirmandæ veritatis; sed Christi miracula non vera, sed falsa fuisse calumniati sunt.

Christiani verò ad defensionem fidei suæ, & infidelium conversionem, miracula passim adhibent, ut invictissima argumenta veritatis. Neque in hoc infideles ipsi dissentiunt: nam, vel convertuntur ad fidem, visis auditisque miraculis, vel, si non convertuntur, ideo non convertuntur, quia non credunt facta fuisse miracula; nam si miracula facta fuisse crederent, veritati continuò manus darent. Adeò notum est omnibus, miraculum esse divinum sigillum. Atque hunc communem sensum cum supponerent Patres, Hæreticos novatores provocabant ad miracula, reposcendo ab iis litteras missionis suæ, miraculorum sigillo obsignatas: *Probent se* (aiebat Tertullianus Hæreticis insultans,) *probent se novos Apostolos esse, dare illis Christum virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur, & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quæ Apostolos in perversum æmulatur; illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis faciunt mortuos.* Probari potest. 3°. Ex usu miraculi: nam Deus miraculo passim utitur, ut sigillo; quodcumque enim vult haberi specialiter pro suo, ei miraculum, quasi propriam notam apponit. Hunc miraculi usum intelligebat Elias cum diceret, *Si homo Dei* 4. *Reg. c.* 1. *sum, descendat ignis de Cœlo, & devoret te.* Intelligebat Moses, miraculum quærens, quo veluti legatus Dei extraordinarius signaretur. Intelligimus & nos, passim agnoscentes pro divino, quidquid Deus miraculo confirmaverit. Deus igitur quodcumque dictum miraculo confirmat, eo ipso aut agnoscit pro suo,

aut adoptat in ſuum : Deus autem dictum falſum, nec poteſt agnoſcere pro ſuo, nec adoptare in ſuum ; quia ſi id faceret, manifeſtè deceptor eſſet. Ergò non poteſt Deus confirmare miraculo dictum falſum.

Objicies. Miraculum non eſt verbum Dei : nam Deus miraculum faciens, non eſt formaliter loquens. Ergò nihil repugnat divinæ veracitati, quòd Deus, miraculum faciat in confirmationem falſi : ibi enim non periclitatur veracitas Dei, ubi Deus non loquitur. Reſpondeo. Miraculum non eſt verbum, ſed ſigillum Dei. Inter ſigillum autèm & verbum hoc intereſt, quòd verbum dirigatur ad teſtificandam mentem loquentis de aliquo objecto, omnis enim loquens, eſt formaliter teſtificans mentem ſuam : ſigillum verò non dirigitur ad ſignificandam mentem ſigillantis, ſed præcisè ad teſtificandam veritatem dicti, quod ſigillo munitur. Quare Deus miraculum faciens v. g. Paralyticum ſanans, ad confirmandum illud Chriſti dictum, *Filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata*, non loquebatur formaliter, neque ſignificabat mentem ſuam de poteſtate Chriſti, ſed teſtificabatur dumtaxat illud Chriſti dictum, & miraculo tamquam ſigillo ſuo muniebat. Hinc tamen non ſequitur, Deum poſſe facere miraculum in confirmationem falſi ſalvâ ſuâ veracitate ; quia ſumma Dei veracitas inducit in Deo, non modo impotentiam teſtificandi mentem, quæ reipsâ non ſit, ſed etiàm impotentiam falſi quocumque modo teſtificandi : atqui Deus, ſi miraculo falſum aliquod dictum confirmaret, teſtificaretur

Miraculum non eſt verbum Dei, ſed ſigillum.

Luc. c. 5.

fetur sigillo suo aliquid falsum : quòd si contendas istam testificationem falsi , non pugnare cum veracitate Dei , dico pugnare saltèm cum summâ Dei sinceritate, quâ fit , ut Deus deceptor esse non possit ; nam si Deus falsum aliquid miraculo confirmaret , deceptor esset.

Dico 2°. In statu præsentis providentiæ , Deus non potest facere miraculum , quo creatura ad confirmandum errorem abutatur abusu insensibili. Probatur. Quia in statu saltèm providentiæ præsentis , miraculum est verum sigillum Dei , ad confirmandam veritatem institutum ; Deus autem non potest permittere abusum sigilli sui , ad confirmandam falsitatem in circumstantiis , in quibus ipse prudenter & necessariò crederetur , apposuisse sigillum falsitati ; quia si talem abusum permitteret in talibus circumstantiis , ipse moraliter deciperet. Quo ferè modo , si permitteret Rex sciens ac videns , Ministrum abuti sigillo regio , ad confirmandam scripturam aliquam falsam , veniret in partem falsitatis , & moraliter ipse deciperet.

In statu providentiæ præsentis, Deus non potest permittere abusum miraculi insensibilem ad confirmationem falsi.

Objicies 1°. Potest Deus conferre Ministro potestatem conficiendi Sacramentum , quâ potestate minister pro arbitrio suo abutatur in malum finem , Ergò potest Deus dare ministro virtutem miraculorum , quâ virtute minister pro suo arbitrio abutatur ad falsum confirmandum. Respondeo. Nego Consequentiam : disparitas est , quia abusus Sacramenti in malum finem , non est aliquid , quo Deus attestetur falsum : at verò , abusus ille miraculi esset aliquid , quo Deus falsum attestaretur ,

Potest tamen permittere abusum Sacramenti in malum finem.

& moraliter deciperet. Ratio ulterior est. Quia confectio Sacramenti, non est testificatio Dei, operatio verò miraculi, est quædam Dei testificatio. Accedit quòd, nemo ignorare potest, confectionem Sacramenti ordinari ab ipso Deo in bonum aliquem finem; sed in nostrâ suppositione crederent omnes, & prudenter crederent, operationem miraculi ordinari ab ipso Deo, ad confirmandum dictum, quod reipsâ falsum est.

Fraus ministri abutentis sigillo regio ad sigillandam scripturam falsam, non imputaretur regi, Sed imputaretur Deo fraus ministri abutentis miraculo insensibiliter ad confirmandum falsum.

Objicies 2°. Supponamus dare Regem Ministro suo sigillum Regium, & ità dare, ut omninò velit Ministrum sigillo uti, ad veram Scripturam sigillandam. Certè, si minister contra voluntatem Regis, abuteretur sigillo Regio ad sigillandam Scripturam falsam, nemo propterea accusaret Regem falsitatis, aut deceptionis. Ergò, si Deus daret alicui virtutem miraculorum ad veritatem confirmandam, minister verò abuteretur miraculo contra voluntatem Dei, ad falsum aliquid confirmandum, nemo diceret Deum esse deceptorem. Respondeo. Nego Consequentiam. Quia cùm minister sigillum regium apponit scripturæ falsæ, supponitur Rex non esse conscius falsitatis. Contra verò Deus miraculum faciens, quo minister abuteretur ad confirmandum falsum, conscius esset falsitatis, eique sigillum suum moraliter apponeret, ac proindè deciperet.

Nō peccat Deus præbens creaturæ concursum or-

Objicies 3°. Etiamsi creatura abutatur concursu Dei ordinario ad peccandum, non tamen Deus peccat creaturâ peccante, quia creatura peccans agit præter intentionem Dei,

Ergò etiamsi creatura abuteretur concursu Dei extraordinario ad decipiendum, Deus tamen non deciperet, quia creatura decipiens, ageret præter intentionem Dei. Respondeo. Nego Consequentiam. Disparitas est, quia peccare, est facere aliquid contra debitum suum; Deus autem concurrens ad peccatum præter intentionem, & determinatus à creaturâ, nihil facit contra debitum suum, ergò non peccat. At verò, permittere scienter abusum insensibilem sigilli sui, ad confirmandum falsum; est moraliter, seu in æstimatione hominum attestari falsum, ac proindè decipere. Certè satis notum est, concursum Dei ordinarium non dari creaturæ ad peccandum; quare si eo concursu abutatur creatura ad peccandum, abusus ille non Deo, sed creaturæ imputandus est. Sed non est notum, ut supponimus, concursum extraordinarium & miraculosum non dari, ad confirmandum dictum illud, propter quod confirmandum creatura miraculo abutitur. Quare, si fiat ejusmodi abusus, Deo tribuetur; prudenter enim credetur Deus munire sigillo suo dictum falsum. Ergò Deus ipse decipiet.

dinarium ad peccandum, quia non facit aliquid contra debitum suũ.

At verò permittens scienter abusum insensibilem sigilli sui ad confirmandum falsum, deciperet.

Objicies 4°. Deus concurret cum Pseudo-prophetis illis, qui in fine temporum facturi sunt tot ac tanta signa, ut ipsi etiam electi periclitentur; neque tamen Deus deceptor erit: Ergò etiamsi faciat Deus verum miraculum, quo creatura abutatur in confirmationem falsi, non erit deceptor: nam quòd falsa sint, aut vera miracula, nihil interest, si pro veris habeantur. Respondeo. Nego Consequentiam.

Non decipiet tamen Deus concurrens cũ Pseudoprophetis ad falsa miracula.

Quia falsum miraculum non est verum Dei sigillum.

Quia Deus ad falsa miracula cum Pseudoprophetis concurrens, non apponet sigillum suum; falsum enim miraculum, non est sigillum Dei: sed si Deus ad verum miraculum faciendum cum impostore concurreret, sigillo suo imposturam muniret; quia verum miraculum, est verum Dei sigillum. Quòd autem falsis miraculis homines in errorem adducantur, culpa est hominum non satis attendentium; qui, si diligentiùs attenderent, detegerent imposturam, & miraculorum vanitatem: nam, si quâcumque diligentiâ adhibitâ detegi non potest impostura, falsumque miraculum constanter ac prudenter habeatur pro vero; dico pertinere ad sinceritatem Dei, ne in talibus circumstantiis cum impostore concurrat, ad confirmationem falsi; quia ille concursus in æstimatione prudentum haberetur pro falsi contestatione, Deusque ipse moraliter deciperet.

Repugnat absolutè, & pro omni statu providentiæ possibilis ordinari à Deo miraculum, aut permitti abusum illius insensibilem ad confirmandum falsum.

Dico 3°. Impotentia faciendi miraculum in confirmationem falsi superiùs explicata, absoluta est, & pro omni statu providentiæ possibilis. Demonstratur. Quia miraculum est sigillum Dei, non ex institutione liberâ, ut placuit nonnullis, quasi potuerit miraculum à Deo non assumi in sigillum, sed est naturale quoddam sigillum; essentialiter & necessariò tale: atqui Deus absolutè non potest ordinare sigillum suum, aut permittere sigilli sui abusum insensibilem, ad confirmationem falsi. Ergò non potest Deus absolutè ordinare miraculum, aut permittere miraculi abusum in confirmationem falsi. Minor propositio jam

ſatis ſuprà offenſa eſt. Major verò oſtendi poteſt. 1°. Quia cùm miraculum ſit ſigillum divinum, vel tale eſt ex inſtitutione, vel ex naturâ ſuâ : ſed tale non eſt ex inſtitutione, quia nullibi extat inſtitutio miraculi in ſigillum. Certé, cum Apoſtoli apud infideles per miracula fidem quærerent dictis ſuis, nullam mentionem fecerunt illius inſtitutionis, nullam de illâ quæſtionem moverunt ; infideles autem nulla illius argumenta quæſierunt. Et verò, ſi fortè infidelis probari peteret iſtam inſtitutionem ; non video, quemadmodum efficaciter probaretur. Hîc enim deficeret probatio miraculorum, cùm ſupponatur miraculum antè inſtitutionem, non eſſe ſigillum Dei, ac proindè non habere vim confirmandæ veritatis. Oſtendi poteſt. 2°. Quia apud omnes gentes miraculum agnoſcitur pro ſigillo Dei, Ergò dicendum eſt tale eſſe ex naturâ ſuâ ; ſigna enim ex liberâ inſtitutione, non ſunt adeò generalia, neque idem ſignificant apud omnes gentes. Oſtendi poteſt. 3°. Ex ipsâ miraculi naturâ ; nam miraculum eſt opus aliquod extraordinarium, Dei ſolius ità proprium, ut totius naturæ vires ſuperet, in circumſtantiis in quibus fit : Ergò miraculum eſt ſpecialis quædam nota Dei operantis. Aliundè verò, cùm Deus extraordinariè & propriè non poſſit operari, ad confirmandum falſum, ne Deus ipſe videatur eſſe deceptor; ſequitur non poſſe Deum uti miraculo ad confirmandum falſum. Ergò miraculum, eſt quædam ſpecialis nota Dei operantis, quâ Deus uti non poteſt, niſi ad confirmandum verum : Ergò miraculum ex na-

Miraculum eſt ſigillum Dei naturale.

turâ ſuâ, non ex inſtitutione habet, ut ſit ſigillum divinum, ad ſolam veritatem ſignandam naturaliter ordinatum.

Neque tamen continuò evidenter verum erit omne dictum vero miraculo confirmatum.

Objicies 1°. Si miraculum eſt ſigillum Dei ad confirmandam veritatem naturâ ſuâ ordinatum, omne dictum vero miraculo confirmatum, evidenter verum erit; atqui omne dictum vero miraculo confirmatum, non eſt evidenter verum; Doctrina enim Chriſti veris miraculis confirmata eſt, neque tamen eſt evidenter vera. Reſpondeo. Nego Sequelam. Ratio negandi eſt. 1°. Quia fieri poteſt, ut veniat in dubium veritas miraculi. 2°. Quia dubitari poteſt de ordinatione miraculi, ad confirmandam Doctrinam. Atque hinc eſt, quòd Doctrina Chriſti, quamvis miraculis confirmata ſit, non ſit tamen evidenter vera. Quòd ſi fortè evidens fieret veritas miraculorum, ipſaque intentio Dei miracula ordinantis ad confirmandam Doctrinam Chriſti, jàm evidens fieret Doctrina Chriſti; quia evidens eſt, Deum non poſſe eſſe deceptorem; eſt itèm evidens, Deum fore deceptorem, ſi Doctrinam falſam miraculo confirmaret. Ergò evidens eſt, Deum non poſſe confirmare miraculo Doctrinam falſam: quare, ſi fieret evidens Deum confirmare miraculo Doctrinam Chriſti, fieret evidens Doctrinam Chriſti veram eſſe.

Objicies 2°. Miraculum eatenùs dicitur naturale ſigillum Dei ad veritatem confirmandam, quatenùs eſt naturalis quædam nota, quâ Deus ſignificat ſe velle fidem & ſuaſionem alicujus dicti; atqui propterea miraculum, non eſt ſigillum naturale Dei ad veritatem confir-

mandam ; quia Deus potest absolutè velle fidem & suasionem dicti falsi ; potest enim Deus velle in pœnam peccati, ut decipiatur peccator, & credat dicto alicui falso. Respondeo. Miraculum non est præcisè naturale sigillum Dei, eò quòd per illud significet Deus, velle se fidem & suasionem alicujus dicti ; sed quòd per miraculum, tanquam per notam sibi peculiarem testetur Deus veritatem dicti. Quare quod dicitur, posse Deum velle suasionem dicti falsi, Nego id posse velle, approbando & muniendo dictum falsum sigillo suo : esto, id velle possit aliis modis. Quòd verò additur, Deum posse velle in pœnam peccati, ut decipiatur peccator, nihil repugno ; dummodo stet Deum ipsum non posse decipere ; ipse autem deciperet, si falsum aliquod dictum miraculo confirmaret.

Ratio sigilli conveniens miraculo in eo est, quòd Deus per miraculum tanquam per notam sibi peculiarem & propriã veritatem dicti testetur.

Objicies 3°. Ergò Deus non potest facere miraculum, quo creatura abutatur ad confirmandum falsum abusu sensibili ; quia periculum esset, ne Deus pro testificatore falsi & deceptore haberetur. Consequens autem manifestè falsum est. Nam 1°. Potest Deus dare homini nequam virtutem miraculorum, gratia enim miraculorum non postulat necessariò subjectum sanctum. 2°. Potest Deus ità determinare & notificare finem propter quem vult miracula fieri, ut constet omnibus virtutem miraculorum datam esse homini nequam, propter sola misericordiæ opera exercenda, non autem propter alium finem. 3°. Potest nihilominùs homo nequam abuti virtute illâ extraordinariâ ad confirmandum falsum, quemadmodum abu-

Nihilominus potest Deus permittere abusum miraculi sensibilem, ad confirmationem falsi.

titur peccator virtute ordinariâ ad peccandum. Respondeo. Nego Sequelam, ejusque probationem. Fateor ergò, non tantùm absolutè & in statu providentiæ alicujus possibilis, sed in statu etiàm providentiæ præsentis, posse Deum permittere abusum sensibilem miraculi in confirmationem falsi. Ratio est. Quia miraculum in talibus circumstantiis, non esset testificatio Dei; Deus enim neque Physicè, neque moraliter falsum attestaretur. Non Physicè, cùm miraculum ipse non ordinaret ad confirmationem falsi. Non moraliter, cum satis constaret miraculum propter alios fines à Deo fieri. Deus igitur miraculosè operans in talibus circumstantiis, neque Physicè, neque moraliter deceptor esset. Confirmatur. Nam Rex, si fortè det Ministro sigillum suum, determinando usum sigilli, & notificando omnibus quem in finem sigillum Ministro permittat, certè, cùm Minister sigillo Regio abutetur ad Scripturam falsam signandam; deceptio, non Regi, sed soli Ministro imputabitur. Idem omninò dicendum est de Deo permittente abusum miraculi sensibilem.

Nam in hoc nihil est quòd Deum deceat.

Instabis. Dedecet Deum permittere sigillum suum homini nequam, si prævideat abusurum sigillo in confirmationem falsi; nam Deus, si talem abusum permitteret, conscius esset & aliquo modo particeps falsitatis. Respondeo, Nego Antecedens. Dedecet quidem Deum permittere abusum sigilli sui in circumstantiis, in quibus Deus prudenter & necessariò crederetur apponere sigillum suum dicto falso; sed in circumstantiis nostris nihil tale contingit;

Deus enim, nec apponit ipse sigillum dicto falso, nec prudenter & necessariò creditur sigillum apponere. Quare deceptio, si qua est, non in Deum refundi debet, sed in Ministrum.

ARTICULUS IV.

Demonstratur repugnare Deo infusionem, & operationem erroris.

PRæmitto 1°. Error, alius est actualis, alius habitualis. Actualis, est quoddam judicium falsum. Aliquandò verò directus est & simplex, hoc est, simpliciter repræsentans objectum suum, præscindendo à statu quem habet in mente Dei: ut, si nunc ego judicarem vivere homines in mundo lunari. Aliquandò error reflexus est, vel supra mentem Dei de aliquo objecto, vel supra ordinationem mentis divinæ ad aliquem. Ut, si nunc ego crederem, non modò vivere homines in mundo lunari, sed etiàm Deum ità sentire, mentemque suam ad me dirigere. Per errorem habitualem, intelligo habitum quemdam inclinantem ad falsò judicandum.

Error actualis qui sit, quid directus & simplex.

Quid reflexus.

Quid error habitualis.

Præmitto 2°. Infusio erroris, non est quæcumque erroris productio: nam Deus intelligi potest producere errorem in creaturâ duobus modis. 1°. Ità ut creatura determinet Deum ad errorem efficiendum. 2°. Ità ut creatura non determinet Deum, sed ipsa à Deo determinetur. Rursùm. Creatura potest determinare Deum ad efficiendum errorem,

Quid infusio erroris.

vel physicè, vel moraliter. Physicè determinare dicitur, cùm est aliquid in creatura physicè exigens concursum Dei ad errorem, ut est in amentibus, prava dispositio capitis, & in temerè judicantibus, pravus affectus voluntatis. Moraliter determinare dicitur, si aliquo peccato suo Deum moveat ad errorem ipsi immittendum, qui sit pœna peccati. Hinc sequitur infusionem erroris concipi posse duplicem. Prima est. Si Deus errorem producat in creaturâ intellectuali, concurrente quidem, sed non determinante : quo ferè modo producit Deus in intellectu gratiam illuminationis supernaturalem. Secunda est. Si Deus errorem producat cum creaturâ determinante moraliter tantùm, & non physicè ; Deus enim infundere dicitur scientiam homini, quamvis fortè meritis hominis moveatur ad scientiam ei donandam. Ergò dicetur infundere errorem, quamvis fortè peccato hominis moveatur ad errorem immittendum : nullatenùs autem dicendus est infundere errorem, eò præcisè quòd errorem producat cum creaturâ intellectuali physicè determinante, sive exigente concursum Dei ad errorem ; quemadmodum non dicitur Deus infundere peccatum, quamvis cum creaturâ ad peccatum concurrat.

Repugnat infusio erroris reflexi supra ordinationem mentis suæ ad creaturam.

Dico 1°. Repugnat Deo infusio erroris reflexi supra ordinationem mentis suæ ad creaturam, idque nomine suo. Demonstratur. Error ille reflexus, est error, quo credit creatura Deum ordinare ad se mentem aliquam, idque nomine suo ; repugnat autem Deo infusio talis erroris : Deus enim non potest, Exempli

causâ, infundere mihi errorem, quo credam Deum ordinare ad me suam mentem de hominibus lunaribus; seu velle, ut cognoscam esse homines in mundo lunari, & hanc esse mentem Dei, mihique hanc mentem ab ipso dirigi, & nomine suo. Ratio manifesta est penetranti terminos; quia Deus non potest falsum loqui, sed per infusionem talis erroris falsum loqueretur; infusio enim illa esset quædam Dei locutio falsa: nam 1°. Error ille, est quoddam signum naturale objecti sui; objectum autem illius est mens divina de hominibus lunaribus, & ordinatio mentis divinæ ad me, Dei nomine facta; ergò est signum naturale mentis divinæ, & ejus ordinationis ad me. 2°. Si Deus talem errorem mihi infunderet, illum ad me dirigeret cum ordinatione mentis suæ ad me; ergò dirigeret ad me signum mentis suæ, mentemque suam. Cùm autem error ille sit signum aliquod mentis falsæ, seu quam Deus reipsâ non habet, dirigeret Deus ad me signum mentis alicujus falsæ, ipsamque mentem falsam, ergò mihi falsum loqueretur. Ratio ulterior est, quia Deus hoc ipso quòd mihi talem errorem infunderet, vellet esse in me talem errorem, ac proindè habere in me suum effectum formalem: formalis autem effectus talis erroris, est facere, ut cognoscam vivere homines in mundo lunari, ità sentire Deum, & mihi hanc mentem suam ordinare nomine suo, ergò, si Deus talem errorem mihi infunderet; vellet idem, ut cognoscerem se ità sentire de hominibus lunaribus, & hanc mentem suam ad me dirigere, idque nomine suo. Hoc autem est, formaliter loqui.

Quia talis erroris infusio, esset quędam locutio Dei falsa.

Illuminatus aliquis si fortè erret errore illo reflexo, error ille à Deo infusus esse non potest.

Obijcies. Potest aliquis de gente illuminatorum credere ex errore, ordinari sibi mentem Dei de aliquo objecto, quæ tamen reipsâ non ordinetur: Nam, quòd quis credat ordinari sibi mentem Dei, non continuò sequitur talem ordinationem reipsâ fieri; atqui Deus non loquitur, si reipsâ mentem suam non ordinet, quantumvis putetur ordinare. Respondeo: distinguo Antecedens. Potest aliquis credere ex errore, ordinari sibi mentem Dei, quæ reipsâ non ordinetur, si error ille, quo ita credit, sit error à Deo infusus, nego. Si non sit à Deo infusus, concedo. Disparitas enim magna est inter errorem infusum, & non infusum: Nam si Deus errorem infunderet, ex ipso modo producendi vellet errorem esse in creaturâ, ergò vellet, ut creatura cognosceret ordinari sibi mentem Dei de objecto; est enim hic proprius & formalis effectus talis erroris: At verò, si error non est infusus, sed productus à Deo ad exigentiam & determinationem creaturæ, non vult propterea Deus errorem esse in creaturâ; ergò neque vult, ut creatura cognoscat ordinari sibi mentem Dei: Quare, ut paucis disparitatem concludam, unus producendi modus, est ordinatio mentis divinæ ad creaturam, alter, non est.

Repugnat Deo infusio erroris reflexi supra aliquam Dei mentem falsam.

Dico 2°. Repugnat Deo infusio erroris reflexi supra aliquam Dei mentem falsam. Demonstratur. Error ille reflexus, est error quo creatura credit Deum sentire de objecto aliter ac reipsâ sentit; Deus autem non potest infundere talem errorem, non enim potest mihi, v. g. infundere errorem, quo credam vivere homines

in mundo lunari, & Deum ità ſentire, cùm tamen non ità ſentiat. Nimirùm error ille, eſt verum & naturale ſignum mentis divinæ falſæ; repræſentat enim formaliter eſſe in Deo mentem aliquam, quæ reipsâ in Deo non eſt: Atqui Deus non poteſt ponere per ſe, verum & naturale ſignum mentis ſuæ falſæ; hoc enim faciendo falleret. Ergò &c. Confirmatur. Si Deus per ſe formaret verba ſignificantia mentem aliquam falſam Dei, eaque dirigeret ad audientem, falleret; Ergò ſi Deus per ſe immitteret homini judicium, repræſentans aliquam mentem Dei falſam, pariter hominem falleret; quia error ille ſignificaret mentem Dei falſam, non minùs quàm verba; hoc tamen diſcrimine, quòd verba ſignificarent ex inſtituto, error autèm ille ex naturâ ſuâ ſignificaret.

Quia error ille eſſet verum & naturale ſignum mentis divinæ falſæ, quod ſignum ſi Deus per ſe poneret, falleret.

Objicies. Deus talem errorem infundens non loqueretur, ergò non falleret. Antecedens probatur. Quia non loquitur, qui præcisè ponit ſigna mentis falſæ, niſi ea ſigna, mentemque ſuam dirigat ad alterum. Reſpondeo 1°. Nego Antecedens. Nam ſi Deus talem errorem infunderet creaturæ intellectuali, non modò poneret ſignum mentis ſuæ falſæ, ſed etiàm ſignum illud ad creaturam dirigeret; quia ipſe modus producendi importaret directionem, importaret enim voluntatem, quâ Deus vellet cognoſci à creaturâ eſſe in Deo mentem aliquam, quæ reipsâ non eſſet, voluntas autem illa eſt formaliter directio ſigni, & ordinatio mentis ad creaturam. Reſpondeo 2°. Eſto. non loqueretur per infuſionem talis erroris, falleret ta-

Utrum autem infuſio talis erroris eſſet propria locutio Dei, nec ne; non multùm intereſt.

Quia ſemper eſſet fallacia Deo indigna.

men, quia fallit formaliter, quicumque per ſe ponit ſignificationem falſam, cum intentione fallendi, ergò &c. Utrum verò ea fallacia, ſit fallacia loquentis, nec ne, non multùm intereſt, dummodo ſtet eſſe fallaciam Deo indignam.

Repugnat Deo infuſio cujuſcumque erroris, quantumvis ſimplicis.

Dico 3°. Repugnat Deo infuſio cujuſcumque erroris, quantumvis ſimplicis. Demonſtratur. Quia Deus decipere non poteſt, ut ſatis apparet ex ipſis terminis, ſed ſi Deus errorem infunderet, deciperet; nam quid eſt decipere, niſi inducere in errorem? & quis in errorem inducit, ſi non inducit ille, qui errorem infundit? Confirmatur. 1°. Ille decipit, qui ponit per ſe determinatum aliquod ſignum rei falſæ, dirigendo ad alterum; ſed Deus errorem infundens, poneret per ſe ſignum determinatum rei falſæ, dirigendo ad alterum: error enim eſt ſignum determinatum rei falſæ, & Deus ſignum ejuſmodi dirigeret ad creaturam, quia ex modo producendi vellet, ut creatura cognoſceret objectum aliter eſſe, ac reipsâ ſit.

Quia Deus eâ infuſione deciperet.

Confirmatur 2°. Deus non poteſt ponere per ſe ſignum mentis ſuæ falſæ, dirigendo illud ad alterum, ergò neque poteſt ponere ſignum alterius objecti falſi dirigendo ad alterum; nam ſi debetur fides ſumma Deo ſignificanti mentem ſuam, non video, cur non debeatur fides ſumma Deo ſignificanti aliud quodcumque objectum: atqui, ſi Deus poſſet ponere per ſe ſignum objecti falſi, dirigendo ad alterum, non deberetur ſumma fides Deo ſignificanti objectum illud; quemadmodum non deberetur ſumma fides Deo ſignificanti mentem

ſuam, ſi poſſet Deus ponere per ſe ſignum mentis ſuæ falſæ. Confirmatur 3°. Indignum eſt Deo, apponere ſigillum ſuum Scripturæ falſæ, quamvis ſigillum non ſignificet mentem ſigillantis, ergò indignum eſt Deo, ponere per ſe ſignum objecti falſi, quamvis ſignum illud, non ſit ſignum mentis divinæ. Confirmatur 4°. Si Deus poteſt infundere errorem, deſtruitur, ſaltem ex parte, fundamentum perfectæ ſocietatis Dei cum creaturis intellectualibus; talis enim ſocietas poſtulat, ut merces à Deo immediatè venientes, non poſſint eſſe ſuſpectæ: atqui ſi Deus infundere poteſt errorem, merces à Deo immediatè venientes ſuſpectæ erunt; nam ſuſpectæ erunt cogitationes à Deo inſpiratæ, quæ ſunt inſtar mercium à Deo immediatè venientium, quia dubitari poterit, an ſint falſæ.

Objicies. Deus poteſt infundere homini dolorem, ergò & errorem: nam dolor, non eſt minus malum, quàm error. Reſpondeo. Nego conſequentiam ejuſque probationem. Error enim eſt majus quoddam malum & alterius ordinis: cujus rei conjecturæ ſunt. Quòd error homini pudorem faciat, non dolor. Quòd Chriſtus dolorem aſſumpſit, non errorem. Quòd jubemur errorem fugere, non dolorem. Cur autem error majus quoddam malum ſit, quàm dolor. Ratio duplex eſt. Prima quia error dedecet naturam rationalem, ut rationalis eſt; natura enim rationalis, ut rationalis eſt, eſt intellectiva veri. Altera eſt, quia error per ſe tendit ad depravandum affectum: cùm enim intellectus ſit regula voluntatis, ubi errat in-

Cur Deus dolorem infundere poſſit, errorem non poſſit.

tellectus judicando, errat ferè voluntas amando. Atque hinc est, quòd error dicatur esse malum aliquod morale, seu ad mores aliquo modo pertinens. Hæc quamvis verissima sint, nondum tamen in iis acquiesco, sed aliam affero, causam disparitatis inter dolorem & errorem: nimirùm, error est signum naturale & determinatum rei falsæ: dedecet autem Deum ponere per se, & quasi nomine suo signum determinatum rei falsæ, dirigendo ad alterum, ergò dedecet Deum ponere per se, & quasi nomine suo errorem dirigendo ad alterum: Deus autem si errorem infunderet, poneret per se & nomine suo errorem, dirigendo ad creaturam errantem. At verò dolor, aliudve malum physicum, non est signum determinatum rei falsæ; quare Deus infundens dolorem, non decipit, deciperet autem infundens errorem.

Quicumque ponit per se & nomine suo signum determinatum rei falsæ, eo ipso decipit.

Instabis. Non continuò decipit, qui ponit signum determinatum rei falsæ, dirigendo ad alterùm, ergò Deus infundens errorem, non deciperet. Antecedens demonstrari potest multis exemplis. Nam 1°. cùm ad conspectum classis inimicæ exploditur tormentum bellicum, explosio illa, lætitiæ, aut salutationis honorificæ signum est, & quidem falsum; non decipit tamen, qui tormentum explodit in eum finem, ut classis inimica decipiatur, & pro amicis habeat, qui amici non sunt. 2°. Potest Deus miraculosè efficere, aut conservare visionem rosæ, quamvis rosa non sit præsens; visio autem illa rosæ, esset signum aliquod falsum, necessariò trahens errorem, quo judicaretur

Contra hoc pr[illegible]m immobile multa proponuntur.

diceretur rosa præsens, quæ præsens non esset. 3°. Christus ità Magdalenæ apparuit, ut crederetur esse hortulanus; neque tamen Magdalenam decepit. 4°. Discipulis euntibus in Emaüs, Christus idem dissimulavit speciem suam; adèò ut videretur esse peregrinus, & longè alius ab ipso, secundùm illud, *tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent.* 5°. Conservat Deus quotidie accidentia sensibilia panis & vini, destructâ panis & vini substantiâ; accidentia autèm illa sunt signa falsa, quæ determinant ad judicandam panis & vini præsentiam; Deus tamen non decipit; ergò quamvis error sit signum rei falsæ, poterit à Deo infundi sine ullâ deceptione. Respondeo. Nemo ponit per se & nomine suo, signum determinatum rei falsæ, dirigendo ad alterum, quin eo ipso decipiat; Deus autem, si errorem infunderet, poneret per se & nomine suo signum determinatum rei falsæ, dirigendo ad alterum, ergò deciperet. Quo principio immobili constituto, non erit admodùm difficile, ad exempla proposita respondere. Ad primum igitur dico. Explosionem tormenti bellici, non esse signum determinatum lætitiæ, aut salutationis honorificæ, in alios enim fines tormentum explodere licet, maximè belli tempore, quo tempore omnia ejusmodi signa, æquivoca, indifferentia & suspecta esse debent: quare, si classis inimica tormenti explosione decipitur, imprudentiâ suâ decipitur. Esto. Velit explodens, ut hostes decipiantur, signum illud æquivocum malè interpretantes, ipse tamen non decipit; nam homini quidem licet interdùm velle, ut alii suâ

Luc. c. 24. v. 16.

Sed facilè solvuntur omnia, per legitimam principii applicationem.

imprudentiâ decipiantur, decipere autem nunquam licet. Ad secundum dico. Visionem rosæ miraculosè conservatam, non esse signum determinatum rosæ præsentis, significat enim tantùm indeterminatè & disjunctivè, vel rosam præsentem esse, vel ità feriri oculos, ac si rosa præsens esset: nec verò errorem necessariò trahit ista visio; nam si Deus fortè moneat de absentiâ rosæ, non sequetur error; si fiat prudens suspicio miraculi, poterit suspendi judicium; si rosam videns Stoicus sit, & prudentiæ adeo circumspectæ, ut, non existentiam rerum, sed solam apparentiam judicare soleat, judicabit apparere rosæ præsentiam, sed præsentiam non judicabit. Poterit deniquè hærere in solo disjuncto, & judicare tantùm, vel rosam præsentem esse, vel ità feriri oculos, ac si præsens esset, quod verissimum est; ergò visio rosæ miraculosè conservata, non determinat necessariò ad judicandam rosæ præsentiam. Quòd si supponatur conservari ea visio in circumstantiis, in quibus ad judicandam rosæ præsentiam necessitat; dicendum erit, complexum circumstantiarum non esse propriè & per se à Deo, sed esse aliquam circumstantiam quam Deus non vult, & per se non posuit: Nam si totum complexum necessitans ad errorem Deus propriè & per se poneret, jàm propriè in errorem induceret, ac proindè propriè deciperet: oportet ergò ut sit in complexo aliqua circumstantia non veniens à Deo, quæ si non esset, non fieret ulla errandi necessitas, errandi enim necessitas à Deo non est. Ad tertium, dici potest Magda-

lenam, ex vi amoris & doloris non satis sui compotem, non satis attendisse ad speciem Christi, eumque pro alio præcipitanter accepisse; nam dicitur quidem Magdalena existimasse, quòd hortulanus esset, sed nusquàm dicitur Christus in specie hortulani apparuisse. Quòd si velis Christum ità apparuisse, potuit tamen Magdalena Christum introspicere sub eâ specie latentem; aut si non potuit, profectò venit ea impotentia, ex aliquâ circumstantiâ, quam Christus esse noluisset: nam Christus talem speciem assumpserat, non ut alius à seipso, sed ut, qualis reipsâ erat, appareret, verus scilicet & spiritualis hortulanus, ut explicant Patres, non modo *plantans* aut *rigans*, sed gratiæ & virtutum seminibus *incrementum* dans. Ad quartum. Christus Discipulis ita dissimulavit speciem suam, ut posset internosci; nam species assumpta peregrini & viatoris, eò solùm pertinebat, ut intelligerent Christum jam esse in procinctu subtrahendi se ipsis, & remeandi ad patrem: tenebantur autem oculi eorum, ne eum agnoscerent, vel fascinatione diaboli, ut putavit Augustinus, vel suâ ipsorum inconsideratione, & examinandi negligentiâ, vel aliquo alio impedimento, quod Christus esse noluisset; quare, si qua fuit in Discipulis errandi necessitas, à Christo propriè non fuit. Ad quintum Dico. Accidentia panis & vini conservari, non in signum panis & vini, sed in signum cibi & potûs, quem Christus fidelibus apposuit in Eucharistiâ, neque per ea accidentia inducuntur in errorem fideles, de mysterio

Pauli 1. ad Cor. c. 3.

instructi ; infideles autem, si errant, causa errandi est infidelitas & ignorantia ipsorum, quam Deus nollet esse : quare, si quam habent errandi necessitatem, à Deo propriè non venit. Sed si Deus errorem infunderet, Jam errandi necessitas à Deo veniret; Deus enim propriè & per se poneret signum determinatum rei falsæ, quo formaliter creatura constitueretur errans, ergò Deus propriè Creaturam deciperet.

Repugnat Deo quæcumque propria operatio erroris actualis.

Ratio petitur ex summâ Dei sinceritate.

Dico 4°. Repugnat Deo quæcumque propria operatio erroris actualis. Demonstratur ex summâ sinceritate Dei. Nàm si Deus posset operari propriè errorem, summè sincerus non esset, posset enim excogitari major aliqua sinceritas, sinceritate Dei; eà nimirùm, quæ omnem operationem erroris propriè dictam excluderet. Confirmatur 1°. Authoritate Scripturæ, quæ passim removet à Deo operationem erroris, eamque dicit esse operationem Satanæ. Confirmatur. 2°. Authoritate Patrum, qui duriora quædam Scripturæ loca, in quibus dicitur Deus excæcare, decipere, seducere, interpretantur de solâ permissione erroris, putantes nimirùm propriam erroris operationem Deo esse indignam. Confirmatur 3°. Authoritate spiritualium & mysticorum, qui omnes in suis regulis pro discretione spirituum, supponunt falsas cogitationes ab spiritu bono inspirari non posse, & cavendum monent ab spiritu malo, qui se *in Angelum lucis*, & in Deum ipsum, non raró *transfigurat*. Confirmatur 4°. Ex communi sensu fidelium : vix enim unus est, qui non admitteret cogitatio-

nem aliquam ut veram, si certò sciret illam esse propriè à deo. Deus igitur causa erroris est, non propria & per se, sed impropriè & per accidens, causa nimirùm universalis ad exigentiam & determinationem creaturæ operans, idque præter, aut contra intentionem suam, & cum aliquâ displicentiâ; nec tàm efficiens operationem erroris, quàm permittens.

Deus causa erroris est non propria & per se, sed impropria & per accidens.

Objicies 1°. Potest Deus dementare hominem, vel in pœnam peccati, vel propter alios fines; Deus autem hominem dementans, esset causa propria & per se errorum, ex dementatione sequentium. Respondeo. Deus non potest dementare hominem propriè & per se, aut sine interventu alicujus causæ liberæ; quia si Deus propriè & per se hominem dementaret, Jàm Deus in errorem induceret, ac proinde deciperet: quare si Deus fortè hominem dementet, id non facit propriè & per se, tanquam causa particularis, sed tanquam causa universalis, mediante spiritu malo, aliâve causâ libera determinante, cui Deus hominis dementationem permittit. Atque hic est verus sensus Patrum, qui operationem erroris Satanæ tribuunt, solam erroris permissionem Deo relinquentes.

Deus hominem dementare non potest propriè & per se, aut sine interventu alicujus causæ liberæ.

Objicies 2°. Potest Deus velle errorem Creaturæ, & ità velle, ut obligationem imponat errandi; voluntas autèm illa est propriè dicta voluntas, quæ Deum denominat propriam causam erroris. Antecedens certum est: interdum enim error ità fit credibilis, ut sine imprudentiâ repudiari non possit; tunc autem vult Deus,

ut errorem creatura admittat, & ità vult, ut obligationem faciat errandi; nam si creatura errorem non admitteret, peccaret. Deus autem vult, ne creatura peccet, ergò vult idem ut creatura erret. Respondeo. Deus non potest velle errorem creaturæ suæ, voluntate primariâ, & intendente, sed voluntate dumtaxat secundariâ, & permittente: Nam si Deus quandoque vult errare creaturam, id non vult, nisi ex aliquâ suppositione, quàm nollet esse, & cum aliquâ erroris displicentiâ. Ratio ulterior est, quia talis censeri debet voluntas Dei circa errorem, qualis est circa causas errorem necessariò trahentes, voluntas autem Dei circa causas errorem necessariò trahentes, non tàm intendens est, quàm permittens; Deus enim nollet esse illam causarum seriem, ex quâ error necessariò sequitur. Ergò voluntas Dei circa errorem, non tàm est intendens, quàm permittens. Quare, ne ipsa quidem Dei voluntas, obligans creaturam ad errandum, in circumstantiis, in quibus error ità credibilis est, ut sine imprudentiâ respui non possit, dici debet voluntas propriè intendens; quia ità est obligans ad errandum, in suppositione tantæ credibilitatis erroris, ut eam suppositionem nollet esse, & in ipso errore displiceat. Deus nimirum ità vult errare creaturam suam, ut velit in iis tantùm circumstantiis, in quibus, aut errandum, aut peccandum est, quod non est propriè velle errorem creaturæ, sed magis velle, ne creatura peccet, quàm, ne erret; utrumque enim displicet Deo, & peccatum, & error, sed mi-

Deus velle non potest errorem creaturæ voluntate primariâ, & intendente, sed voluntate dumtaxat secundariâ & permittente.

nùs error, quàm peccatum: Neque hinc sequitur, placere Deo errorem creaturæ, nam ex duobus malis, quorum neutrum placet, fieri poteſt, ut unum minùs diſpliceat, quàm alterum.

Inſtabis. Deus, ex ſuppoſitione peccati, quam nollet eſſe, vult propriè damnationem peccatoris, eamque propriè operatur, ergò Deus, quamvis errorem creaturæ nolit, niſi ex ſuppoſitione quam nollet eſſe, dici tamen poteſt, velle propriè errorem, eumque propriè operari. Reſpondeo. Nego conſequentiam. Scriptum eſt quidem, *Deus mortem non fecit*, *Ezech. c. 18.* & *voluntatis meæ non eſt mors impii*, dicit Dominus, quatenùs mors, & damnatio peccatoris, eſt contra voluntatem primam & antecedentem, quâ Deus extra ſuppoſitionem peccati, vivere vellet, & ſalvari peccatorem; ſuppoſito tamen peccato, Deus propriè vult voluntate ſecundâ & conſequente, mortem & damnationem peccatoris; ità ut, in ipsâ morte & damnatione complaceat, eamque propriè, & extraordinariè operetur. At verò quæcumque ſuppoſitio fiat, Deus in errore creaturæ ſuæ complacere non poteſt, quia talis complacentia non ſatis congruit ſummæ ſinceritati Dei. Non dedecet quidem Deum juſtum ſimul & bonum, complacere in pœnâ peccatori debitâ, quia Deo etiàm ſummè bono placere debet, ut puniatur, qui pœnam meretur: ſed planè dedecet Deum ſincerum, complacere in errore creaturæ, quocumque modo error contingat; quia ſatis ſincerus non eſt, non modo ille qui alterum decipit, ſed etiam ille, cui

Deus non poteſt in errore creaturæ ſuæ complacere.

placet aliquo modo alterum decipi. Esto igitur Deus propriè & per se damnationem peccatoris operetur, nullo tamen sensu propriè & per se errorem creaturæ operatur.

In suppositione parochi, falsum dogma proponentis.

Objicies 3°. In suppositione Parochi falsum dogma rustico proponentis, Deus auxilio supernaturali concurrit ad errorem rustici, ergo est propriè & per se causa erroris. Respondeo. Nego Antecedens. Nam auxilium supernaturale quod datur rustico, non datur propriè ad errorem; error enim est actus in substantiâ naturalis, ad quem nihil opus est auxilio supernaturali: Datur ergò auxilium supernaturale ad solum affectum credendi, qui honestus & supernaturalis est. Hinc sequitur, Deum esse quidem causam propriam, & specialem affectûs credendi, sed non erroris; quia Deus, nec concursum supernaturalem exhibet errori, nec errorem producit, nisi in circumstantiis quas nollet esse, nec in errore ullatenùs complacet. Ille autem affectus credendi, propter quem datur auxilium supernaturale, non errandi affectus est, sed potius affectus veri assequendi.

Deus non est propria & specialis causa erroris, sed solius affectus credendi qui supernaturalis est.

Instabis 1°. Deus est propria causa alicujus necessariò connexi cum errore, est enim propria causa affectûs credendi, qui necessariò errorem trahit. Respondeo. Affectus credendi supernaturalis, non est per se connexus cum errore; est enim secundùm se indifferens, ut conjungatur cum actu vero, aut falso: nam, si verum dogma parochus proponeret, rusticus ex eodem affectu credendi, verum actum eliceret; affectus ergo cum errore connexus

Affectus credendi supernaturalis non est per se connexus cum errore.

eſt, per accidens tantùm, & ex circumſtantiâ parochi falſum dogma proponentis, quam circumſtantiam Deus nollet eſſe: quare Deus vult quidem propriè affectum credendi ſupernaturalem, eumque propriè operatur, ſed errorem quem affectus ille non trahit, niſi per accidens, Deus, nec propriè vult, nec propriè operatur.

Inſtabis 2°. Affectus credendi neceſſariò & per ſe cum errore connexus eſt, eſt enim voluntas credendi quaternitatem perſonarum, quæ credenda proponitur, voluntas autem illa neceſſariò trahit errorem, quo credatur quaternitas; nec poteſt ullo modo imperare actum verum, quo Trinitas credatur, ergo ſi Deus propriè operatur affectum credendi, operatur & propriè errorem. Reſpondeo. Duplicem diſtinguere oportet affectum credendi, univerſalem ſcilicet, & ſingularem. Singularis, eſt voluntas credendi determinatè quaternitatem perſonarum, & hic quidem affectus neceſſariò & per ſe cum errore connexus eſt, ſed non eſt ſupernaturalis, & Deum propriè authorem non habet. Univerſalis, eſt voluntas credendi quidquid ſufficienter propoſitum fuerit, ut à Deo revelatum; affectus autem iſte, ſupernaturalis eſt, ſed non eſt ſecundùm ſe cum errore connexus, eſt enim indifferens ſecundùm ſe, ad imperandum actum verum, aut falſum. Nam, ſi loco quaternititas, quæ credenda proponitur, proponeretur Trinitas, imperaretur fides Trinitatis eodem affectu, quo fides quaternitatis imperatur.

Affectus credendi duplex diſtinguendus eſt.

Univerſalis & ſingularis.

Singularis cum errore connexus eſt, ſed non eſt ſupernaturalis.

Univerſalis autem ſupernaturalis eſt, ſed non eſt per ſe cum errore connexus.

Inſtabis 3°. Affectus univerſalis trahit per ſe

affectum ſingularem, affectus autem ſingularis trahit per ſe errorem, ergo ſi Deus eſt propria cauſa affectûs univerſalis, eſt propria cauſa affectûs ſingularis. Si autem eſt propria cauſa affectûs ſingularis, eſt etiam propria cauſa erroris. Reſpondeo. Pro diſſoluendâ ſerie rerum malè nexarum. Dicendum eſt, affectum univerſalem credendi non trahere neceſſariò & per ſe affectum ſingularem credendi quaternitatem perſonarum. Nam affectus univerſalis eſt indifferens ſecundùm ſe, ut conjungatur cum alio affectu ſingulari determinante ad credendam perſonarum Trinitatem; quare cum affectu ſingulari, determinante ad quaternitatem credendam, non niſi per accidens conjungitur, & ex circumſtantiâ falſæ propoſitionis, quam propoſitionem Deus eſſe nollet. Stet ergò Deum operari quidem propriè affectum univerſalem credendi, ſed non operari propriè affectum ſingularem cum errore connexum.

Neque trahit neceſſariò affectum ſingularem cum errore connexum.



QUÆSTIO IV.

De Divinitate Doctrinæ Chriſti.

PARUM eſt homini Libertino quod jam demonſtravimus, ſummam eſſe Dei loquentis Authoritatem; nam & ipſe ultrò confitetur, Deum, ſi loquatur, mereri ſummam fidem, paratus etiam Chriſtianiſmum amplecti, ſtatim ut perſuaſum ei fuerit, Deum per Chri-

ſtum fuiſſe reipsâ locutum, & doctrinam Chriſti verè eſſe divinam. Quare progrediendum eſt ulterius, ad divinitatem doctrinæ Chriſti demonſtrandam. Id quod evincemus tàm patentibus argumentis, ut omni homini rationali, & non præoccupato, evidenter appareat prudentiſſimè facere, quicumque credit doctrinam Chriſti divinam eſſe, imprudentiſſimè verò, quicumque non credit. Sed parùm, aut nihil omninò fecerimus, niſi nos ſpecialiter juverit ille ipſe Chriſtus qui dixit, *ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Demonſtratio tota duplici parte conſtabit. Prima erit, evidens credibilitas doctrinæ Chriſti. Secunda, evidens incredibilitas cujuſcumque ſectæ Chriſtianiſmo oppoſitæ. Valebit utraque, & ad fideles confirmandos in fide, & ad convertendos infideles.

Luc. 21.

CAPUT PRIMUM.

Evidens credibilitas Divinitatis Doctrinæ Chriſti.

PEr doctrinam Chriſti, intelligitur doctrina, quam Chriſtus ipſe, aut per ſe immediatè & proprio ore, aut per Apoſtolos ſuos tradidit. De qua doctrinâ cùm quæritur, an divina ſit, non quæritur, an Chriſtus ipſe ſit Deus, hæc enim quæſtio alterius loci eſt; ſed præſcindendo à divinitate Chriſti,

Quid ſit doctrina Chriſti & quo ſenſu dicatur divina.

quæritur, an Deus per Christum & Apostolos Christi locutus sit, ità ut doctrina quàm à Christo, & à Christi Apostolis habemus, sit doctrina quædam divina, seu Dei loquentis authoritate signata. In quâ quæstione duo nobis præstanda sunt. Primò quidem demonstranda est credibilitas prudens divinitatis doctrinæ Christi. Deindè verò expendenda ea credibilitas quanta sit.

ARTICULUS I.

Demonstratur prudens credibilitas Divinitatis Doctrinæ Christi.

Quid sit credibilitas Doctrinæ.

PRæmitto. Credibilitas est species, seu apparentia veri. Doctrinam ergò aliquam esse credibilem, nihil aliud est, quàm ità habere speciem & apparentiam veri, ut obtinere possit assensum aliquem, quo credatur esse vera. Hinc sequitur. Aliud esse credibilitatem doctrinæ, & aliud ejus veritatem, quia aliud est veritas, & aliud apparentia veritatis; nam rei veritas petitur ab ipsâ rei existentiâ, quæ nimirùm talis est, qualis esse creditur, credibilitas autem, seu apparentia veritatis petitur ab existentiâ, aut connexione motivorum, quæ suadent rem ità esse, ut tamen res ità non sit. Ergò fieri potest, ut doctrina aliqua sit credibilis, & tamen non sit vera. Credibilitas alia prudens est, alia imprudens. Prudens, est talis ac tanta apparentia veri, ut fundare possit assensum prudentem; cum scilicet Doctrina proposita tot ac tantis nititur motivis, ut vir

Credibilitas à veritate distinguitur.

Alia prudens est, alia imprudens.

prudens ei aſſentiri poſſit, ſine notâ temeritatis & imprudentiæ. Credibilitas imprudens, eſt talis quædam apparentia veri, quæ non ſufficiat ad aſſenſum prudentem; cùm ſcilicet Doctrina propoſita habet quidem aliqua motiva, ſed adeò levia, ut qui propterea aſſentiatur, imprudens ſit. Credibilitatis autem multi ſunt gradus. Nam interdùm credibilitas prudens talis eſt, ut fundare quidem poſſit aſſenſum aliquem prudentem; ſed tamen, neque excludat omne dubium prudens, neque obligationem credendi inducat, neque partis oppoſitæ prudentem credibilitatem tollat. Interdùm tanta eſt credibilitas, ut non modo fundet aſſenſum prudentem, ſed etiam excludat omne dubium prudens, obligationem aſſentiendi inducat, & partis oppoſitæ prudentem credibilitatem tollat. Aliquandò demùm tanta eſt, ut rem faciat evidentem, & ad aſſenſum neceſſitet. Demonſtrare nunc præcisè habemus Doctrinam Chriſti eſſe prudenter credibilem. Nam quo gradu credibilis ſit, articulo ſequenti expendemus.

Credibilitatis multi ſunt gradus.

Theſis Unica. Doctrina Chriſti prudenter credibilis eſt. Demonſtratur. Illa Doctrina eſt prudenter credibilis, quæ talem ac tantam habet apparentiam veri, ut fundare poſſit aſſenſum aliquem prudentem. Doctrina autem Chriſti eſt hujuſmodi, quippe quæ nititur talibus ac tantis motivis, ut quiſquis ea bene penetraverit, prudenter eis aſſentiri poſſit: motiva autem illa, quæ credibilitatis appellantur, quatuor ferè ſunt. Primum eſt. Qualitas Doctrinæ Chriſti. Secundum. Modus extraordi-

Credibilitas Doctrinæ Chriſti in quatuor motivis fundatur.

narius quo Doctrina Christi introducta & propagata est. Tertium. Irrefragabilis authoritas testium Doctrinæ Christi suffragantium. Quartum, est exercitus, ut ità dicam, miraculorum pro Christi Doctrina militantium. Hæc omnia suam ut lucem habeant, singula persequemur.

§. I.

Qualitas Doctrinæ Christi.

Primum motivum est qualitas doctrinæ Christi.

PRimum ergò credibilitatis motivum est Doctrinæ qualitas. Ex quo pro divinitate doctrinæ Christi, sic argumentor. Illa doctrina prudenter creditur esse divina, quæ doctrinæ divinæ characteres omnes & proprietates ità habet, ut Deo maximè digna sit, solumque Deum authorem sapiat. Sed doctrina Christi ità habet omnes characteres, & proprietates doctrinæ divinæ, ut Deo maximè digna sit, solumque Deum authorem sapiat. Major non indiget probatione. Minor verò probatur. Quia doctrina illa Deo maximè digna est, & solum Deum authorem sapit, quâ doctrinâ nulla verior, nulla Sanctior esse possit: Deus enim cum sit summè verax, idemque summè Sanctus, nihil docere potest, quod verum Sanctumque non sit, ejusque doctrina debet esse summè vera, & summè Sancta. Atqui doctrina Christi est hujusmodi, ut nulla verior esse possit, nulla Sanctior. Ergò doctrina Christi Deo maximè digna, solumque Deum authorem sapit. Sed ut hæc ratiocinatio manifestior fiat.

Quæ Deũ authorem sapit.

Quia nulla verior, nulla Sanctior.

Dico 1°. Ea est veritas doctrinæ Christi, ut Deo maximè digna sit, & solum Deum authorem sapiat. Nam doctrina Christi ità vera est, ut nihil habeat falsi, quod rarum est in doctrinâ valdè diffusâ, *in multiloquio enim non deerit peccatum.* Doctrina Christi universalis est, ad omnia tempora se extendens, etiam futura, quæ nemo certò videre possit, nisi Deus. Doctrina Christi plerumque versatur in rebus divinis, valdè abditis & arduis, in quibus errare facile est. Habetur autem veritas doctrinæ Christi. 1°. Ex stylo illius simplici, qui stylus fucum, artificium, & mendacium non sapit. 2°. Ex conformitate illius cum rectâ ratione, in iis quæ rationem non superant; nam in iis doctrina Christi rectæ rationi perfectè congruit, unde præsumi debet veram esse in aliis, quæ rationem superant. 3°. Ex mirabili concordiâ omnium capitum & articulorum doctrinæ Christi. Ista enim omnium partium proportio, est divina quædam pulchritudo veritatis. 4°. Ex certis quas continet rerum futurarum prædictionibus; nam si veritatem tenet in rebus futuris prædicendis, vehemens conjectura est in aliis, quæ minùs difficilia sunt, veritatem quoque tenere. Atqui certissimè constat in rebus futuris prædicendis doctrinam Christi veritatem tenere; multarum enim insignium prædictionum eventus notorius est. Prædixit Christus excidium Hierosolymitanum, Judæorum Cladem, Prædicationem Evangelii per universum orbem, Persecutiones Ecclesiæ ejusdemque firmitudinem. Mundi conversionem ad Crucifixum,

Ostenditur veritas doctrinæ Christi.

Prov. c. 10.

aliaque, multa quæ, uti prædixit, manifestè evenerunt. 5°. Cum certum sit, doctrinam Christi habere multa vera, præsumendum est pro veritate cæterorum, donec convincatur habere aliquid falsi; ex eo enim quod certò constat veram esse in multis, est in quâdam veluti possessione veritatis, à quâ possessione deturbari non debet, nisi per notoriam aliquam falsitatem, quam habere convincatur: sed doctrina Christi nullam habet falsitatem notoriam, nec convinci potest habere aliquid falsi. Ergò manere debet in suâ possessione veritatis.

Ex quâ veritate colligitur divinitas doctrinæ.

Objicies. Malè procedimus argumentando, & probamus idem per idem. Nam quæritur an doctrina Christi vera sit, nos autem probamus veram esse, quia vera est, quod planè nugari est, non argumentari. Respondeo. Quisquis es, qui ita objicis, attendere debueras ad verum quæstionis statum, quem supra posuimus. Nam, quæstio non est, an doctrina Christi sit vera, sed, an divina sit; nos autem ex veritate, divinitatem illius arguimus, qui discurrendi modus nihil habet vitiosum.

Aut potiùs credibilitas divinitatis.

Instabis 1°. Quæcumque allata sunt pro veritate doctrinæ Christi, non demonstrant eam esse divinam, quod tamen erat demonstrandum. Respondeo. Erras iterùm in vero quæstionis statu; neque enim demonstrandum erat, doctrinam Christi esse divinam, sed esse prudenter credibilem, uti divinam. Divinitas, & prudens credibilitas divinitatis, duo sunt valdè diversa; fieri enim potest, ut pruden-

ter credatur aliquid esse divinum, quod reipsâ divinum non sit.

Instabis 2°. Ex veritate doctrinæ Christi, non colligitur evidenter illius divinitas; potest enim doctrina humana vera esse, præsertim si Deus hominem dirigat, ne docendo erret. Respondeo. Necdùm satis assequeris, quid colligi debeat. Esto, ex veritate doctrinæ Christi, non colligatur evidenter divinitas illius, dummodò colligatur evidenter prudens credibilitas divinitatis, hoc enim ipso habemus, quod volumus. Atqui ex veritate doctrinæ Christi, qualem exposui, colligitur evidenter prudens credibilitas divinitatis illius; quia veritas adeò constans doctrinæ valdè diffusæ, & versantis in rebus difficilibus, arduis, & à cognitione hominum remotis, magnum est divinitatis argumentum. Est enim valdè difficile, ne dicam moraliter impossibile, ut in rebus hujusmodi homo sibi relictus constanter verum dicat. Quòd si supponatur Deus dirigere hominem, ne erret in doctrinâ suâ, jàm doctrina hominis supponitur esse aliquo modo divina, quamvis à deo ut loquente non sit. Sed si detur nobis Deum Christo adfuisse ne falsum doceret, evidenter sequitur doctrinam Christi esse propriè divinam, quia Christus ipse testatur se loqui nomine Dei, & doctrinam suam divinam esse. *Mea*, inquit, *Doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.*

Et quidem evidenter.

Joan. 7.

Instabis 3°. Doctrina Christi multa habet incredibilia, qualia sunt, Mysterium Trinitatis, Mysterium Incarnationis, Peccatum Originale, Æternitas pœnarum pro peccato mo-

Nec quemquam morari debent quæ in do-

aliaque, multa quæ, uti prædixit, manifestè evenerunt. 5°. Cum certum sit, doctrinam Christi habere multa vera, præsumendum est pro veritate cæterorum, donec convincatur habere aliquid falsi; ex eo enim quod certò constat veram esse in multis, est in quâdam veluti possessione veritatis, à quâ possessione deturbari non debet, nisi per notoriam aliquam falsitatem, quam habere convincatur: sed doctrina Christi nullam habet falsitatem notoriam, nec convinci potest habere aliquid falsi. Ergò manere debet in suâ possessione veritatis.

Ex quâ veritate colligitur divinitas doctrinæ.

Objicies. Malè procedimus argumentando, & probamus idem per idem. Nam quæritur an doctrina Christi vera sit, nos autem probamus veram esse, quia vera est, quod planè nugari est, non argumentari. Respondeo. Quisquis es, qui ita objicis, attendere debueras ad verum quæstionis statum, quem supra posuimus. Nam, quæstio non est, an doctrina Christi sit vera, sed, an divina sit; nos autem ex veritate, divinitatem illius arguimus, qui discurrendi modus nihil habet vitiosum.

Aut potiùs credibilitas divinitatis.

Instabis 1°. Quæcumque allata sunt pro veritate doctrinæ Christi, non demonstrant eam esse divinam, quod tamen erat demonstrandum. Respondeo. Erras iterùm in vero quæstionis statu; neque enim demonstrandum erat, doctrinam Christi esse divinam, sed esse prudenter credibilem, uti divinam. Divinitas, & prudens credibilitas divinitatis, duo sunt valdè diversa; fieri enim potest, ut pruden-

ter

ter credatur aliquid eſſe divinum, quod reipsâ divinum non ſit.

Inſtabis 2°. Ex veritate doctrinæ Chriſti, non colligitur evidenter illius divinitas; poteſt enim doctrina humana vera eſſe, præſertim ſi Deus hominem dirigat, ne docendo erret. Reſpondeo. Necdùm ſatis aſſequeris, quid colligi debeat. Eſto, ex veritate doctrinæ Chriſti, non colligatur evidenter divinitas illius, dummodò colligatur evidenter prudens credibilitas divinitatis, hoc enim ipſo habemus, quod volumus. Atqui ex veritate doctrinæ Chriſti, qualem expoſui, colligitur evidenter prudens credibilitas divinitatis illius; quia veritas adeò conſtans doctrinæ valdè diffuſæ, & verſantis in rebus difficilibus, arduis, & à cognitione hominum remotis, magnum eſt divinitatis argumentum. Eſt enim valdè difficile, ne dicam moraliter impoſſibile, ut in rebus hujuſmodi homo ſibi relictus conſtanter verum dicat. Quòd ſi ſupponatur Deus dirigere hominem, ne erret in doctrinâ ſuâ, jàm doctrina hominis ſupponitur eſſe aliquo modo divina, quamvis à deo ut loquente non ſit. Sed ſi detur nobis Deum Chriſto adfuiſſe ne falſum doceret, evidenter ſequitur doctrinam Chriſti eſſe propriè divinam, quia Chriſtus ipſe teſtatur ſe loqui nomine Dei, & doctrinam ſuam divinam eſſe. *Mea*, inquit, *Doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.*

Et quidem evidenter.

Joan. 7.

Inſtabis 3°. Doctrina Chriſti multa habet incredibilia, qualia ſunt, Myſterium Trinitatis, Myſterium Incarnationis, Peccatum Originale, Æternitas pœnarum pro peccato mo-

Nec quemquam morari debent quæ in do-

ctrinâ Christi videntur incredibilia. mentaneo, aliaque id genus. Respondeo. Nego Antecedens. Ista enim homini sapienti incredibilia non sunt. Cur enim essent incredibilia? An quia ratione naturali haberi non possunt? Atqui ratio ipsa naturalis docet esse aliqua *profunda Dei*, quæ ratio naturalis scrutari non potest. An quia habent aliquam speciem repugnantiæ? Atqui ipso naturæ lumine evidens est, esse debere multa in Deo in speciem repugnantia, quæ nullus creatus intellectus conciliare possit. An quia clarissimis naturæ principiis non benè congruunt? Sed pariter evidens est, humana & divina iisdem regulis non subjacere. Nam, ut ait Zeno Veronensis, *Deum quodammodo negat, qui rationibus metitur humanis.*

1. *Ad Cor. c. 2.*

Serm. de fide.

Ostenditur Sanctitas doctrinæ Christi.

Dico 2°. Ea est Sanctitas doctrinæ Christi, ut Deo maximè digna sit, authoremque sapiat summè Sanctum. Probatur. Sanctitas Doctrinæ in duobus consistit, nimirùm, ut ad bonum inclinet, & avertat à malo. Est enim Sanctitas, aversio quædam à malo, & inclinatio ad bonum. Atqui doctrina Christi maximè inclinat ad bonum, & avertit à malo. Nam præter virtutes speculativas, ex quibus multæ etiam consequentiæ salutares deduci possunt pro directione morum; Doctrina Christi moralis constat præceptis, consiliis, minis, promissionibus, exemplis. Hæc autem omnia ad commendationem boni, & diffamationem mali omninò pertinent. Et præcepta quidem affirmativa, nihil jubent quod bonum non sit, totamque naturæ legem non modò continent & explicant, sed ei aliquid excellentius super-

addunt. Præcepta verò negativa prohibent omne quod malum est, usquè ad verbum otiosum, officiosumque mendacium : nec peccata tantùm externa, sed voluntates etiam malas, ad morosam usquè delectationem, levemque complacentiam ; ut meritò dici possit *lex Domini Immaculata*. Consilia Doctrinæ Christi hominem promovent ad virtutes heroïcas, & virtutum heroïcarum perfectissimos actus ; cujusmodi sunt consilia de voluntariâ paupertate, de fugâ voluptatum etiam licitarum, de abdicatione libertatis, de continuâ in rebus omnibus mortificatione, de contemptu rerum omnium caducarum, quò meliùs & expeditiùs Deo serviatur, de summâ humilitate & modestiâ, de ardentissimâ charitate in Deum, de sincerâ proximi dilectione, &c. Sed quale est illud, non consilium modò, sed præceptum, *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos*, &c. Quòd spectat minas quas adhibet ad homines à malo deterrendos, quid terribilius inimicitiâ Dei, reprobatione, damnatione, igne devorante, & ardoribus sempiternis. De promissionibus ad virtutem allicientibus, quid magnificentius, amicitiâ, hæreditate, possessione Dei, æternitate beatitudinis. Denique exempla quæ affert, omninò demonstrant, quàm benè sit homini justo, & quàm malè impio, ac proindè magna sunt incitamenta ad virtutem. Ex quibus apparet evidenter Sanctitas Doctrinæ Christi. Confirmatur 1°. Doctrina illa Sanctissima est, quam, qui sequitur, eo ipso perfectissimè implet omnia offi-

Psalm. 18.

Math. 5.

çia sua ; sed qui sequitur Doctrinam Christi, eo ipso perfectissimè implet omnia officia sua. Nam officia hominis, alia sunt ad Deum, alia ad proximum, alia ad se ipsum. Hæc autem omnia perfectissimè implet, qui sequitur Doctrinam Christi. 1°. Enim de Deo sentit dignè Deo, omnem ei perfectionem tribuens, omnem ab eo imperfectionem removens : Deo loquenti intellectum captivat per fidem, in Dei promissionibus acquiescit per spem, Deum præfert omni bono creato per charitatem ; & ità adhæret Deo, ut fiat unus spiritus cum illo. Nec verò ulla Doctrina est, quæ proponat tot titulos obsequii, submissionis, dependentiæ, timoris, gratitudinis, devotionis, ut Doctrina Christi ; nulla, quæ tam arctè hominem cum Deo conjungat : ità ut Christianorum sit ista vox, non minùs quàm Israëlitarum, *non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Deus noster.* (Deuter. 4.) 2°. Qui Christi doctrinam sequitur, rectè se habet ad proximum ; quia doctrina Christi, est doctrina justitiæ, charitatis, misericordiæ, pietatis, obedientiæ, sinceritatis, fidelitatis, aliarumque virtutum, quibus disponitur homo, ut benè se habeat ad alterum. 3°. Qui sequitur doctrinam Christi rectè se habet ad se ipsum, est enim doctrina illa, doctrina humilitatis, modestiæ, temperantiæ &c. Motus omnes, seu animi, seu corporis inordinatos damnans, honestosque præscribens. Confirmatur iterùm. Doctrina illa verè Sancta, & Divina est, quæ sectatores suos sanctos facit, & verè divinos. Doctrina autem

Christi verè Sanctos facit, & divinos sectatores suos; quod est adeò verum, ut primi Christiani omnes appellentur Sancti, diceretque Chrysostomus, suis etiam temporibus *unius Christiani aspectum plus valere ad Gentilium conversionem, quàm aspectum Cœli & Terræ*: *nec in Christianis*, ut notat Augustinus, *aliud haberent reprehendere infideles, præter nimiam Sanctitatem*. Ex quibus omnibus concludo, doctrinam Christi ità esse Sanctam; ut illam, & Deus docere debuerit, nec docere potuerit, nisi Deus.

Objicies. Doctrina Christi diffamabatur olim ut plena impietatis, hinc enim Christiani damnabantur tanquàm Athei: ut plena crudelitatis, quæ doceret homines humanis vesci carnibus: ut plena impuritatis, *Quid enim aliud est*, aiebant Gentiles, *Communio Christianorum, quàm exercitatio libidinis*: ut plena perduellionis & contumaciæ, quæ subditorum manus armaret adversus legitimos principes. Respondeo. Sunt hæ veteres & nimiùm crassæ calumniæ, quas partim ignorantia, invidia, malevolentia Gentilium, partim falsorum Christianorum turpitudo, in veros & innocentes invexerat. Nam 1°. Quòd Christiani falsos Deos negarent, putabantur esse Impii & Athei, quia non Polythei. 2°. Quòd profiterentur vesci se carne & sanguine Christi, traducebantur passim, ut homicidæ, & humanarum carnium comestores. 3°. Quòd Nicolaitæ, Gnostici, Carpocratiani, aliique infames Hæretici Christianum nomen assumerent, istorum sordibus verus Christianismus onerabatur. 4°. Quòd

Cur olim doctrina Christi diffamaretur ut inimica sanctitatis.

Christiani regnum Christi venturi perpetuò haberent in ore, & iurare nollent per Genios Imperatorum, recusarentque pro ipsorum salute idolis sacrificare, perduellionis accusabantur. Denique, instar omnis criminis erat Christianum esse, ità ut, quod notat Tertullianus in suo Apologetico, *ad damnationem Christianorum expectaretur Confessio nominis, non accusatio criminis.* Sed istas omnes calumnias Christiani, partim scriptis Apologiis, partim sanguine suo omninò eluerunt.

Tert. in Apolog.

Instabis. Si Doctrina Christi est adeò Sancta, cur non Sancti sunt omnes professores Doctrinæ Christi. Respondeo. Quia non omnes professores Doctrinæ Christi, fideliter sequuntur Doctrinam Christi. Nam si sequerentur, Sancti essent, & ideò Sancti non sunt, quia non sequuntur.

§. II.

Modus extraordinarius introductionis & propagationis Doctrinæ Christi.

Secundum motivum est modus extraordinarius introductionis, & propagationis Doctrinæ Christi.

MAgnum est, modus iste, credibilitatis motivum. Nam ea Doctrina prudenter creditur esse divina, quæ introducta est, & propagata modo planè divino, Doctrina verò Christi modo planè divino introducta & propagata est. Divinus autem iste modus, ut rem totam sub uno aspectu ponam, in eo consistit; quòd Doctrina captu difficilis, sensibus aspera, religioni longo jam usu inveteratæ contraria, per pauculos piscatores, nullis

mediis humanis, intra breve tempus, non vulgo tantùm, ſed viris etiàm doctis & ſapientibus, ipſiſque principibus perſuaſa fuerit; eaque tandem, & facundiæ Oratorum, & ſapientiæ Philoſophorum, & potentiæ Principum, & obſtinationi populorum, & tyrannorum perſecutioni, & conjurationi omnium hominum prævalens, totum orbem invitum licet & contradicentem, totiſque viribus repugnantem, momento ferè occupaverit. *Certè à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Super hunc modum extruere placet argumenta aliquot contra paucos incredulos, qui novo quodam & diabolico pertinaciæ miraculo, reſiſtunt adhuc ei Doctrinæ, cui conjuratus orbis reſiſtere non potuit.

Math. c. 24

Super quē modum multa argumenta extruuntur.

Argumentor igitur 1°. Ex difficultate Doctrinæ Chriſti. Nam Doctrinæ illius perſuaſio, vel fuit facta modo humano & naturali, vel modo ſupernaturali & divino. Non modo humano & naturali. Minor probatur. Quia perſuaſio humana & naturalis fit, vel evidentiâ rei, vel experientiâ ſenſuum, vel rationis diſcurſu, vel inclinatione voluntatis. Perſuaſio autem Doctrinæ Chriſti fieri non potuit eo modo. Non rei evidentiâ, cùm illa obſcura & profunda ſit: non experientiâ ſenſuum, cùm à ſenſibus ſit remota; non diſcurſu rationis, cùm rationem in multis ſuperet; non inclinatione voluntatis, cùm tota cupiditatibus humanis contraria ſit. Supereſt ergò, ut facta ſit modo divino, Deo nimirùm perſuaſionem operante, tanto miraculo, ac ſi fortè faciat Deus, ut oculus videat objectum non

Ex difficultate Doctrinæ.

illuminatum, & nanus in terrâ positus cœlum distans digito tangat.

Ex pravâ dispositione subjecti ad Doctrinam.

Argumentor 2°. Ex pravâ dispositione subjecti eam Doctrinam recipientis. Neque enim humanum est & naturale, formam inducere in subjectum malè dispositum. Sed persuasio Doctrinæ Christi inducta fuit in homines malè omninò dispositos, innumeris scilicet erroribus præoccupatos, implicatos vitiorum laqueis, & inveteratâ superstitione obduratos. Quod planè non minùs mirabile est, quàm si forma ignis in lignum viridè induceretur, aut si aqua mobilis & fluida impressos characteres retineret, aut durum marmor quamlibet sigilli figuram, ceræ instar mollis, admitteret.

Ex instrumentis quæ adhibita sunt, ad persuasionem ineptis.

Argumentor 3°. Ex instrumentis ineptis quæ adhibita sunt ad faciendam persuasionem Doctrinæ Christi. Nam operosum aliquod perficere instrumentis ineptis & improportionatis, solius Dei proprium est; qui cùm sit causa principalis perfectissima, supplere potest defectum cujuscumque instrumenti. Atqui persuasio Doctrinæ Christi, res utique operosa, facta est per instrumenta inepta, & tanto operi improportionata; per pauculos scilicet piscatores, idiotas, timidos, elingues. Quod considerans & admirans Augustinus lib. 12. de civ. cap. 5. *Paucis*, inquit, *obscuris, minimis, indoctis credidit mundus, quia in tam contemptibilibus testibus multò mirabiliùs Divinitas persuasit.*

Aug. lib 12 de Civ c. 5.

Ex defectu medii cujuscumque idonei ad eum finem.

Argumentor 4°. Ex defectu medii cujuscumque humani ad finem obtinendum idonei. Siquidem dum obtinetur finis aliquis arduus

ſine ullis mediis humanis & naturalibus, pronum eſt ſuſpicari media aliqua divina & ſupernaturalia. Atqui ad perſuaſionem Doctrinæ Chriſti, finem valdè arduum, ventum eſt ſine mediis humanis & naturalibus; naturaliter enim loquendo ad ejuſmodi perſuaſionem faciendam opus erat magnâ eloquentiæ, aut pecuniæ, aut armorum vi; nihil tamen horum interveniſſe certum eſt, ſed ſine eloquentiâ, ſine pecuniâ, ſine dolo, ſine vi, pauci homines Doctrinâ Chriſti mundum occuparunt. Quod ſanè non minùs mirum eſt, quàm ſi munitiſſimam arcem & benè reſiſtentem, ruſtici aliquot inermes, ſine auro, ſine ferro, ſine dolo expugnarent.

Argumentor 5°. Ex mediis non modo non aptis ad finem, ſed fini obtinendo contrariis, quibus tamen finis obtentus eſt. Nam Chriſtus Apoſtolos ſuos & prædicatores Doctrinæ ſuæ, non dolo, ſed ſimplicitate, non divitiis, ſed paupertate, non armis ſed patientiâ inſtruxit. *Ecce ego*, inquit, *mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Sed quod mirum, iſti agni ſimplices, muti, & inermes, in ipſis luporum faucibus etiàm cum devorantur, de lupis agnos faciunt, & cum ipſi naturaliter converti deberent in lupos, ipſi lupos in agnos convertunt. Huc pertinent illa Pauli verba 1. ad Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, & contemptibilia mundi elegit Deus & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret; ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*, Hoc eſt, ne quis converſionem mundi putet eſſe opus humanum, ſed Divinum.

Ex mediis obtinendo fini contrariis.

Luc. 10.

Paul. 1. *Ad Cor.* c. 1.

Ex mirabili diffusione Doctrinæ Christi.

Argumentor 6°. Ex mirabili diffusione Doctrinæ istius, neque enim uni alicui, aut paucis de vulgo probata est, sed viris etiam doctis, ipsisque principibus & Imperatoribus, *qui, quos furore persequebantur, prosecuti sunt & fide.*, ut loquitur Augustinus : nec uni tantùm Civitati aut Provinciæ, sed universo orbi probata est; in quo, Dei manum & operationem clarè agnoscas ; cum insignes Philosophi Doctrinam suam, paucis dumtaxat discipulis probare vix potuerint. Reipublicæ ideam finxit Plato, sed quam, ne una quidem civitas secuta est. Quid ergò est, quod Christianismum universus orbis amplexus sit, factus non Platonicus, sed Christianus ; nisi quia Christi, non Platonis Doctrinam, Deus promovebat.

De 5. Hær. c. 7.

Ex subitâ mundi conversione ad Doctrinam Christi.

Argumentor 7°. Ex subitâ conversione mundi ad Doctrinam Christi. Nam intra breve tempus totum ferè orbem Doctrina ista pervasit. Testatur Paulus ad Rom. 1. *Ipsorum fidem* scilicet Christianam *jam annunciari in universo mundo.* Testatur Justinus Martyr ineunte Sæculo 2. nullum fuisse tunc hominum genus, apud quos *Jesu Crucifixi nomine preces & Eucharistiæ omnium rerum Creatori non fierent.* Testatur Plinius ad Trajanum scribens, non civitates tantùm, sed & vicos atque agros, superstitionis istius contagionem (sic enim appellat Religionem Christi,) pervagatam esse, & desolata jam Deorum Templa, Sacra solemnia intermissa. Testatur Tertullianus Religionem Christi latiùs fuisse dominatam, quàm Romanum Imperium, & multa loca Romanis inaccessa, fuisse Christo subdita. Ista autem

Paul. ad Rom. c. 1.
In dial. cum Tryph. Adversus Judæos.

In Apolog.

ſubita rerum converſio, divinitatis operantis argumentum eſt. Nam rerum humanarum fallentia ferè ſunt, & inſenſibilia incrementa. Certè unius interdùm hominis, aut oppiduli converſio, opus eſt multorum annorum: & quamvis ſint hodiè innumeri prædicatores, quàm raræ ſunt converſiones peccatorum. Unde ergò olim tàm ſubitæ & tàm frequentes? niſi quia Deus aliquo modo jam contraxit manum ſuam, nec jam extraordinariè, ut olim, operatur.

Argumentor 8°. Ex reſiſtentiâ factâ Doctrinæ Chriſti. Totus enim orbis infremuit & adversùs illam inſurrexit, ſed inani conatu. Quod prædixerat Propheta Regius Pſalmo 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit illos.* Certè, ſi mundus unus Chriſtianus pugnaſſet adverſus mundum alterum infidelem, & prævaluiſſet, magni fieret ea victoria. Quanti ergò facienda eſt, cum non mundus Chriſtianus, ſed pauci aliquot Chriſtiani toti mundo infideli prævaluerint. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra,* exclamat victoriam canens Joan. Epiſt. ſuâ 1. c. 3.

Ex reſiſtentiâ facta Doctrinâ Chriſti.

Pſalm. 2.

Joan. Epiſt. 1. *c.* 3.

Argumentor 9°. Ex firmitudine perſuaſionis Doctrinæ Chriſti. Ea enim, nec internis Hæreticorum bellis, nec externis Gentilium perſecutionibus everti potuit. Quin imò perſecutionibus ipſis creſcere viſa eſt, & ſuccuſſionibus ſolidari. Id quod pulchrè objiciebat Gentilibus Tertullianus Apolog. cap. ultimo.

Ex firmitudine perſuaſionis Doctrinæ Chriſti.

Tert. Apol. c. ultimo. *Exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis: secta plures efficimur, quoties à vobis metimur; semen est, sanguis Christianorum.*

Ex propriâ cujusque Confessione, & conscientâ.

Argumentor 10. Ex propriâ cujusque Confessione & conscientiâ. Ponamus enim vixisse nos ante istam mirabilem mundi conversionem. Tum verò, si quis nos interrogasset, Crederemus-ne fieri posse, ut aliquandò per decem, aut duodecim homines ignaros, ignobiles, infirmos, pauperes, omnique præsidio humano destitutos, everteretur antiqua religio, & substitueretur nova, in quâ universus orbis hominem Crucifixum, pro Deo agnosceret, aliaque Doctrinæ Christi capita amplecteretur; profectò nemo nostrûm hæsitasset: dixissemus omnes, rem istam sine virtute divinâ & magno miraculo fieri non posse. Ergò cum jam res facta sit, nemo nostrûm hæsitare debet, quin in tanto opere virtutem divinam agnoscat. Hæc est ferè ratiocinatio Augustini lib. de verâ Religione, c. 3.

August. lib. de verâ Rel. c. 3.

Objicies. Ex parvis initiis sæpè res magnæ veniunt. Nam ex scintillulâ magnum prodit incendium, tenuis rivulus crescit in magnum fluvium, & magna Imperia non nisi ex parvis & obscuris principiis venerunt: Ergò Christianismum ex eo malè probamus divinum esse, quòd ex parvis initiis tantoperè creverit, obscuritatem & infamiam originis malè vertentes in argumentum divinitatis. Respondeo. Ex parvis quidem initiis magnæ res interdùm veniunt, sed per incrementa naturalia & humana. Nam scintillula magnum parit incendium, quia cadit in materiam com-

Incrementa Christianismi non sunt humana & naturalia.

buri facilem, & fortè ventum habet aſlantem. Rivulus creſcit in fluvium aggregatione aquarum undequaque per declivia confluentium. Ex parvis initiis magna Imperia venerunt, deprædationibus ſcilicet, latrociniis, hoſtilibus excurſionibus. Iſtæ omnes incrementorum viæ, naturales & humanæ ſunt. At verò Chriſtianiſmus tantoperè crevit, ſine ullis mediis naturalibus & humanis, atque ex iſto creſcendi modo, benè arguitur illius Divinitas.

Inſtabis. Progreſſum naſcentis Chriſtianiſmi multa humana juverunt, ut gratia novitatis, hebetudo temporum, ſtupor populorum, favor principum, ſtudia partium, &c. Ergò incrementa Chriſtianiſmi naturalia ſunt & humana. Reſpondeo. Progreſſus Chriſtianiſmi ineptè tribuitur mediis naturalibus & humanis: nam quibus tandem mediis tribuitur? an gratiæ novitatis? Atqui gentiliſmo plus favebat præſcriptio, tot annorum poſſeſſione firmata, quàm levis aliqua gratia novitatis faveret Chriſtianiſmo. Deindè, nùm habuit gratiam novitatis Doctrina Platonis, aliorumque Philoſophorum? Cur ergò non pariter crevit, ut Chriſtianiſmus. An hebetudini temporum? ſed Chriſtianiſmi initia inciderunt in tempora delicatiſſima. An ſtupori populorum? ſed viris etiam doctis & ingenioſis, non minùs quàm populo Doctrina Chriſti probata eſt. An favori principum? ſed principes & Imperatores habuit tamdiu, & totis imperii viribus repugnantes. An ſtudiis partium? Sed notorium eſt Chriſtianiſmum ſine armorum vi

fuisse propagatum. Ergo incrementa Christianismi mediis naturalibus & humanis ineptè tribuuntur.

§. III.

Authoritas irrefragabilis testium Doctrinæ Christi suffragantium.

Deut. c.19.

Tertium motivum authoritas irrefragabilis testiũ Doctrinæ Christi suffragantiũ.

SI *in ore duorum, aut trium testium stat omne verbum*, stabit profectò divinitas Doctrinæ Christi, cui suffragantur tot testes irrefragabiles, ex quorum authoritate validum hoc argumentum confici potest. Ea doctrina prudenter creditur esse divina, quæ divinitatis suæ testes habet, & numero, & qualitate irrefragabiles. Atqui Doctrina Christi testes habet, numero & qualitate irrefragabiles, ergo &c. Major est evidens: nam si authoritati probatorum testium in cæteris prudenter creditur, cur non & in hoc negotio prudenter credi possit. Minor autem probatur. Ad irrefragabile testimonium tria præsertim faciunt, scientia, probitas, & constantia testium; quia testis probatus debet esse, extra suspicionem ignorantiæ, malitiæ, & levitatis. Atqui Doctrina Christi divinitatis suæ testes habet, & scientiâ claros, & Sanctitate insignes, & constantiâ mirabiles; quorum alij scribendo, alij vivendo, alij moriendo suffragium suum tulerunt. Ad primum genus pertinent Ecclesiæ Patres & Doctores. Ad secundum, viri eximij & Sancti. Ad tertium Martyres. Primum testimonium est, suffragium verbi & sententiæ. Alterum est, suffragium vitæ & morum. Tertium est, suffragium sanguinis, & mortis. In triplici illo suffragio considerando, non pigebit paululùm immorari.

Ordo testium triplex est.

Consideremus igitur 1°. Quanti ponderis sit Patrum & Doctorum Ecclesiæ authoritas; nam fuerunt 1°. illi ad miraculum usquè ingeniosi, & omni scientiarum genere instructissimi, quod ipsorum opera satis demonstrant. 2°. Studio præsertim & intelligentiâ rerum divinarum insignes; toti enim erant in iis meditandis, tractandisque. 3°. Numero multi, omnium ferè ætatum & nationum, & aliqui de gentilismo venientes, amplexi tandem eam doctrinam, quam antè riserant, ut de se fatetur Tertullianus. *Hæc & nos risimus aliquandò, de vestris fuimus.* Undè sic argumentor. In materiâ divinitatis prudenter creditur hominibus rerum divinarum studio & intelligentiâ claris; Ecclesiæ autem Patres & Doctores sunt ejusmodi. Ergo illis prudenter creditur. Et verò, quis ità reflectens: ego sum in Doctrinâ Justini, Irenæi, Cypriani, Basilij, Gregorij, Joannis Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, Augustini &c. Non prudenter in eâ cogitatione acquiescat, si modo benè intelligat, quales & quanti sint illi, quos nominavit. Quid si iterùm dicat. Prudenter acquiesco in iis, in quorum sensu universus orbis acquiescit, sed universus orbis acquiescit in sensu Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, cum illis profitens Doctrinam Christi esse divinam, igitur & ego prudenter acquiesco, idemque, quod illi, profiteor: nam si fortè in eo errarem, mihique Deus obiiceret errorem meum, profectò erroris culpam omnem facilè removerem, tales ac tantos viæ duces & comites allegando.

Primus Patrum & Doctorum.

In Apolog.

Consideremus 2°. Quanti momenti sit suffra-

Secundus

virorum Sanctitate insignium.

gium virorum Sanctorum. Nam præterquam quòd illorum plerique, Doctrinam cum Sanctitate conjunxerunt, fuerunt omnes studio religionis, prædictione rerum futurarum, operatione miraculorum & virtutum heroïcarum exercitatione conspicui. Unde sic argumentor. Doctrina illa prudenter creditur esse divina, quam divini illi homines sequuntur, aut secuti sunt uti divinam; tùm quia non est credibile Deum permisisse, ut tot ejusmodi hominibus in materiâ summè gravi illuderetur; tùm quia incredibile est vitam ipsorum adeò mirabilem & divinam, errorem habuisse pro fundamento. Atqui homines illi divini Doctrinam Christi secuti sunt uti divinam, eique Doctrinæ, mirabilem vitam suam superstruxerunt. Ergo Doctrina Christi prudenter creditur esse divina. Et verò, quis reflectens se esse in fide magni Antonij, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Ignatij, Xaverij, aliorumque ejusmodi Sanctorum, non prudenter in eâ reflexione acquiescat, dummodò magna illa nomina penetret.

Tertius Martyrum.

Consideremus 3°. Quanti ponderis sit suffragium purpuratorum testium, hoc est, martyrum Christi, quorum 1°. numerus fuit innumerabilis, ultra duodecim milliones. 2°. Conditio omnis generis; martyrium enim fecerunt, non viri solùm robusti, sed infantes, sed pueri, sed puellæ, sed decrepiti senes, sed delicatissimi homines deliciis innutriti. 3°. Modus patiendi extraordinarius: seu spectes æquitatem & alacritatem properantium ad mortem, seu constantiam perseverantium in tormentis, seu charitatem

charitatem orantium pro carnificibus ſuis, ſeu manſuetudinem reſpondentium. 4°. Miraculoſa pœnarum fœcunditas, quâ fiebat, ut quo modo ſingula grana quæ in terram cadunt multiplicata renaſcuntur, itâ ex fœcundis martyrum cineribus multiplicati fideles exurgerent, idemque contingeret Eccleſiæ quod vineæ, quæ præſertim creſcit, cum putatur. 5°. Conſtantia miraculis plerùmque coronata, Deo ipſo Martyrum ſuorum victoriis & triumphis applaudente. Unde ſic argumentor. Doctrina illa prudenter creditur eſſe divina, quam tot ejuſmodi Martyres divinam eſſe crediderunt tantâ firmitudine & conſtantiâ, ut mori potiùs maluerint, quàm ſuâ illâ perſuaſione deturbari. Nam perſuaſio illa tot hominibus tàm altè infigi non potuit ſine magnis quibuſdam & univerſalibus motivis, vel humanis, vel divinis, cum igitur humana non appareant, recurrere oportet ad divina. Deinde conſtantia illa communis imbecilli etiàm & infirmæ ætati, non eſt aliquid naturam ſapiens, ergo eſt aliquid ſupra naturam, & modus ille patiendi divinum aliquid ſpirat: quo in genere præclara ſunt verba Tertulliani de Chriſtiano Martyre, *ſi denotatur*, inquit, *gloriatur, ſi accuſatur non defendit, interrogatus vel ultrò confitetur; damnatus gratias agit: Quid hoc mali eſt, quod naturalia mali non habet, timorem, pudorem, tergiverſationem, pœnitentiam, deplorationem? quid hoc mali eſt, cujus reus gaudet, cujus accuſatio votum eſt, & pœna felicitas.* Accedit quòd non eſt naturalis iſta mortis fœcunditas. Naturale enim non eſt, ut pœna ſit illecebra criminis,

neque multiplicantur ſcelera, cum ſcelerati puniuntur, ergo fœcunditas iſta divina eſt. Denique, Deus non eſt credendus honeſtare miraculis pertinaciam in tuendo errore. Atqui conſtantiam Martyrum noſtrorum Deus ſæpè miraculis honeſtavit. Ergo error non eſt, ſed veritas, cujus Martyres teſtes fuerunt.

Objicies. Error interdùm habet teſtes & Martyres ſuos, etiam ad mortem uſque perſeverantes. Ergo ex conſtantiâ Martyrum Chriſtianorum non colligitur evidenter divinitas Doctrinæ Chriſti. Reſpondeo. Quamvis inveniantur interdùm falſi teſtes, non deſinit tamen eſſe prudenter credibile, quod in judicio per duos treſve teſtes aſſeritur. Ergo quamvis fieri poſſit, ut ſint aliqui teſtes Doctrinæ falſæ, non deſinit eſſe prudenter credibilis Doctrina Chriſti ab authoritate tot & tantorum teſtium ei Doctrinæ ſuffragantium. Sed magnum eſt diſcrimen inter Martyres erroris & Martyres Chriſtianos: nam Martyres erroris, & pauci ſunt nec omnis ætatis, aut ſexûs, nihilque præferunt divinum. Contra verò Martyres Chriſtiani innumeri ſunt & omnis ætatis & ſexûs & divinum aliquid præferunt, ſeu in modo patiendi, ſeu in mirabili pœnarum fœcunditate, ſeu in miraculis ipſorum mortem coronantibus.

Diſcrimen inter Martyres erroris & Martyres Chriſtianos.

§. IV.

Confirmatio Doctrinæ Chriſti per miracula.

Quartum motivum

Est hoc præcipuum credibilitatis motivum, quod, ut in bono lumine collocem, ſic ar-

gumentor. Doctrina illa prudenter creditur esse divina, ad cujus divinitatem confirmandam facta sunt innumera & vera miracula, adeò ut de illorum veritate nemo rationabiliter dubitare possit. Atqui ad confirmandam divinitatem Doctrinæ Christi facta sunt innumera & vera miracula, de quorum veritate nemo rationabiliter dubitare possit. Ergo &c. Majorem demonstravimus quæstione superiore, articulo 3. Ibi enim tanquam immobile principium statuimus, non posse fieri miraculum à Deo in confirmationem falsi; quia miraculum, est sigillum essentialiter, & ex naturâ suâ ordinatum ad confirmandam veritatem, quare si Deus miraculis falsam Doctrinam confirmaret, Jam Deus ipse falsum testificaretur, & deciperet, quod evidenter repugnat summæ Dei attestantis authoritati. Minorem verò sic probabo, ut nemo sine stultitiâ, aut irrationabili pertinaciâ negare illam possit. Nam.

confirmatio Doctrinæ Christi per miracula.

1°. Christus innumera fecit miracula in confirmationem Doctrinæ suæ, id quod testantur Apostoli & Evangelistæ, partim aliqua de multis insigniora miracula distinctè narrando, partim nubes miraculorum generatim indicando, quemadmodum indicat Mathæus capite 4. *& circuibat Jesus totam Galilaam docens in Synagogis eorum, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo; & abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paraliticos, & curavit eos.* Quod idem significat Lu-

Nam Christus ipse innumera fecit miracula.

Mat. c. 4.

Luc. c. 6. cas verbis paucioribus cap. 6. *& omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Atqui Apoſtolis & Evangeliſtis ità narrantibus omninò credendum eſt, ut oculatis teſtibus, aut oculatorum teſtium Diſcipulis. Nam ea quæ narrant, ejus generis ſunt, quæ ſi falſa fuiſſent, facilè convinci potuiſſent falſitatis, ac proindè Apoſtoli & Evangeliſtæ, ſuâ illâ narratione, Evangelio non feciſſent fidem, ſed detraxiſſent. Si enim v. g. ficta erat reſurrectio Lazari, ſi fictæ omnes illæ curationes, ſi Sol moriente Chriſto non erat verè ecclipſim paſſus, ſi fabula erat mirabilis ille deſcenſus Spiritûs Sancti in Diſcipulos, donumque linguarum ipſis communicatum, profectò in tam recenti memoriâ, exclamaſſent homines ad notoriam falſitatem: quid aiunt iſti? & nos tempore Chriſti viximus? & nihil horum vidimus, aut audivimus? quæ ſi vera eſſent, ad nos uſque perveniſſent. Illa igitur mirabilia Chriſti opera, quæ narrant Evangeliſtæ, adeò notoria erant, ut ea, ne inimici quidem negarent, ſed virtuti dæmonis tribuerent, ad eludendam probationis vim, quæ in iis eſt. Deindè ſi miracula non fecit Chriſtus, quibus divinitatem ſuam probaret Diſcipulis ſuis: quid Diſcipulos habuit adeò fideles, ut honori ducerent pro ipſo contumeliam pati, & mortem obire? Quid tandem illos homini jam mortuo tam arctè devinciebat? Quid ab illo ſperabant? Quid timebant &c. Profectò benè illis perſuaſerat Chriſtus divinitatem ſuam, perſuadere autem non potuit, niſi miraculis ſuis. Ergo &c.

2°. Apoſtoli ipſi miracula fecerunt in confirmationem Doctrinæ Chriſti, teſte Luca in actis Apoſtolorum, teſte Paulo in Epiſtolis ſuis, teſte Marco in fine Evangelij ſui, quod ſic concludit. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et quidem interdùm majora miracula fecerunt, quàm ipſe Chriſtus, id quod ipſe promiſerat; relinquens inſuper in mandatis, ut quamlibet domum ingreſſi, curarent infirmos ibi jacentes. Atqui omninò credibile eſt facta fuiſſe ab Apoſtolis ea miracula, quæ ipſimet narrant ſe feciſſe; quia ſi non feciſſent, ea narrando prædicationem Evangelij impediiſſent magis, quàm promoviſſent, facile enim erat illos convincere falſitatis; quis autem credidiſſet notoriis impoſtoribus? Deinde, ſi miracula non fecerunt Apoſtoli, quomodo univerſum orbem prædicatione ſuâ converterunt. Deniquè, ſi orbem converterunt ſine ope miraculorum ſenſibilium, ipſe converſionis modus magnum miraculum fuit. Ergo Apoſtoli, vel multa fecerunt miracula, vel unum fecerunt multis æquivalens.

Miracula fecerunt Apoſtoli.

3°. Sancti Patres primorum temporum reliquerunt nobis hiſtoriam inſignium miraculorum. Legi poteſt Athanaſius in vitâ Sancti Antonij, Gregorius Nyſſenus in vitâ Sancti Gregorij Thaumaturgi, Gregorius Nazianzenus in vitâ Sanctæ Gorgoniæ, Theodoretus in vitâ Sancti Simeonis Stilitæ, Hyeronimus in vitâ Sancti Hilarionis, Ambroſius de Virginibus, Chryſoſtomus in Homi. de Sancto Babyla & alibi, Auguſtinus lib. 22. de civit. cap. 8. & Epiſto-

Sancti Patres inſignium miraculorum hiſtoriam reliquerunt.

lâ 99. Gregorius magnus in Dialogis &c. Sanctis autem Patribus prudentissimè creditur, quia præsumendum non est, viros Sanctitatis & sapientiæ adeò notoriæ, fuisse deceptos, & multò minus decipere voluisse. Nam si fortè miracula falsa pro veris vulgassent, protinùs excidissent omnes authoritate suâ, sibique turpem notam fecissent malæ fidei, aut nimiæ credulitatis,

In actis Martyrum crebra fit miraculorum mentio.

4°. In probatissimis Martyrum actis crebra fit mentio miraculorum, quibus Deus certamina pugilum suorum honestare solebat, sive ad confirmationem fidelium, sive ad confusionem & conversionem gentilium; Atqui ejusmodi actis fides habenda est: tùm quia acta Martyrum per viros fide dignos ferè excipiebantur: tùm quia miracula quæ ibi memorantur, res erant publicæ, in quibus sine notâ imposturæ mentiri non licebat; tùm quia ex spectaculis Martyrum, fideles fiebant in fide constantiores, & infideles magno sæpè numero ad fidem veniebant, non aliâ, quàm miraculorum illecebrâ.

Omnes ferè Sancti omnium ætatum miraculis insignes fuerunt.

5°. Omnes ferè Sancti, Doctrinæ Christi professores, per omnes ætates dispersi, miracalis insignes fuerunt, ut ipsorum habet historia; idque Jam in Ecclesiâ religiosè cavetur, ne quis adscribatur Sanctorum numero, qui non Evangelico aliquo miraculo, eoque indubitato claruerit. Certè unus Franciscus Xaverius superioris sæculi Thaumaturgus, miraculorum frequentiâ, & splendore, utrumque orbem veterem & novum stupefecit; ità ut ipse solus magnum pro divinitate Doctrinæ Christi

credibilitatis argumentum esse possit.

Sufficiant hæc testimonia miraculorum, quæ omnia resumens & colligens, sic argumentor. Nemo sine stultitiâ, aut irrationabili pertinaciâ dubitare potest, quin in tanto numero miraculorum; quæ facta dicuntur in confirmationem Doctrinæ Christi, sit verum aliquod miraculum. Atqui si vel unum verum miraculum factum est, in confirmationem Doctrinæ Christi, Doctrina Christi est divina. Ergo nemo sine stultitiâ, aut irrationabili pertinaciâ dubitare potest, quin Doctrina Christi divina sit.

Objicies, multa narrantur miracula quæ falsa sunt: nimirùm, est in hominibus, partim audacia mentiendi, partim nimia credendi facilitas. Nam sicut in visu rerum mirabilium, ità in narratione & fide illarum est aliqua naturalis voluptas, cui facilè servitur. Ergo omnia miracula habenda sunt pro falsis aut suspectis. Adde quod, Christianorum miracula gentiles historici non retulerunt. Respondeo. Nego consequentiam, quæ est omninò irrationabilis. Nam sicut ex eo quod multæ victoriæ, aut multa bella narrentur, quæ nunquam fuerunt; malè inferret aliquis nullum fuisse verum bellum, aut veram victoriam; ita ex eo quod multa narrentur miracula, quæ falsa sunt, malè infertur omnia habenda esse pro falsis, aut suspectis. Quare in fide miraculorum extrema vitanda sunt, nec oportet esse nimis credulum, nec difficilem nimis, sed videndum est, quemadmodum miracula probentur. Nam si miracula nitantur iis testibus, quibus rationaliter fides negari non possit, profectò non

Quòd falsa interdum miracula narrentur veris miraculis fidem non derogat.

nisi rationabiliter negantur miracula, aut habentur pro suspectis. Atqui miracula quæ facta fuisse diximus in confirmationem Doctrinæ Christi, sunt ejusmodi. Ergo &c. Quòd autem ea gentiles historici non retulerint, ratio in promptu est, nimirùm gentiles historici, vel ea malè habebant pro falsis, vel pigebat ea referre, quæ cederent in contumeliam suæ religionis; vel denique timebant, ne ea errando venirent in suspicionem Christianismi, quod erat pro gravissimo crimine. Sed istud alienorum silentium affectatum, nihil detrahit fidei, & authoritati nostrorum hominum, ea miracula referentium.

Cur gentiles historici, Christianorum miracula non retulerint.

Instabis 1°. Multa habentur pro miraculosis quæ naturalia sunt. Est enim omnipotentis naturæ occulta vis, & longè plus potest, quàm posse credatur. Fortè pictam in pariete imaginem Crucifixi, madere vidit bona muliercula, socias pariter stolidulas ad spectaculum vocat, sudare & lacrymari imago creditur, res per urbem vulgatur, undequaque accurritur, miraculum conclamatur, cum tamen humor ille naturalis sit, nec magis miraculosè imago sudet, quàm paries. Quid quod, multæ curationes & medicorum arti, & divinæ virtuti interdùm tribuuntur, quæ sunt effectus vegetæ naturæ. Respondeo. Multa interdùm pro miraculis haberi & tribui Deo extraordinariè operanti, quæ omninò naturalia sunt, nec velim ego fidem facere eorum omnium, quæ vulgus pro miraculis habet. Contendo tamen multa esse, quæ nemo prudens negare possit esse su-

Multa quidem pro miraculosis habentur, quæ naturalia sunt.

Sed multa sunt, quæ nemo pru-

pernaturalia, & divina. Nam si putridum cadaver in nomine Christi suscitetur, quis istam suscitationem naturalem esse dicat? Si æger virium profligatarum momento temporis restituatur pristino vigori, quis istam restitutionem tribuat vegetæ naturæ, non Deo? Si cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, quis dicat ista naturalia esse, quæ appellantur miracula Evangelica, propterea quod ea Christus producere soleret, in testimonium Evangelij sui? Quis inspectionem cordium, aut certam præsagitionem rerum contingenter & liberè futurarum, subtilitati & sagacitati naturæ adscribat? Atqui Doctrina Christi confirmata est ejusmodi signis, quæ omnium prudentum judicio naturam superent.

dens negaverit esse supernaturalia & divina.

Instabis 2°. Miracula illa, quæcumque circumferuntur, sunt meræ præstigiæ, aut effectus dæmonis hominum simplicitati illudentis; nam & magi in Ægypto signa aliqua fecerunt, & habent gentiles portenta sua, & signa faciet Antichristus, multosque decipiet signis suis. Respondeo. Miracula quæ facta sunt in confirmationem Doctrinæ Christi, stultè omninò virtuti dæmonis, aut præstigiis tribuuntur. Nam 1°. Multa ejusmodi superant potestatem dæmonis, ut inspectio cordium, & certa præsagitio rerum contingenter futurarum. 2°. Multa fiunt in contumeliam dæmonis, ut ipsius expulsio à corporibus, eversio Idolorum, silentium oraculis impositum. Non est autem credibile dæmonem sibimetipsi contumeliosum esse. 3°. Modus faciendi ea miracula nullatenùs sapit au-

Miracula facta in favorem Doctrinæ Christi, non nisi stultè virtuti dæmonis, aut præstigiis tribuuntur.

thorem Diabolum, ſiquidem ea ferè facta ſunt inter preces, & invocationes Dei, aliave opera bona. 4°. Finis iſtorum miraculorum eſſe non poteſt finis diaboli, eò enim ſpectabant iſta miracula, ut cultum Dei promoverent, à cultu dæmonum averterent, & Sanctitatem hominibus perſuaderent. 5°. Miracula illa fiebant in iis circumſtantiis, in quibus omnes prudentes fieri putabant à Deo in confirmationem Doctrinæ Chriſti. Ergo reipsâ in eum finem à Deo facta ſunt. Nam ſi Deus ea non fecit in eum finem, profectò tota fallacia in Deum refundi poteſt, eique cum Richardo à Sancto Victore dicere poſſum, *Domine, ſi error eſt quem credimus, à te ipſo decepti ſumus.* Nam iſta in nobis, tantis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt. Quòd pertinet ad præſtigias Magorum, portenta Gentilium, & ſigna Antichriſti, dico hæc omnia vana eſſe, & induſtriæ humanæ, vel artis diabolicæ naturales effectus. Fallacia autem & vanitas, vel hinc ſatis apparet, quòd ea per vanos homines fiant, & in malum finem referantur.

Lib. 1. de Trinit. c. 2.

Inſtabis 3°. Si tot olim facta ſunt miracula, cur non hodie ſimilia fiunt. Reſpondeo. Fieri hodieque multa miracula, quod ſi non, ut olim, tanto numero fiant, duplex cauſa eſt. Una, quia minor eſt adulto Jam Chriſtianiſmo miraculorum neceſſitas. Quam cauſam pulchrè ſic explicat Gregorius Magnus: *Hæc*, inquit, *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt, ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbuſta*

Cur non hodie tot fiant miracula, quot olim fiebant.

Homil. 29. in Evang.

plantamus, tamdiu eis aquam infundimus quousque ea in terrâ jam coaluisse videamus. At si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Altera causa est; quia Jam elanguit fides nostra, nec ita vivida est, ut primorum Christianorum fides; Deus enim operationem miraculorum vivæ fidei, tanquam conditioni fortè alligavit. Atque hæc duplex causa est, cur etiam nunc pro pauperibus plura fiant miracula, quàm pro divitibus; quia nimirùm major est pauperum necessitas, nam quibus præsidia humana desunt, æquum est ut divina suppetant. Deinde major ferè est pauperum fides; divites enim sperare solent, non in ope divinâ, sed in multitudine divitiarum suarum.

ARTICULUS II.

Expenditur prudens credibilitas Doctrinæ Christi, quanta sit.

Summa est credibilitas Doctrinæ Christi infra evidentiam absolutam & necessitantem.

THesis prima. Credibilitas Doctrinæ Christi summa est, infra evidentiam absolutam & necessitantem. Probatur, quia ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, Doctrina Christi ità credibilis est, ut seclusâ evidentiâ absolutâ & necessitante, non possit esse aliqua Doctrina credibilior. Sed quibus gradibus ad summum credibilitatis apicem Doctrina Christi ascendat, distinctè videamus; res enim est subtilissimæ, & gravissimæ inquisitionis.

Quibus gradibus eò ascendat.

Dico igitur 1°. Ex omnibus motivis credibilitatis simul sumptis, Doctrina Christi fit credibilis, assensu aliquo prudenti. Probatur, quia

Primus Gradus. Doctrina Christi fit credibilis assensu aliquo prudenti.

evidens est omnia illa motiva simul sumpta, esse fundamentum grave, quo moveri possit quilibet prudens ad assentiendum, sine notâ temeritatis & imprudentiæ: nam quis temeritatis & imprudentiæ notet hominem, quod pro divinâ habeat Doctrinam aliquam, veritatis & sinceritatis specie fulgentem, modo tam extraordinario inductam & propagatam, irrefragabilium testium authoritate fultam, & insignium miraculorum sigillo munitam: Et verò, si singula hæc motiva sufficiant ad assensum aliquem prudentem, ut superiore articulo ostensum est, multò magis sufficiunt omnia simul sumpta; omnia enim simul sumpta talem ac tantam faciunt apparentiam veri, ut, moraliter loquendo, ei subesse falsitas non possit.

Secundus excludit omne dubium prudens.

Dico 2°. Ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, Doctrina Christi fit prudenter credibilis, assensu aliquo excludente omne dubium prudens. Probatur, quia omnia illa motiva simul sumpta, faciunt ne prudenter timeri possit periculum falsitatis; nam si prudenter timeri posset periculum falsitatis, ideò certè, quia prudenter dubitari posset, vel de existentiâ talium motivorum, vel de eorum connexione cum veritate: Sed de neutro prudenter dubitari potest; nam quis, nisi stultè, dubitet ea motiva existere? Quis, nisi imprudenter & irrationabiliter neget, ea motiva si existant, cum veritate connexionem habere.

Tertius inducit obligationem credendi.

Dico 3°. Ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, Doctrina Christi ita fit credibilis, ut inducatur obligatio eam credendi. Probatur, quia per ea motiva inducitur obliga-

tio credendi Doctrinam Christi divinam esse, per quæ motiva fit, ut sine imprudentiâ dubitari non possit de divinitate Doctrinæ Christi: Atqui per motiva omnia credibilitatis simul sumpta omninò fit, ne prudenter dubitari possit de divinitate Doctrinæ Christi; ergo per ea motiva inducitur obligatio credendi Doctrinam Christi esse divinam. Ratio à priori est, quia ex terminis patet, esse in homine rationali obligationem non agendi imprudenter & irrationabiliter.

Dico 4°. Ex omnibus motivis credibilitatis simul sumpris, Doctrina Christi fit credibilis, assensu aliquo honesto. Sequitur ex dictis, nam assensus prudens, est assensus honestus: ergo cum Doctrina Christi credibilis sit assensu aliquo prudenti, credibilis est assensu aliquo honesto. Deindè evidens est, honestum esse id facere, cujus faciendi est obligatio tanta, ut sine imprudentiâ omitti non possit: sed tanta est obligatio credendi Doctrinam Christi esse divinam, ut sine imprudentiâ non possit non credi: ergo evidenter honestum est credere Doctrinam Christi esse divinam. Quartus. Credi potest assensu honesto.

Dico 5°. Ex omnibus motivis credibilitatis simul sumptis, Doctrina Christi fit credibilis assensu firmo & irrevocabili. Probatur, quia per motiva credibilitatis Doctrina Christi fit ità credibilis, ut de illâ prudenter dubitari nunquam possit: ergo fit credibilis, assensu firmo & irrevocabili; nam si de divinitate Doctrinæ dubitari nunquam possit prudenter, est obligatio assentiendi firmiter, & in perpetuum Doctrinæ Christi; si enim non esset Quintus. Credi potest assensu firmo & irrevocabili.

obligatio firmiter & in perpetuum assentiendi, posset aliquandò de illâ dubitari prudenter, ergò cum per motiva credibilitatis, ità fiat credibilis Doctrina Christi, ut de illâ dubitari nunquam possit prudenter, fit eadem credibilis assensu firmo & irrevocabili.

Sextus Tollit credibilitatem prudentem partis oppositæ.

Dico 6°. Ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, Doctrina Christi ità est prudenter credibilis, ut tollat prudentem credibilitatem partis oppositæ. Ratio clara est; quia si pars opposita remaneret prudenter credibilis, Jam motiva credibilitatis simul sumpta, non inducerent obligationem credendi, non excluderent dubium omne prudens, non fundarent assensum firmum & irrevocabilem, consequens est contra ea, quæ modò demonstrata sunt.

Septimus. Credibilitas illius moraliter evidens est evidentiâ directâ.

Dico 7°. Ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, habetur saltèm moralis evidentia directa credibilitatis Doctrinæ Christi. Ratio est, quia super omnia motiva credibilitatis fundari potest iste discursus. Doctrina illa est prudenter credibilis, cui suffragantur tot ac tanta motiva credendi; Atqui Doctrinæ Christi suffragantur tot ac tanta motiva credendi, ergò &c. Nam hujus syllogismi prima propositio, est metaphysicè evidens: Altera autem saltem moraliter evidens est, ergo conclusio quæ ex duabus sequitur, saltem moraliter evidens est.

Octavus. Eadem credibilitas Metaphysicè evidens est evidentiâ reflexâ.

Dico 8°. Ex omnibus credibilitatis motivis simul sumptis, haberi potest metaphysica evidentia reflexa credibilitatis Doctrinæ Christi. Ratio est, quia ex omnibus credibilitatis motivis fieri potest ista ratiocinatio. Doctrina illa est mihi prudenter credibilis, quæ mihi appa-

ret niti tot ac tantis motivis credendi, ſed Doctrina Chriſti mihi apparet talis, ergò &c. Dico autem conſequentiam hujus ſyllogiſmi eſſe Metaphyſicè certam & evidentem, quia utraque præmiſſa eſt Metaphyſicè certa & evidens; nam quamvis non ſit evidens Metaphyſicè, Doctrinam Chriſti niti tot ac tantis motivis, eſt tamen Mephyſicè certum & evidens apparere mihi, quod illa, tot ac tantis motivis nitatur.

Dico 9°. Ex omnibus credibilitatis motivis ſimul ſumptis, Doctrina Chriſti, ità ſit credibilis, ut divinitas illius evidens ſit evidentiâ quâdam morali. Probatur. Moraliter evidens eſt, quod ita apparet eſſe, ut moraliter loquendo non poſſit non eſſe, ſicut apparet; quamvis fortè abſolutè poſſit ſe habere aliter, quia ſcilicet ſimilis apparentia nunquam, aut rarò fallit, quamvis abſolutè fallere poſſit: Atqui Doctrina Chriſti ità apparet divina, ut ſtante apparentiâ, quam faciunt motiva credendi, moraliter loquendo non poſſit non eſſe divina, apparentia enim illa eſt de genere earum, quæ nunquam fallunt, quamvis fortè abſolutè fallere poſſint. Ergò &c. iſta tamen evidentia moralis non neceſſitat ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundùm quid, & ſub pœnâ imprudentiæ; ità ut qui non aſſentiatur, imprudens ſit.

Nonus. Ipſa Divinitas Doctrinæ Chriſti evidens eſt evidentiâ quadam morali.

Dico 10. Ex omnibus motivis credibilitatis ſimul ſumptis, ita ſit credibilis Doctrina Chriſti, ut interdùm evidens fiat evidentiâ reſpectivâ, & neceſſitante. Probatur. Quia multis evidens eſt, abſolutè fieri non poſſe, ut error ſub talibus ac tantis motivis appareat; per-

Decimus. Evidens fit interdum evidentiâ reſpectivâ & neceſſitante.

missio enim talis erroris Deo repugnat, tùm ex capite bonitatis infinitæ; tùm ex capite summæ sinceritatis. Ex capite quidem infinitæ bonitatis: Deus enim summè bonus permittere non potest, ut genus hominum veritatem sincerè quærentium; in materiâ tanti momenti errent, errore inevitabili: quo modo errarent, si Doctrina Christi Divina non esset. Ex capite verò summæ sinceritatis, quia in circumstantiis in quibus omnes homines prudenter credunt, Deum fuisse operatum extraordinariè, & nunc etiam operari ad confirmationem alicujus Doctrinæ; ità ut imprudens sit quicumque non credat, Deus summè sincerus errorem permittere non potest; illa enim erroris insensibilis permissio, deceptio esset. Confirmatur. Credunt omnes, & prudenter credunt inspectis motivis credibilitatis, Deum operari extraordinariè persuasionem Doctrinæ Christi: Ergò per motiva illà credibilitatis Deus est moraliter testificans Doctrinam Christi: Deus autem moraliter testificari non potest falsum. Concludamus ergò cum Richardo à Sancto Victore. *Domine, si error est, quem credimus, à te decepti sumus*: Sed à te decepti non sumus: tu enim decipere non potes: Ergò error non est, quem credimus,

Lib. 1. de Trin. cap. 2.

Non facit tamen evidentiam absolutam & simpliciter necessitantem.

Thesis secunda. Credibilitas Divinitatis Doctrinæ Christi tanta non est, ut evidentiam faciat absolutam & simpliciter necessitatem ad assensum. Probatur. Quia quæcumque est evidentia absoluta & generalis, ex motivis credibilitatis veniens, ea tantùm moralis est, & in gradu non necessitante ad assensum. Si qua autem

autem interdùm, & aliquo modo necessitans est, ea respectiva & particularis est; quæ nec omnium hominum est, nec omnium temporum; nam nec omnibus evidens est repugnare absolutè, ut omnia credibilitatis motiva conjungantur cum falsitate; nec quibus illud evidens est, ad omnia motiva ità semper attendunt, ut ad credendum necessitentur.

Objicies 1°. Doctrina falsa vestiri potest omnibus credibilitatis motivis; quibus Doctrina Christi vestitur: Ergò Doctrina Christi non est evidenter credibilis, saltèm eo assensu, qui excludat omne dubium prudens; dubitari enim potest, nùm Doctrina Christi, sit error ille omnibus credendi motivis adeò bellè vestitus: Confirmatur. Potest quis omnia illa motiva benè penetrans, dicere apud se; non obstantibus illis motivis, fieri potest absolutè, ut Doctrina Christi Divina non sit; judicium autem hujusmodi, est dubitatio quædam prudens: Ergò cum omnibus illis credendi motivis, locus est aliquis dubitationi prudenti. Respondeo 1°. Nego Antecedens. Deus enim non potest permittere, ut error sub talibus ac tantis motivis appareat; illa enim permissio in Deum refunderetur. Sed quia non omnes hoc clarè vident, & ex privatis evidentiis nostris pendere nolumus solutionem difficultatis communis. Respondeo 2°. Transeat Antecedens. Nego Consequentiam. Nam ex eò quòd absolutè loquendo possit res aliter esse, non sequitur non esse prudenter credibilem; quis enim neget prudenter credibilem esse existentiam Urbis Romæ, quamvis absolutè fieri possit, ut Roma

Error vestiri non potest omnibus credibilitatis motivis quibus Doctrina Christi vestitur.

non existat. Ratio à priori est, quia error ipse potest esse prudenter credibilis; prudentia enim credendi non postulat necessariò veritatem objecti, quod creditur. Nego igitur dubitari posse prudenter de veritate Doctrinæ Christi. Ad Confirmationem autem dico, judicium illud, quo quis judicat fieri posse absolutè, ut Doctrina Christi divina non sit, non esse dubitationem de divinitate Doctrinæ Christi; nam dubitatio, vel est suspensio omnis judicii, vel est actus positivus, quo judicantur motiva, quæ favent Doctrinæ Christi, talia esse, ut sub illis sit aliquod errandi periculum: sed qui judicat fieri posse absolutè, ut Doctrina Christi non sit divina, non propterea suspendit judicium de divinitate Doctrinæ Christi, neque judicat in eâ credendâ, esse aliquod errandi periculum: Ergò qui judicat fieri posse, ut Doctrina Christi divina non sit, non propterea dubitat, de divinitate Doctrinæ Christi.

Doctrina aliqua, ex eo quod possit absolutè esse falsa, non desinit esse credibilis.

Objicies 2°. Doctrina Christi eo modo est evidenter vera, quo modo est evidenter credibilis: Doctrina autem Christi est evidenter credibilis, evidentiâ absolutâ & necessitante ad assensum veritatis. Major, quæ sola negari potest, Probatur; argumenta enim quæ demonstrant Doctrinam Christi esse credibilem, demonstrant eandem esse veram; res enim aliqua eatenùs tantùm fit credibilis, quatenùs probatur esse vera. Respondeo. Nego Majorem. Nam sicut, aliud est credibilitas Doctrinæ, & aliud Doctrinæ veritas; ità, aliud est evidentia credibilitatis, & aliud evidentia veritatis. Ratio ulterior est. Quia argumenta de-

Veritas Doctrinæ Christi non eundem habet gradum claritatis & evidentiæ, quem credibilitas.

monstrantia credibilitatem rei, non demonstrant eodem gradu claritatis veritatem rei. Quare, quæ argumenta sufficiunt ad faciendam credibilitatis evidentiam, non continuò sufficiunt ad faciendam evidentiam veritatis; nam hoc ipso fit evidentia credibilitatis, quod est evidens esse argumenta gravia, quæ fundare possint assensum prudentem: sed non hoc ipso fit evidentia veritatis; requiritur enim insuper, ut sit evidens esse motiva, cum rei veritate connexa.

Instabis 1°. Est evidens Doctrinæ Christi favere ea motiva, quæ favere non possunt Doctrinæ falsæ: Ergò est evidens Doctrinam Christi, non esse falsam: quod si falsa non est, profectò vera est. Probatur autèm, quia miracula fieri non possunt in favorem Doctrinæ falsæ: Doctrinæ autem Christi innumera favent miracula. Respondeo. Distinguo Antecedens. Est evidens Doctrinæ Christi favere ea motiva, quæ favere non possint Doctrinæ falsæ evidentiâ absolutâ & necessitante, Nego, evidentiâ respectivâ, & non simpliciter necessitante. Concedo. Nimirùm motiva credibilitatis sunt in triplici genere. Alia quidem satis evidenter existunt, sed non satis evidenter inferunt divinitatem Doctrinæ Christi. Alia verò satis evidenter divinitatem Doctrinæ Christi inferunt, sed non satis evidenter existunt respectu omnium. De miraculis autèm, nec satis omnibus evidens est, ea fuisse facta, nec si facta sint, satis evidens est, ea fuisse ordinata in confirmationem Doctrinæ Christi, nec si factæ & ordinata sint ad confirmandam Christi Do-

Ex nullis omninò motivis, nè ex miraculis quidem habetur evidentia absoluta & necessitans Doctrinæ Christi.

ctrinam, satis omnibus evidens est, fieri non posse miraculum in confirmationem falsi.

Instabis 2°. Evidens est omni homini benè penetranti motiva credibilitatis, sub illis errorem latere non posse: Ergò omnis homo penetrans motiva credibilitatis, necessitatur ad judicandum Doctrinam Christi Divinam esse; necessitatur enim ad judicandum motiva credibilitatis, esse de genere eorum, quæ moraliter loquendo fallere non possunt, seu, quæ quamvis absolutè fallere possint, nunquàm tamen fallunt: Ergò necessitatur ad judicandum motiva credibilitatis non fallere. Motiva autem, quæ probant divinitatem Doctrinæ Christi, non fallere, probant Doctrinam Christi divinam esse. Respondeo. Nego Consequentiam. Ad probationem dico, per motiva credibilitatis duo probari. Primum est prudens credibilitas, seu prudentia credendi. Alterum est Divinitas Doctrinæ Christi. Et ad primum quidem judicandum necessitatur, quicumque penetrat motiva credibilitatis: sed non necessitatur ad secundum; necessitatur enim solùm ad judicandum motiva credibilitatis esse de genere eorum, quæ quamvis absolutè fallere possint, nunquàm tamen, aut rarò admodùm fallunt; adeò ut, nemo nisi temerè & imprudenter, possit timere in illis, aut suspicari falsitatem; sed non necessitatur ad judicandum motiva credibilitatis reipsâ non fallere; potest enim, & suspendere judicium, & judicare imprudenter, quod reipsâ fallant.

Quomodo stat cum evidentiâ respectivâ & necessi-

Objicies 3°. Quibus est evidentia respectiva & necessitans ad assensum Divinitatis Doctrinæ Christi, nullum est meritum fidei suæ: ibi enim

meritum non est, ubi necessitas est. Respondeo 1°. Quibus est evidentia respectiva & necessitans ad assentiendum Doctrinæ Christi in genere, non continuò est evidentia necessitans ad assentiendum Doctrinæ Christi in particulari; quia nimirùm fieri potest, ut major sit evidentia Doctrinæ Christi in genere, quàm singulorum articulorum, neque enim omnia motiva, quæ probant Doctrinam Christi in genere Divinam esse, probant singulos ejus articulos esse Divinos, quia non probant singulos articulos in Doctrinâ Christi contineri: Ergò quamvis supponatur esse necessitas ad assentiendum Doctrinæ Christi in genere, manere potest libertas ad assentiendum singulis articulis. Respondeo 2°. Evidentia ista etiam respectiva non habetur ex singulis motivis seorsim sumptis, sed ex omnibus collectis, & benè penetratis: est autem facile, ut ea motiva non veniant, aut si veniant, non benè penetrentur, tunc autèm nulla fit assentiendi necessitas. Respondeo 3°. Positâ etiam necessitate assensûs, potest esse aliquod meritum assentientis, cùm enim possit non attendere ad motiva credibilitatis, si attendat, meritum habet attentionis; ex quo merito, assensus etiam necessarius denominari potest meritorius. Hîc moneo, magnum fidei meritum non esse in eo quod credatur Deus loqui, sed in eo quod propter authoritatem Dei loquentis credat homo, aut certè paratus sit credere quæcumque difficilia: hoc est enim, quod ait Paulus, *Captivare intellectum in obsequium fidei.*

tante libertas, & meritum fidei nostræ.

1. *Ad Cor.* c. 10.

CAPUT II.

Demonstratur incredibilitas cujuscumque Sectæ Christianismo opposita.

PRæmitto. Non quærimus hìc, an aliæ Sectæ Christianismo oppositæ absolutè incredibiles sint ; ità ut nullo assensu credi possint ; nam certum est, illarum aliquas credi posse aliquo assensu, & reipsâ multos habere Sectatores. Sed quærimus tantùm, an sint prudenter incredibiles, ità ut credi non possint assensu prudenti ; ista autem prudens incredibilitas, cadere potest in aliquam Sectam dupliciter, negativè scilicet & positivè. Secta dicitur incredibilis negativè, cum deficit motivis sufficientibus ad fundandum assensum prudentem, & apparentiam veri, aut nullam habet, aut adeò tenuem, ut nemo illam sequi possit sine notâ temeritatis & imprudentiæ ; atque hæc negativa incredibilitas interdùm cadit in utramque partem contradictionis, quia pro neutrâ parte sunt motiva sufficientia ad fundandum assensum prudentem. Secta dicitur incredibilis positivè, cùm ex motivis quæ contrà pugnant, talem ac tantam habet apparentiam falsi, ut non assensum, sed dissensum prudentem fundare possit. Utraque verò incredibilitas, seu positiva, seu negativa, non est idem aliquid cum falsitate ; sectam enim aliquam esse incredibilem non est idem, quod esse falsam ; quia fieri

Sectæ incredibilitas duplex, negativa & positiva.

Utraque distinguitur à Sectæ falsitate.

poteſt, ut vera aliqua ſecta deficiat motivis ſufficientibus ad fundandum aſſenſum prudentem, & motivis etiàm contrariis, in modum falſæ ſectæ veſtiatur. Ergò fieri poteſt, ut ſecta aliqua, quæ falſa non eſt, ſit prudenter incredibilis.

Theſis Unica. Evidens eſt omnem ſectam Chriſtianiſmo oppoſitam eſſe prudenter incredibilem. Demonſtratur. Evidens eſt Chriſtianiſmum eſſe prudenter credibilem eo gradu, quo ſupra ſtatuimus credibilem eſſe: Ergò evidens eſt, omnem ſectam Chriſtianiſmo oppoſitam eſſe prudenter incredibilem. Conſequentia eſt evidens: nam ſi Chriſtianiſmus ità prudenter credibilis eſt, ut tollat prudentem credibilitatem partis oppoſitæ, evidens eſt ſectam Chriſtianiſmo oppoſitam, non eſſe prudenter credibilem: ſi Chriſtianiſmus ità credibilis eſt, ut excludat omne dubium prudens, evidens eſt ſectam oppoſitam eſſe prudenter incredibilem; nam ſi ſecta oppoſita eſſet prudenter credibilis, poſſet dubitari prudenter de Chriſtianiſmo. Denique, ſi Chriſtianiſmi tanta eſt credibilitas, ut obligationem credendi inducat; evidens eſt nullam ſectam Chriſtianiſmo oppoſitam credi poſſe prudenter; nam ſi ſecta aliqua oppoſita Chriſtianiſmo credi poſſet prudenter, jam nulla eſſet obligatio credendi Chriſtianiſmum; neque enim eſt obligatio credendi id, cujus contrarium prudenter creditur: Ergò, ſi eſt evidens Chriſtianiſmum eſſe prudenter credibilem eo gradu, quo diximus, evidens eſt quamcumque ſectam Chri-

Secta omnis Chriſtianiſmo oppoſita eſt prudenter incredibilis.

ſtianiſmo oppoſitam eſſe prudenter incredibilem. Confirmatur. Quia quæcumque ſecta Chriſtianiſmo oppoſita deficit motivis ſufficientibus ad aſſenſum prudentem, & habet motiva contrà pugnantia, quæ tantam faciant apparentiam falſi, ut ei quilibet prudens diſſentiri poſſit ac debeat. Nam ſectæ Chriſtianiſmo oppoſitæ, præter Atheiſmum & Polytheiſmum, de quibus ſupra, ſunt ferè Deiſmus, Judaïſmus, Mahumetiſmus : omnes autem illæ ſectæ prudenter incredibiles ſunt, ut patebit refutatione ſingularum.

Demonſtratur incredibilitas Deiſmi.

Dico igitur 1°. Deiſmus eſt prudenter incredibilis. Demonſtratur. Deiſmus eſt ſecta hominum, qui unum Deum agnoſcunt, & colendum eſſe decernunt; ſed colendi modum unicuique liberum eſſe, & ex ſolo dictamine rationis naturalis definiri debere contendunt. Hinc, & Deiſtæ, & Libertini, & Indifferentes & Philoſophi appellantur. Deiſtæ quidem, quòd exiſtentiam Dei habeant pro ſolo dogmate neceſſario. Libertini, quòd in modo colendi Deum, magnam libertatem faciant ſequendi quicquid libuerit. Indifferentes, quòd religionem omnem ità velint eſſe indifferentem, ut in quâlibet ſalus obtineri poſſit. Philoſophi denique, quòd in materiâ religionis, ſolo lumine naturali ſtandum eſſe pronuncient: atqui hæc ſecta eſt prudenter incredibilis. Nam 1°. Evidens eſt Deum potuiſſe multa revelare de ſe ipſo, & ſummam fidem mereri, ſi revelaverit : Atqui evidenter credibile eſt, Deum multa de ſe ipſo revelaſſe : Ergò evidenter credibile eſt, præter exiſtentiam eſſe multa

alia dogmata homini credenda, ac proindè prudenter incredibile, quod volunt Deistæ, existentiam Dei esse solum dogma necessariò credendum. 2°. Evidens est, Deum potuisse determinare modum cultûs sibi à creaturâ exhibendi, quem si determinavit, evidens est, non esse relictam creaturæ libertatem cujuscumque cultûs; atqui evidenter credibile est, Deum determinasse modum cultûs sibi à creaturâ exhibendi: Ergò evidenter credibile est, non esse relictam creaturæ cultûs divini libertatem; ac proindè prudenter incredibile est, quod Libertini aiunt, unicuique liberum esse Deum colere, prout libuerit. 3°. Evidens est, Deum potuisse uni alicui religioni ità alligare salutem, ut extra illam non sit salus: quod si fecit, evidens est omnem religionem non esse indifferentem: Atqui evidenter credibile est, Deum ita fecisse: Ergò evidenter credibile est, unam aliquam religionem, ità esse viam salutis, ut extra illam non sit salus: ac proindè prudenter incredibile est, quod statuunt Indifferentes de omnium Religionum indifferentiâ. 4°. Evidens est posse fieri, ut Deus non permiserit lumini naturali cujusque hominis determinationem Religionis. Et verò conveniens fuit non permittere, tùm quia in rebus Divinis valdè cæcutiunt homines, tùm quia ea permissio magnam cultûs Divini difformitatem induceret. Quòd si Deus non permiserit, evidens est, in materiâ Religionis, standum non esse lumini naturali præcisè: Atqui evidenter credibile est, Deum non permisisse: Ergò evidenter credibile est, non

pro cujuſque lumine naturali, ſed pro ipſius Dei ſenſu & guſtu, Deo ſerviendum eſſe; ac proindè prudenter incredibilis eſt iſtorum Philoſophorum Secta. Confirmatur. Quia Secta hujuſmodi levibus omninò, aut nullis nititur motivis; nam ſi ſpectetur authoritas, & paucorum eſt, & hominum libertinorum, hoc eſt, nullius fidei. Si propagationis modus, non aliâ viâ propagatur, quàm ingenii artificio, & illecebrâ libertatis. Si miraculorum ſuffragium, miracula pro fabulis habet. Si Doctrinæ ſubſtantia, ea ferè valet ad laxitatem, & depravationem morum inducendam.

Incredibilitas Judaïſmi quâ parte Chriſtianiſmo oppoſitus eſt.

Dico 2°. Judaïſmus, quâ parte Chriſtianiſmo opponitur, eſt prudenter incredibilis. Demonſtratur. Tria ſunt, in quibus Secta Judæorum opponitur Chriſtianiſmo. Primum eſt, quòd Judæi Meſſiam veniſſe negent, & venturum adhùc expectent. Secundum, Quòd Jeſum Chriſtum negent eſſe verum Meſſiam & Deum. Tertium, Quòd legis Moſaïcæ veteres cæremonias retineri velint; Atqui tria hæc ſunt prudenter incredibilia. Nam quod ad primum attinet. Incredibile eſt Meſſiam non veniſſe, ut manifeſtè oſtenditur ex ipſis, quas Judæi admittunt, Scripturis, tempus Meſſiæ venturi non obſcurè ſignificantibus, cujuſmodi eſt illud Vaticinium Jacobi Patriarchæ; *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*; Nam cùm certò conſtet ablatum eſſe Sceptrum de Judâ, nec jam ſupereſſe Ducem de femore ejus, conſequens eſt veniſſe Meſſiam, alioquin ſua ora-

Gen. 49.

culo veritas non constaret. Alterùm verò non est minus incredibile; quia omninò credibile est Jesum Christum esse verum Messiam, & verum Dominum; tum quia omnes Prophetiæ Christum demonstrantes perfectè cadunt in Jesum Christum; tùm quia ipse Missionem suam & dignitatem innumeris miraculis probavit; tum denique, quia mundi conversio ad Christum, & Christianismi propagatio apparet esse opus divinum: sed hæc omnia fusiùs, cum divinitas Christi ex professo demonstrabitur. Tertium denique, in quo Judæi à Christianis dissident, incredibile est; nam si Jesus Christus est verus Messias, & verus Deus, abrogare potuit legis Mosaicæ cæremonias, credibile autem est abrogasse; tùm quia ipsius Apostoli id disertè testantur, tùm quia nemo Christianorum jam illas cæremonias observat, tùm quia illæ cæremoniæ cùm essent umbræ & figuræ cæterorum, evanescere debuerunt ad præsentiam veritatis.

Dices. Religio Judæorum fuit vera Religio; fundata à Mose magno Propheta, confirmata à multis aliis Prophetis, signata miraculis, ab ipsomet Christo testimonium habens: ergo secta Judæorum est prudenter credibilis. Respondeo. Distinguo consequentiam. Secta Judæorum est prudenter credibilis, qualis olim fuit, Concedo. Qualis nunc est, nego. Nam qualis nunc est, & Messiam negat venisse, cum tamen venerit, & verum Messiam negat Jesum Christum qui verus est Messias, & legis Mosaicæ obligationem supponit perseverare, quæ tamen non perseverat. At verò secta Ju-

Religio Judæorum fuit olim vera Religio.

Sed longè alia ab illâ quæ nunc est.

dæorum quæ olim fuit, Messiam venturum credebat, qui erat venturus, & legis Mosaicæ obligationem agnoscebat, pro eo solo tempore, quo vigebat obligatio.

Quo sensu testamentum vetus & Sacerdotium Aaronis æternum dicatur.

Instabis. Promisit Deus se non derelicturum Israël, promisit Testimonium Vetus, & Sacerdotium Aaronis fore æternum: Ergo Religio Judæorum adhuc perseverat. Respondeo. Promissio illa divina cadit in Christianos, qui sunt *veri Israëlitæ secundùm Spiritum*; nam Judæi dumtaxat *Israëlitæ sunt secundùm carnem*, ut explicat Paulus, sed neque istos secundùm carnem Israëlitas omninò reliquit Deus, reliquias enim eorum aliquandò colliget & ad fidem convertet, ut prænunciavit idem Apostolus. Testimonii verò & Sacerdotii veteris mutationem, Scriptura ipsa prædixerat; dictum est tamen æternum, tùm quia diu duravit, tùm quia, si non figuræ, sed veritatis ratio habeatur, nunquam finietur.

Num. c. 25.

Paul. ad Rom. c. 9.

Ad Rom. c. 11.

Incredibilitas Mahumetismi.

Dico 3°. Mahumetismus est prudenter incredibilis. Probatur, quia primarius & fundamentalis istius sectæ Articulus est, Mahumetum fuisse verum Prophetam à Deo missum, ad fundandam Religionem perfectissimam: sed talis articulus est omninò incredibilis: Nam verus Propheta in eum finem missus, debuit esse homo extraordinarius, & aliquo Dei dono insignis: Mahumetus autem non fuit homo extraordinarius, & præter audaciam, perfidiamque insignem, supra vulgares homines nihil habuit. Verus Propheta habere debuit testimonium aliquod illustre Missionis suæ, sed Mahumetus nihil tale habuit, nullam Prophe-

tiam edidit, nullum miraculum fecit; niſi quod aliquandò, ut ferunt, magnam Lunæ partem, quæ fortè in ipſius manicam delapſa erat, Lunari corpori remiſit ad ſervandam rotunditatem Syderis. Verus Propheta miſſus ad Sanctæ Religionis inſtitutionem, non debuit eſſe homo nequam & ſceleratus. Atqui Mahumetus notoriè fuit homo nequam & ſceleratus: nam, & aliquandò idola coluit, & latrocinia exercuit, & in adulterio deprehenſus fuit à propriis etiam uxoribus, impudenter aiens, ſibi ſoli datam fuiſſe à Deo adulterandi facultatem: & adversùs legitimum Dominum rebellavit, Arabeſque ad rebellionem excitavit. Denique verus Propheta mentiri non debuit, in his præſertim quæ ſpectabant Miſſionem ſuam; ſed Mahumetus apertè in his mentitus eſt: dixit enim ſe Miſſum eſſe à Deo ad fundandam Religionem, non miraculis, uti Moſes & Chriſtus fecerant, ſed armis: Atqui hoc falſum eſt; nam ſi Mahumeto gladium dederat Deus ad fundandam Religionem, debuit Mahumetus virtute bellicâ ſupra cæteros homines excellere, ſicut Chriſtus & Moſes virtute miraculorum excelluerunt, quia Religionem fundare habebant miraculis; Mahumetus tamen virtute bellicâ non excelluit, & nihil valdè præclarum egit in bello. Dixit Mahumetus, ſe ideò Miſſum fuiſſe, quòd, homines, nec Moſi, nec Chriſto credidiſſent, ſed hoc pariter falſum eſt; homines enim, & Moſi, & Chriſto crediderunt. Dixit Mahumetus prædictum fuiſſe à Chriſto & promiſſum ipſius adventum: Atqui Chriſtus contra promiſit legem ſuam ad finem uſque mun-

di duraturam, nec de Mahumeto quidquam locutus est, nisi fortè illum generali nomine pseudo-Prophetarum comprehendit. Dixit Mahumetus legem suam perfectiorem esse eâ lege, quam Christus dedit. Hujus autem dicti evidenter apparet falsitas ex utriusque legis comparatione. Dixit Mahumetus se Prophetam esse præstantiorem Christo; cùm tamen evidens sit Christum sapientiâ, sanctitate, potentiâ, incomparabiliter præstare Mahumeto. Dixit Mahumetus Christum nunquam sibi arrogasse divinitatem, quod falsissimum est; nam Judæis qui Christum crucifixerunt, quod se Deum faceret, plus credendum, quam Mahumeto, præsertim cùm 600 annis antè Mahumeti adventum in universo orbe ità creditum fuerit. Certè tam est evidens dixisse Christum se esse Deum, quam sit evidens dixisse Mahumetum se esse magnum Prophetam; nam sicut hoc postremum habetur clarè in Alcorano, ità hoc primum habetur in Evangelio. Confirmatur 1°. Quia Alcoranus, quem Mahumetani habent pro Libro divino, nullam Libri divini speciem habet; nam Deum inducit non rectè loquentem, & indignè jurantem per creaturas suas: multa habet inepta, & fabulosa, multa apertè falsa, multa inter se pugnantia, quale est illud quod ait, Judæos & Christianos salvari, si bona opera faciant, & tamen damnari infideles, inter quos numerat Judæos & Christianos. Confirmatur 2°. Quia lex Mahumetana imperfecta valdè & mala est, malè præstituens finem & de mediis pejùs præscribens; nam beatitudinem hominis ponit in vo-

luptate ſenſibili ex uſu Veneris, & guſtu ciborum, quorum delicatiſſimum ait jecur cujuſdam piſcis: de eâ felicitate, quid humilius? quid turpius? deindè, præcepta ſua dirigit ferè omnia ad externam quandam munditiem, magis quàm ad internam ſanctitatem, & magis ſpectat, ut politicos & bellatores faciat, quàm, ut Sanctos. Quid autem illo præceptorum genere imperfectius? Denique lex illa mala eſt, quatenùs dat licentiam fornicandi, uxores ducendi quot quiſque habere poteſt, eaſque facilè repudiandi, ulciſcendi ſe propriâ authoritate, interficiendi eos quoſcumque qui Mahumetani non ſunt, & bellum inferendi vicinis populis eo ſolo prætextu, quòd Mahumetani eſſe nolunt. Confirmatur 3°. Quia Mahumetiſmus deficit omnibus motivis credendi ad aſſenſum prudentem idoneis; quibus Chriſtianiſmum oſtendimus eſſe credibilem; nam ſi ſpectetur Doctrinæ qualitas, nec veritatem habet, nec ſanctitatem. Si propagationis modus nihil, in eo divinum eſt; ſatis enim conſtat eam ſectam humanis tantùm artibus fuiſſe propagatam, voluptatis illecebrâ, & armorum vi. Si authoritas, teſtes nullos habet idoneos, non Martyres, non Sanctos, non Doctores; nam omnem de Religione diſputationem vetuit Mahumetus, gladium ſcilicet volens eſſe judicem & arbitrum fidei: ſi ſuffragium miraculorum, Mahumetiſmo miracula non favent; fatetur enim Mahumetus ipſe, ſibi datam non fuiſſe miraculorum virtutem, ſed armorum, ergo Mahumetiſmus motiva non habet ſufficientia ad aſſenſum prudentem.

Objicies: Mahumetiſmi dilatatio, & felicitas ac potentia ſectatorum ejus, videtur eſſe idoneum credendi motivum; hinc enim videtur ſequi Mahumetum fuiſſe verum Prophetam, quatenùs dicit, datum ſibi fuiſſe gladium, & felicitatem temporalem munus eſſe divinum conceſſum ſectatoribus ſuis. Reſpondeo. Nec dilatatio Mahumetiſmi, nec temporalis felicitas, aut potentia Mahumetanorum, eſt motivum credendi ſufficiens; nam, & Paganiſmus dilatatus eſt Mahumetiſmo ampliùs, & major fuit Romanorum felicitas ac potentia, quàm Mahumetanorum; neque tamen paganiſmus fuit prudenter credibilis, ut fatentur ipſi Mahumetani. Ratio ulterior eſt, quia iſtam Mahumetiſmi dilatationem factam fuiſſe conſtat artibus merè humanis, nec adeò mirum eſt Religionem ſatis facilem, commodam ſenſibus, & concupiſcentiæ ſervientem, accedente armorum vi, fuiſſe valdè dilatatam: felicitas verò & potentia temporalis Mahumetanorum, non eſt magis divina approbatio Mahumetiſmi, quàm felicitas & potentia Romanorum fuerit divina approbatio paganiſmi.

Credibilem Mahumetiſmum non facit dilatatio illius, aut temporalis felicitas

QUÆSTIO V.

De Eccleſia Chriſti.

POST demonſtrationem divinitatis Doctrinæ Chriſti, quærenda eſt Chriſti Eccleſia, in quâ Doctrina illa pura & incorrupta ſervetur. Tria hìc demonſtrare habemus. Primum eſt, eſſe aliquam Eccleſiam Chriſti veram & viſibilem.

Alterum

Alterum Ecclesiam illam esse solam Ecclesiam Romanam. Tertium, Ecclesiam Romanam esse fidelissimam custodem Doctrinæ Christi.

CAPUT PRIMUM.

Demonstratur esse aliquam veram Ecclesiam Christi visibilem.

THesis Unica. Est aliqua vera Christi Ecclesia visibilis. Hanc Thesim divido in tres partes. In primâ. Dico esse aliquam Ecclesiam Christi. In secundâ. Esse aliquam veram Ecclesiam. In tertiâ. Eam quæ vera est, visibilem esse.

Est aliqua Christi Ecclesia.

Prima pars patere potest omni homini oculos habenti, & circumspicienti orbem in quo vivimus. Nam Ecclesiæ nomine intelligitur congregatio aliqua hominum Christo authore & fundatore gloriantium; satis autèm patens est, esse aliquam ejusmodi congregationem; quia satis patens est orbis Christianus, qui se profitetur à Christo esse.

Eaque vera.

Secunda pars demonstratur. Ecclesia vera Christi, est congregatio hominum profitentium Doctrinam, & formam vivendi verè à Christo traditam. Est autem aliqua congregatio talis, ergò &c. Minor ostenditur 1°. Quia est aliqua congregatio hominum profitentium se sequi Scripturam, & traditionem Divinam: in Scriptura autèm & traditione continetur Doctrina, & forma vivendi verè à Christo tradita. 2°. Est aliqua congregatio eandem tenens Doctrinam, & formam vivendi, quam tenebat Ecclesia Apostolicorum temporum, ut ex

utriusque comparatione haberi potest; Ecclesia autèm Apostolicorum temporum fuit vera Ecclesia Christi. 3°. Si non esset vera aliqua Christi Ecclesia, jam Ecclesia à Christo instituta defecisset, Ecclesia autem instituta à Christo non defecit, est enim perpetua & indefectibilis. Habetur verò ista indefectibilitas ex promissionibus Christi; nam Christus Matthæi 16. promisit se ædificaturum Ecclesiam suam *supra firmam petram, & portas inferi non prevalituras [adversùs eam.* Et Matthæi ultimo dixit Christus Ecclesiæ in personâ Apostolorum: *Ecce ego vobiscum sum, usquè ad consummationem sæculi.* Habetur ex Paulo ad Ephesios c. 4. ubi dicitur, *Ædificationem corporis Christi quæ est Ecclesia, permansuram esse usque ad diem Judicii*, seu, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Habetur ex constanti traditione, quæ fert Ecclesiam Christi non posse deficere. Augustini verba pro eâ traditione insignia sunt contra Donatistas Concione secundâ, in Psalmum 101. *Sed ista*, inquit, *Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit, hoc dicunt, qui in illâ non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illâ non es: vide, ne tu ideò non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.* Eodem sensu Bernardus sermone 79. in Canticum, *Venerunt*, inquit, *flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam & non cecidit, eo quòd fundata esset supra petram; itaque nec verbositate Philosophorum, nec cavillationibus Hæreticorum, nec gladiis Persecutorum potuit ista*

aut poterit aliquandò separari à charitate Dei.

Tertia pars est contra Schismaticos Donatistas fingentes aliquam Ecclesiam invisibilem, & in solâ Donati parte superstitem. Est itèm contra Lutheranos & Calvinistas simile aliquid somniantes: interdùm tamen isti quasi evigilarent Ecclesiam dicunt esse visibilem, sed planè vigilando somniant, duas distinguendo Ecclesias; unam veram, sed invisibilem, Alteram visibilem, sed falsam. Nos autem Ecclesiam Christi ità dicimus esse visibilem, ut certò discerni possit ab omni aliâ congregatione, quæ non est vera Ecclesia Christi. Habetur ista visibilitas ex Scripturâ quæ, passim loquitur de Ecclesiâ, ut de Congregatione aliquâ certâ & designabili. Hinc Augustinus libro de unitate Ecclesiæ illum Christi locum Matthæi 16. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, interpretatur de Ecclesiâ in Christo fundatâ, & tractatu in 2. Joannis, *Ecclesiam esse* ait *tabernaculum in sole positum.* Quo sensu dixit Chrysostomus Homilia 4. in Caput 6. Isaïæ, *facilius esse solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.* Confirmari potest ex obligatione, quam Scriptura passim inculcat sequendi, consulendi, audiendi Ecclesiam & communicandi cum membris ejus; nam tenentur omnes sequi veram Christi Ecclesiam, sive, qui in eâ sunt perseverando, sive, qui in eâ non sunt, ei se adjungendo, quomodo autem sequi poterunt Ecclesiam invisibilem? Tenentur omnes in dubiis consulere Ecclesiam, quia Ecclesia Judex est controversiarum fidei, Judex autem debet esse visibilis; nam si invi-

Et visibilis.

ſibilis eſt, quomodo ad illum in dubiis recurretur. Tenentur omnes audire veram Eccleſiam, ejuſque præceptis obedire, quomodo autem id fiet, ſi vera Eccleſia neſciatur. Tenentur omnes Communionem habere cum membris veræ Eccleſiæ, quomodo autem habebitur illa Communio, ſi vera Eccleſia ignoretur. Ratio ulterior iſtius viſibilitatis peti poteſt ex ipsâ notione veræ Eccleſiæ: vera enim Eccleſia, qualem Scriptura & Patres repræſentant, eſt corpus aliquod morale conſtans hominibus in ſtatu viæ poſitis, quos vera fidei profeſſio, & Communio Sacramentorum Chriſti, ſub uno capite Chriſti Vicario adunat. Dicitur Eccleſia corpus morale. Pauli ad Rom. 12. *Unum corpus ſumus in Chriſto.* Dicitur corpus conſtans hominibus in ſtatu viæ poſitis, quia Eccleſia de quâ agimus, eſt domus fidei ſalutaris & meritoriæ, cujus fidei non ſunt capaces, qui ſunt extra viam poſiti. Dicitur conſtare hominibus, quos vera fidei profeſſio & Communio Sacramentorum Chriſti adunat; nam membra Eccleſiæ debent aliquo modo uniri ut membra unius corporis, uniuntur autem profeſſione veræ fidei, & Communione Sacramentorum, *una Fides*, (inquit Apoſtolus,) *unum Baptiſma*, *unus Deus.* Additur ſub uno capite Chriſti Vicario, quia Eccleſia Chriſti eſt Eccleſia ædificata ſupra Petrum, ejuſque Succeſſores Chriſti Vicarios. Hæc eſt vera notio Eccleſiæ, cujus forma viſibilis eſt; eſt enim profeſſio veræ fidei, Communio viſibilium Sacramentorum, & obedientia viſibiliter exhibita Petro, ejuſque Succeſſoribus Chriſti Vicariis. Atque hinc.

Notio veræ Eccleſiæ Chriſti,

Formam viſibilem importat.

Epheſ. 4.

Sequitur 1°. Malè definitam fuisse Ecclesiam à Joanne Vviclefo & Joanne Hus, Congregationem prædestinatorum : nam præterquamquòd, nec omnes prædestinati ad Ecclesiam pertinent, & multi pertinent qui non sunt prædestinati, juxta illud Augustini dictum, secundùm præscientiam & prædestinationem, *Quàm multi lupi intùs, quàm multæ oves foris*, Congregatio prædestinatorum non est visibilis, novit enim solus Dominus, qui sunt ejus. Quare meritò damnatus est in Concilio Constantiensi ille hæreticorum Articulus, quo aiebant, præscitum, seu reprobum, etsi aliquando sit in gratiâ secundùm præsentem justitiam, nunquàm tamen esse partem Sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatum semper manere membrum Ecclesiæ.

Malè definitur Ecclesia Congregatio prædestinatorum.

Tract. 45. in Ioan.

Vt habetur in Concil. Constantiensi sess. 17.

Sequitur 2°. Malè à Pelagianis Ecclesiam restringi ad solum numerum justorum & perfectorum hominum : nam præterquamquod nec sunt perfecti homines eâ perfectione justitiæ, quæ omne peccatum excludat, ut volebant Pelagiani, nec omnes peccatores extra Ecclesiam sunt ; Congregatio justorum, & perfectorum hominum non est visibilis, quia nemo scit an amore, an odio dignus sit.

Malè restringitur ad solos justos & perfectos.

Sequitur 3°. Ecclesiam malè definiri à Calvino, Congregationem verè credentium, seu habentium veram & interiorem fidem : nam præterquamquod, & possunt esse extra Ecclesiam, qui verè interiùs credunt, cujusmodi sunt multi Cathecumeni, & possunt esse in Ecclesiâ, qui fidem interiorem perdiderunt ; fides interior non reddit Ecclesiam satis visibilem :

Malè dicitur esse Congregatio verè credentium.

Ergò fidei interiori accedere debet alia forma, quæ Ecclesiam visibilem faciat.

Ecclesiæ membra sensibilia sunt.

Sequitur 4°. Sensibilia esse Ecclesiæ membra, & distingui posse, quinam ad Ecclesiam pertineant; nimirùm omnes illi ad Ecclesiam pertinent, in quibus est professio veræ fidei, Communio sensibilium Sacramentorum, & obedientia Petro ejusque Successoribus exhibita, tria autem hæc sensibilia sunt. Sunt igitur intra Ecclesiam multi reprobi, habet enim Christi Arca, seu Ecclesia, Paleas suas igne inextinguibili comburendas. Sunt & multi imperfecti, quia habet Ecclesia, ut quæritur Chrysostomus, multos homines otio & socordiæ deditos. Sunt & magni interdùm peccatores; nam *Arca Noë*, juxta Hyeronimum, *Ecclesiæ typus fuit, ut igitur in eâ omne animalium genus, ita in hâc universarum gentium & morum homines sunt, ut ibi pardus, hædi, lupus & agni, ita & hîc justi & peccatores commorantur.* Sunt & infideles occulti & falsi Fratres, quia licet veram fidem non habeant, veram tamen fidem exteriùs profitentur, quos omnes repræsentabat Judas unus ex Discipulis Domini (inquit Augustinus,) *Unus numero, non merito, unus specie, non veritate, commixtione Corporali, non vinculo Spirituali, carnis admixtione, non cordis socius unitate.*

In Psalm. 32.

In dialog. contra Luciferianos.

Tract. 61. in Joan.

Sensibiles qui de Ecclesiâ non sunt.

Sequitur 5°. Sensibiles & manifestos esse, qui de Ecclesiâ non sunt; nam quicumque signa sensibilia Ecclesiæ non habent, extra Ecclesiam sunt. Sunt igitur extra Ecclesiam. 1°. Infideles non Baptizati, quia non profitentur veram fidem, & *foris sunt*, ut loquitur Paulus 1. ad

Corinthios cap. 5. 2°. Hæretici & Apoſtatæ, *quia ex nobis exierunt* : nam verum eſt, quod ait Hyeronimus in Dialogo contra Luciferianos, *Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſti, non à Domino Jeſu Chriſto, ſed à quocumque alio nuncupari, putà Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſivè Lampenſes, ſcito, non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam.* 3°. Schiſmatici, eſt enim Eccleſia plebs Sacerdoti ſuo adunata, & Paſtori ſuo Grex adhærens. *Unde ſcire debes*, inquit Cyprianus, *Epiſcopum in Eccleſiâ eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe.* 4°. Cathecumeni, *quos* ait Nazianzenus *eſſe in veſtibulo pietatis, nec fideles appellari poſſe, donec per Baptiſmum ingreſſi in Eccleſiam, nomina ſua Chriſto dederint.* 5°. Excommunicati, qui Sacramentorum Communionem non habentes, de Eccleſiâ ſublati dicuntur, & ſpirituali gladio interfecti ; nam (inquit Aug.) *Hoc nunc agit in Eccleſiâ Excommunicatio, quod agebat tunc*, hoc eſt in Eccleſiâ veteri, *interfectio.*

Lib. 4. Ep. 9. ad Florent.

Orat. in Sanctum Lavacrum.

Quaſt. 39. in Deuter.

Objicies 1°. Synagoga antiqua Eccleſia defecit : Ergò & Eccleſia Chriſti deficere poteſt. Reſpondeo 1°. In vero aliquo ſenſu non tàm defeciſſe veram Synagogam, quàm in meliorem formam tranſiiſſe ; nam vera Synagoga fuit congregatio hominum, quos & fides in Chriſtum venturum, & Communio legalium Sacramentorum & obedientia uni Pontifici adunabat ; Succeſſit autem fides in Chriſtum præſentem, Communio meliorum Sacramentorum, quæ à legalibus præfigurabantur, & obedientia Pontifici Sanctiori, cujus umbra erat Pon-

Synagoga non tàm defecit.

Quàm in meliorem formam tranſijt.

tifex Aaronicus. Quare Institutio Ecclesiæ Christi videri possit, non tàm destructio, quàm perfectio Synagogæ. Respondeo 2°. Nego Consequentiam. Nam Synagogæ Judæorum promissa non erat ea perpetuitas, quæ Ecclesiæ Christi promissa est, quin potiùs clarè prædictum erat defecturam Synagogam, & futuros aliquandò Judæos, sine Fide, sine Lege, sine Templo, sine Sacrificio, sine Pontifice, quod nostris oculis videmus impletum. Defecit ergò Synagoga Judæorum; Judæi enim qui supersunt, nec profitentur veram fidem, nec iis Sacramentis ligantur, quibus Deus ligari vult, nec verum Pontificem habent, cui obedire teneantur. Contra verò perseverat Ecclesia Christi, & in professione veræ fidei, & in Communione Sacramentorum Christi, & in obedientiâ Petro, ejusque successoribus Christi Vicariis exhibitâ, nec mirum est defecisse Synagogam, quæ fuit tantùm umbra Ecclesiæ Christi, & Ecclesiam Christi non defecturam; minùs enim soliditatis habet umbra, quàm veritas.

Et si defecit, Ecclesia tamen Christi nõ deficiet.

quia Ecclesiæ promissa est perpetuitas, non Synagogæ.

Objicies 2°. Ecclesia Christi identidem deficit: tùnc enim deficit Ecclesia Christi, cum deficit obedientia exhibita Petro; sed identidem deficit obedientia exhibita Petro; identidem enim vacat sedes Petri, & vacavit aliquandò ad duos annos. Respondeo. Etiam cum sedes Petri vacat, non deficere Ecclesiam Christi, quia tunc non deficit obedientia Petro exhibita; tunc enim in Christianis manet. 1°. Obedientia affectiva, seu præparatio animi ad obediendum ei, quicumque in legitimum Pe-

Ecclesia non deficit vacante sede Petri, remanet enim etiam tunc sufficiens obedientia Petro exhibita.

tri ſucceſſorem, & Christi Vicarium fuerit electus. Manet. 2. Obedientia actualis Clero Romano Pontificis locum tenenti, quamdiù ſedes vacat, quod ſufficit ad obedientiam exhibitam Petro.

Non deficit item in Schiſmate cujuſcumque generis illud ſit.

Inſtabis. Oriuntur identidem Schiſmata, in Schiſmate autem Eccleſia deficit. Nam in Schiſmate Chriſtiani, non omnes adhærent uni Pontifici, ſed alii alium ſequuntur. Reſpondeo, Multis modis contingere poteſt Schiſma, quocumque autem modo contingat, non deficit Eccleſia Chriſti. Nam 1°. Si à vero & indubitato Pontifice aliqui recedant nullum alium ſequentes, deſinunt quidem Schiſmatici, eſſe in Eccleſiâ, ſed non ideò Eccleſia deficit; manet enim ſemper in iis, qui verum & indubitatum Pontificem ſequuntur. 2°. Si ex duobus Pontificibus qui circumferuntur, unus eſt notoriè verus, alter notoriè falſus, manet Eccleſia Chriſti in ea parte, quæ verum Pontificem ſequitur; non manet in alterâ, quæ ſequitur falſum. 3°. Si uterque Pontifex ità dubius eſt, ut pro neutro ſint rationes ſatis graves, quæ prudenter ſuadere poſſint ipſum eſſe verum Pontificem, tunc neutri præſtatur obedientia: Eccleſia tamen Chriſti perſeverat, quia manet in fidelibus, tùm obedientia affectiva, & præparatio animi ad obediendum ei, qui probatus fuerit eſſe verus Pontifex, tùm obedientia actualis Clero Romano, aut alteri Pontificis locum tenenti, ut ferè fit tempore Sedis vacantis. 4°. Si pro jure utriuſque Pontificis ſunt rationes graves, quæ movere poſſint ad alterutrum pro arbitrio ſequendum, habent

ſinguli obedientias ſuas, & obedientiæ ſingulæ ad ueram Chriſti Eccleſiam pertinent; quia in ſingulis eſt, non modò obedientia affectiva, ſeu præparatio animi ad obediendum ei, quem certò conſtiterit eſſe Pontificem; ſed obedientia etiam actualis uni, qui prudenter judicatur eſſe verus Pontifex, tunc igitur conveniunt Chriſtiani omnes obediendum eſſe uni Chriſti Vicario, ſed de illo uno quis tandem ſit, non conveniunt; quæ diſconvenientia, Eccleſiæ vulnus eſt, non interitus Eccleſiæ.

Objicies 3°. Vera Eccleſia Chriſti inviſibilis eſt: Ergò neſcire poſſumus an perſeveret. Antecedens ſignificatur multis Scripturæ locis, ut Lucæ 7. *Regnum Dei intra vos eſt*, & 1. Petri cap. 1. ubi dicitur, *Eccleſia domus Spiritualis*. Dicitur *Offerre Spirituales Hoſtias*. Confirmari poteſt ex illo Symboli articulo. *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam*, non enim creditur, quod videtur, creditur autem Eccleſia; nam ſi non crederetur, mutare oporteret verba Symboli, nec jam dicere Credo, ſed Video. Reſpondeo 1°. Nego Conſequentiam. Quamvis enim Eccleſia inviſibilis eſſet, poſſet habere ex promiſſione Chriſti certam, & exploratam perpetuitatem. Reſpondeo 2°. Nego Antecedens ejuſque probationem. Hæc enim, & ſimilia Scripturæ loca ſignificant tantùm, præcipuam Eccleſiæ pulchritudinem in interiori virtute conſiſtere; non excludunt tamen formam aliquam viſibilem, quâ Eccleſia viſibilis reddatur. Appellatur ergò *domus Spiritualis*, quia præſertim ſpiritu vivit, quo modo Juſtus dicitur homo ſpiritualis. *Per Hoſtias* autem

Non probatur ex Scripturâ Eccleſiæ inviſibilitas.

Spirituales intelliguntur bona opera, quæ ut Deo accepta sint, rectâ intentione animari debent. Ad Confirmationem ex Symbolo petitam. Dico 1°. Fortè credi posse, id quod videtur; nam potest Deus testificari, id quod videtur, quid autem vetat acquiescere Deo testificanti: Ergò sicut in Symbolo dicitur: *Credo in unum Deum*, quamvis unus Deus demonstrabilis sit, ità dici potest, *Credo in unam Sanctam Ecclesiam*, quamvis Ecclesia visibilis sit. Dico 2°. Multa esse in Ecclesiâ quæ non videntur, cujusmodi sunt vera fides, directio Spiritus Sancti, ordinatio in vitam æternam, &c. Quoàd illa autem potest Ecclesia esse objectum fidei, quare nihil necesse est Symboli verba mutari.

Instabis 1°. Forma Ecclesiam constituens est tota invisibilis: nimirùm, vel prædestinatio Divina, vel interna quædam justitia, vel fides: Ergò Ecclesia invisibilis est. Respondeo 1°. Falsam esse consequentiam; nam quamvis forma quæ constituit hominem viventem sit tota invisibilis, Congregatio tamen hominum viventium visibilis est, & facilè discerni potest à non viventibus; quia nimirùm anima invisibilis in se, fit satis visibilis per signa externa: Ergò quamvis daremus formam constitutivam Ecclesiæ esse totam invisibilem, fieri tamen posset, ut Ecclesia esset visibilis, quia forma illa invisibilis in se, fieri posset per signa externa visibilis. Respondeo tamen 2°. Nego Antecedens. Nam forma Ecclesiæ, vel tota visibilis est, vel saltem constat aliquo visibili. Hæc est Doctrina Augustini libro 17. contra


Cum formâ invisibili stare potest totum visibile.

Sed forma Ecclesiæ visibilis est aliquâ saltèm sui parte.

Faustum Cap. 11. *In nullum*, inquit, *nomen Religionis Congregari homines possunt; nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

Instabis 2°. Fides interior est saltem forma partialis Ecclesiam constituens, nemo autem nisi Deus nosse potest quis habeat fidem interiorem; Ergò nemo nisi Deus nosse potest veram Ecclesiam. Respondeo 1°. Quamvis supponatur fides interior esse forma partialis Ecclesiam constituens, non tamen Ecclesia erit invisibilis, quia fides interior apparebit exteriùs; idque indiciis ità certis, ut de eâ dubitari non possit. Esto, unus aliquis decipere possit significando fidem, quam non habet, certè tota multitudo profitentium veram fidem decipere non potest: Ergò multitudo fidelium certò & infallibiliter cognosci poterit. Respondeo 2°. Cum Cardinali Bellarmino formam veræ Ecclesiæ consistere, non in fide interiori; nam infideles multi, & falsi Fratres ad Ecclesiam pertinent, sed in professione externâ veræ fidei, & Communione Sacramentorum cum obedientiâ visibiliter exhibitâ Vicario Christi. Quare nihil habet forma Ecclesiæ, quod visibile non sit.

Est enim forma illa non tàm fides interior, quàm externa professio fidei. *De Concil. & Ecclesiâ lib. 3. c. 2.*



CAPUT II.

Demonstratur solam Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam Christi.

PRæmitto. Ecclesia Romana tripliciter accipi potest. 1°. Pro Ecclesia particulari, quæ Diœcesis est Romani Episcopi. 2°. Pro Ecclesiâ Occidentis, quæ Romanum Episcopum Patriarcham habet. 3°. Pro Ecclesiâ Universali, quæ Romanum Episcopum Successorem Petri agnoscit, ut Summum Pastorem, eique, ut vero Christi Vicario adhæret. Nam Romanus Episcopus triplicem personam gerit, & Episcopi, & Patriarchæ, & summi totius Ecclesiæ Pastoris. Ecclesiam Romanam in tertio sensu accipimus, pro Ecclesiâ scilicet universali, quæ Romanum Episcopum, ut successorem Petri & Christi Vicarium, pro Pastore & capite suo agnoscit, eique adhæret.

Ecclesiæ Romanæ triplex acceptio.

Thesis prima. Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi. Demonstratur 1°. Vera Ecclesia Christi est Ecclesia ædificata supra Petrum, ejusque successores Christi Vicarios: Atqui Ecclesia Romana est Ecclesia ædificata supra Petrum, ejusque successores Christi Vicarios ergò &c. Major continetur clarè in illis Christi verbis Mathæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; Ubi passim agnoscunt Patres solemnem Christi promissionem, fore ut, vera Ecclesia Petro adhæ-

Ecclesiâ Romana est vera Ecclesia Christi.

Est enim Ecclesia supra Petrum ædificata.

reat, ejusque successoribus. Minor autem ex duobus pendet satis notoriis, unum est Petrum Romæ sedisse, Alterum, Romanum Episcopum Petro succedere in regimine Ecclesiæ : sed neutrum rationabiliter negari potest. Nam certum est Petrum Romæ sedisse, uti certum est Augustum Romæ imperasse, utrumque enim magnâ omnium consensione habetur. Sicut ergò dubitari non potest, quin Roma Augustum Imperatorem habuerit,ità dubitari non potest quin fuerit, ut magnificè canit Prosper in carmine de ingratis, *Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet Armis, Relligione tenet.* Quòd autem Petro in regimine Ecclesiæ, Romanus Episcopus successerit, non est minùs certum; constat enim ex Historiâ omnium temporum, Episcopum Romanum regimen Ecclesiæ tenuisse; in quo, non modò Patres omnesque Catholici conveniunt, sed ipsi etiam Hæretici aliquandò convenerunt. Nam & ipsi, antequàm ab Ecclesiâ discederent, Romanum Episcopum pro Ecclesiæ capite agnoscebant. Dicendum est igitur à Petro constitutum & traditum esse, ut Episcopus Romanus quisquis ille esset, in regimine totius Ecclesiæ sibi succederet; sivè ità constituerit Petrus ex ordinatione Christi, sive ex inspiratione Spiritus Sancti. Quocumque autem modo id constituerit, constitutio ad nos usquè venit. Confirmari potest ista Demonstratio. Quia vera Ecclesia Christi, est Beatus ille Grex cujus pascendi cura commissa est Petro, Joannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; Ecclesia au-

In carm. de ingr.

Et Beatus Grex Petro commissus.

tem Romana est Beatus ille Grex, cujus pascendi cura commissa est Petro; nam Ecclesia Romana Petrum & successorem Petri, quicumque ille sit, Pastorem habet, audit, & sequitur: Ergò Ecclesia Romana, est vera Ecclesia Christi. Demonstratur 2°. Illa Ecclesia est vera Ecclesia Christi, quæ habet omnes notas Ecclesiæ Christi, Ecclesia autem Romana habet omnes notas Ecclesiæ Christi. Major satis patet; nam si Ecclesia habens notas Ecclesiæ Christi, non esset Ecclesia Christi, Ecclesia Christi esset invisibilis, Ecclesia autem Christi visibilis est. Minor probatur percurrendo insigniores notas Ecclesiæ Christi, easque non de nostro sensu, sed de Scripturæ Verbis, de Apostolorum Symbolo, de Conciliorum definitionibus, & de communi Patrum sensu depromptas. Septem omninò numerari possunt, veluti septem veræ Ecclesiæ visibilia Sacramenta, Unitas, Sanctitas, Universalitas, Origo Apostolica, Duratio perpetua, Operatio Divina, principalis Authoritas.

Habens omnes veræ Ecclesiæ notas.

Prima Igitur veræ Ecclesiæ Nota, est Unitas. Nam credimus in unam Ecclesiam, Ecclesia autem Romana est propriè una, idque triplici titulo. 1°. Quatenùs omnia illius membra in uno capite uniuntur; observant enim Patres idcircò Ecclesiam fundatam esse supra unum Petrum, ut unitatis negotium firmaretur, & una esset Ecclesia, quæ unum caput haberet. 2°. Quatenùs profitetur unam eandemque fidem; contra ac faciunt Ecclesiæ Hæreticorum, in quibus pro multiplicatione capitum multiplicatur fides. Ratio autem istius unitatis fidei ex eo petitur, quod Ecclesia Ro-

Vnitatem.

mana agnoſcat judicem viſibilem controverſiarum fidei, eumque infallibilem; nam Hæretici perpetuò litigant, quia Judicem non habent qui lites finiat. 3°. Quatenùs Eccleſia Romana ſeparata eſt & diviſa ab omnibus aliis Sectis, nunquam enim cum aliâ Sectâ Hæreticorum, aut Schiſmaticorum communicavit; contra verò aliæ Sectæ cum Hæreticis communicant: ut Arriani olim cum Donatiſtis, Pelagiani cum Neſtorianis, & hodiè Calviniſtæ cum Lutheranis.

Sanctitatem. Secunda Nota, eſt Sanctitas. Credimus enim *Eccleſiam Sanctam*; Eccleſia autem Romana Sancta eſt, idque tripliciter. 1°. Quia profeſſio Eccleſiæ Romanæ Sancta eſt, in Doctrinâ fidei nihil falſi habens, in Doctrinâ morum nihil mali; cum habeant omnes aliæ Sectæ apertos quoſdam errores, & rectæ rationi apertè repugnantes. 2°. Quia primi Eccleſiæ Romanæ Patres fuere viri Sancti & irreprehenſibiles, in quibus nihil habebant adverſarii quod reprehenderent, niſi nimiam Sanctitatem. *Talibus poſt Apoſtolos*, inquit Auguſtinus libro 2. contra Julianum, *Talibus Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, Paſtoribus, nutritoribus crevit*; Contra verò alias Sectas, ut cætera taceam, una mater Superbia omnes genuit. 3°. Quia tendit Eccleſia Romana, ut animas convertat & ſanctificet, *Hæreticorum verò negotium eſt*, inquit Tertullianus. *Non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi.* Nec ſine causâ de Lutheri Evangelio dicebat Eraſmus, *Profer mihi quem iſtud Evangelium ex comeſſatore ſobrium, ex feroci*

Aug. lib. 2. contra Jul.

De præſcript. Hæret.

Epiſt. ad Vulturiũ.

roci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledicto benedicum, ex impudico reddiderit verecundum; ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores.

Tertia Nota, est Universalitas. Nam credimus *Ecclesiam Catholicam*, seu universalem: Atqui sola Ecclesia Romana Catholica est, seu universalis; nam sola nomen habet Ecclesiæ Catholicæ: *Catholicum istud, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit Authores.* Ità Pacianus pulchrè dicere solitus, *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit.* Certè notat Augustinus libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. *Vix audere Hæreticos id nomen usurpare. Nam si fortè à Paganis interrogentur, ubi ad Catholicam conveniatur, nemo domum suam audet ostendere.* Nec modò Ecclesia Romana sola est, quæ nomen habet Catholicæ Ecclesiæ, sed sola est quæ tale nomen meretur, idque duplici de causâ. Prima est. Quia sola per totum terrarum orbem diffusa est, sola est regnum illud Christi à Patre promissum Psalmo 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ecclesia*, ut benè notat Augustinus, *Est ubique, & hæresis est ubique, sed Ecclesia est una & eadem ubique, hæreses autem non eædem sunt, sed diversissimæ, quæ se invicem non noverunt.* Undè nulla earum Catholica est. Quare hæreses comparat idem Augustinus sarmentis præcisis, quæ ubi cadunt cum præscinduntur, ibi manent; cum interim Ecclesia tanquàm vitis vera extendat ubique

Universalitatem.

Epist. ad Sympronianum.

Lib. de Pastor. c. 8

palmites ſuos. Altera cauſa eſt. Quia ſola Eccleſia Romana veram fidem Chriſti amplectitur, cum totâ ſuâ amplitudine, Eccleſiæ verò Hæreticorum fidem limitant prout lubet.

Originem Apoſtolicam,

Quarta Nota, eſt Origo Apoſtolica. Nam credimus *Apoſtolicam Eccleſiam* : Eccleſia autem Romana Apoſtolica eſt, idque duplici ſenſu. 1°. Quatenùs habet ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis ad nos uſque deductam, quam ſucceſſionem non habent Hæretici. *Cedant enim*, inquit Tertullianus, *Origines Eccleſiarum ſuarum, evoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ità per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, habuerit authorem & anteceſſorem, quo modo Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert, confingant tale aliquid Hæretici.* 2°. Quia Eccleſia Romana conſtanter ſervat Doctrinam, quam Apoſtoli tradiderunt, antiquitatem præferens, & conſanguinitatem cum Eccleſiâ antiquâ: Eccleſiæ autem Hæreticorum novellæ ſunt, & facilè convinci poſſunt novitatis Doctrinæ. *Qui eſtis vos*, aiebat Tertullianus, *Undè & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis?*

Lib. de præſcript.

Eodem lib.

Durationem perpetuam.

Quinta Nota, eſt Duratio perpetua. Nam veræ Eccleſiæ Chriſti promiſſa eſt ſoliditas, & firmitudo tanta, ut nunquàm defectura ſit, *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; Eccleſia autem Romana nunquàm deficit, contra verò Eccleſiæ Hæreticorum brevi deficiunt, & ad nihilum deveniunt, tanquàm aqua decurrens. *Nec vos terreant Fratres*, inquit Auguſtinus in Pſalmum 57. *Quidam fluvii, qui di-*

Math.c.16.

Auguſt. in Pſalm. 57.

cuntur torrentes : decurrens aqua ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poteſt. Multæ hæreſes nunc emortuæ ſunt, cucurrerunt in rivis ſuis quantùm potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur. At Eccleſia Romana ab ipſo Chriſto ad nos uſque contra omnes, ſeu infidelium, ſeu Hæreticorum, ſeu falſorum Fratrum conatus firma permanſit.

Sexta Nota, eſt Operatio Divina. Promiſit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſigna quædam, & operationes extraordinarias, quibus Divina probaretur, *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Quod Chriſti dictum, vel cadit in ſingulos credentes, vel in collectionem credentium, quæ eſt Eccleſia; ſed manifeſtum eſt non cadere in ſingulos credentes, neque enim ſinguli ea ſigna faciunt: Ergò cadit in collectionem credentium, quæ eſt Eccleſia. Atqui Eccleſiam Romanam ea ſigna & operationes Divinæ ſequuntur. Nam 1°. In Eccleſiâ Romanâ perſeverat virtus miraculorum, ità illi propria, ut aliis Sectis non conveniat; nam Hæreticorum maxima virtus, *Quâ Apoſtolos in perverſum æmulantur*, ut loquitur Tertullianus, in eo eſt, ut *cum illi de mortuis vivos facerent, illi de vivis mortuos faciant.* 2°. Perſeverat Spiritus Prophetiæ magnum argumentum Divinitatis; nam in Eccleſiâ Romanâ ſemper fuerunt veri Prophetæ, ſeu viri Sancti Prophetiæ Spiritu pleni, in aliis autem Sectis non fuerunt. 3°. Perſeverat poteſtas ejiciendi dæmonia; energumeni enim per preces & Exorciſmos Eccleſiæ à dæmonibus liberantur.

Operationem Divinam.

Marc. c. ult.

Lib. de præſcript.

Authoritatem principalem.

Septima Nota, est principalis Authoritas. Nam vera Ecclesia Christi est principalis quædam Ecclesia, radix & origo aliarum omnium, quæ Christianum nomen habent, eademque mater credentium: Atqui Ecclesia Romana est principalis illa Ecclesia, radix & origo omnium aliarum Ecclesiarum, quæ Christianum nomen habent, eademque vera mater credentium. Nam 1°. Nulla est Ecclesia, Christi nomen habens, ex quâ exierit Ecclesia Romana; dicatur enim, si est. 2°. Omnes aliæ Ecclesiæ quæ Christi nomen habent, ex Ecclesiâ Romanâ exierunt, ut evidens est Historiam scienti, & Originem Ecclesiarum. 3°. Ecclesiam Romanam omnes veri fideles pro matre agnoscunt, habentes pro Ethnico & Publicano, si quis eam non audierit.

Sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Thesis secunda. Sola Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi. Demonstratur. Quia Ecclesia Christi, est Ecclesia fundata supra Petrum, sola autem Ecclesia Romana, est fundata supra Petrum; quia nulla est Ecclesia, quæ adhæreat Petro & successoribus ejus, nisi Romana; quæcumque enim Ecclesia adhæret Petro & successoribus ejus, Romana est, seu ad Romanam pertinet. Confirmari potest. Quia nulla alia Ecclesia habet insignes illas notas, suprà memoratas nisi Ecclesia Romana, ut consideranti patebit.

Apocal. c. 2 & 3.

Objicies 1°. Multæ videntur esse Ecclesiæ Christi præter Romanam; tales erant illæ septem Ecclesiæ, quibus scribebat Joannes, tales Ecclesiæ Corinthiorum, Philippensium, Thessalonicensium de quibus scribebat Paulus. Ta-

lis eſt Eccleſia Gallicana, quis enim eam neget eſſe veram Eccleſiam Chriſti. Reſpondeo. Si Eccleſia Romana accipiatur pro Diœceſi Epiſcopi Romani, aut Patriarchatu Occidentis, ut aliquandò accipitur, fateor alias eſſe Eccleſias Chriſti præter Romanam. Sed ſi Eccleſia Romana accipiatur generatim, pro Eccleſiâ univerſali, quæ adhæret Petro & ſucceſſoribus ejus, uti nunc illam accipimus. Dico nullam eſſe veram Eccleſiam Chriſti præter Romanam: nam omnes illæ Eccleſiæ ſupra memoratæ ad Romanam pertinent, tanquàm partes illius; quia ſcilicet omnes illæ Eccleſiæ particulares, cum Epiſcopo Romano communicant, cui ſi fortò non communicarent, jam ad veram Eccleſiam Chriſti non pertinerent. Quemadmodùm non pertinet magna pars Eccleſiæ Græcæ, quæ non eſt Romanæ Communionis; illa enim Eccleſia eſt membrum aliquod à corpore veræ Eccleſiæ ſeparatum, & Spiritu Chriſti non vivens.

Sed Eccleſia Romana complectitur omnes Eccleſias particulares quæ Petro adhærent.

Objicies 2°. Petrus Antiochiæ ſedit, & priùs Antiochiæ, quàm Romæ: Ergò Eccleſia Antiochena dicenda eſt vera Eccleſia Chriſti, potiùs quàm Romana. Reſpondeo. Nego Conſequentiam. Nam Petrus ità ſedit Antiochiæ, ut ſedem ſuam Romam tranſtulerit, & cum ſede authoritatem ſibi à Chriſto datam; nec, quem ſibi ſuffecit in regimine Eccleſiæ Antiochenæ, propterea ſuffecit in regimine Eccleſiæ Univerſalis, ipſe enim tale regimen ſibi retinuit. At verò, Petrus Romæ ultimò ſedit, & quem ſibi ſucceſſorem reliquit in regimine Eccleſiæ Romanæ, eundem reliquit in regimi-

Cur Eccleſia Chriſti non dicatur pariter eſſe Eccleſia Antiochena.

ne totius Eccleſiæ ſucceſſorem: quare vera Eccleſia Chriſti dicenda eſt, non quæ Antiocheno Epiſcopo, ſed quæ Romano adhæret.

Cur non item Conſtantinopolitana.

Inſtabis 1°. Tranſlatâ Imperii ſede per Conſtantinum, tranſlata eſt ſedes Petri; voluit enim Petrus, ut prima ſedes eſſet in Urbe Imperiali, & Eccleſia Imperium ſequeretur: Ergò à temporibus Conſtantini Imperatoris vera Eccleſia Chriſti, non eſt Eccleſia Romana, ſed potiùs Conſtantinopolitana. Reſpondeo. Nego Antecedens. Longè enim poſt tempora Conſtantini, Chriſtianus orbis Epiſcopum Romanum, pro vero ſucceſſore Petri & Chriſti Vicario agnovit, non Conſtantinopolitanum. Quòd verò additur, voluiſſe Petrum, ut prima ſedes eſſet in urbe Imperiali, abſolutè & univerſaliter falſum eſt. Veriſimile quidèm eſt, ideò Petrum Romæ fixiſſe ſedem ſuam, quia Roma caput erat orbis, & mundi domina; non tamen voluit Petrus, ut prima ſedes eſſet neceſſariò in urbe Imperiali, & Eccleſia Imperium ſequeretur.

Cur non Avenionenſis.

Inſtabis 2°. Poteſt fieri abſolutè, ut ſedes Petri aliò transferatur, & reipsâ Avenionem aliquandò tranſlata eſt; Avenione enim multi Pontifices ſucceſſores Petri ſederunt, tunc autem vera Eccleſia Chriſti, non erat Eccleſia Romana, ſed Avenionenſis. Reſpondeo. Sedes Petri non fuit tranſlata Avenionem; nam qui Avenione Pontifices morabantur, erant iidem Epiſcopi Romani; eoque tantùm nomine, ut Petri ſucceſſores & Chriſti Vicarii, totius Eccleſiæ curam gerebant. Quare etiam tunc vera Chriſti Eccleſia non alia erat, quàm Romana,

ſeu quæ Epiſcopo Romano adhærebat. An autem ſedes Petri abſolutè loquendo, aliò v. g. Toloſam ità transferri poſſit, ut Toloſanus Epiſcopus eſſet idem ſucceſſor Petri, & Chriſti Vicarius in regimine totius Eccleſiæ, nihil hîc ego definio. Partem negantem appellat Bellarminus piam & probabiliſſimam ſententiam; quia probabiliſſimum eſt, traditionem eſſe ab ipſo Chriſto immediatè venientem, ut Chriſti Vicarius Romæ ſedeat. Traditiones autem à Chriſto immediatè venientes perpetuæ ſunt, & ab Eccleſiâ mutari non poſſunt. Traditionis verò iſtius immediatè Divinæ magnum argumentum eſt, quod nunquàm mutata fuerit, quamvis multæ & graves mutandi cauſæ ſeſe obtulerint. Rem tamen non putat certam idem Bellarminus, quia fortè ſolius Petri eſt iſta conſtitutio, non Chriſti; in quo caſu, & conſtitutio mutari poſſet, & ſedes Petri Toloſam transferri. Sed quocumque transferri dicatur ſedes Petri, manet ſemper veram Chriſti Eccleſiam, eſſe illam quæ adhæret Petro, & ſucceſſori ejus Chriſti Vicario, quicumque ille ſit. Talis autèm eſt Epiſcopus Romanus: Ergò vera Chriſti Eccleſia, eſt Eccleſia Romana, ſeu Romano Epiſcopo adhærens.



CAPUT III.

Demonstratur Ecclesiam Romanam esse veram custodem Doctrinæ Christi.

Ecclesia Romana custos est Doctrinæ Christi.

THesis Unica. Ecclesia Romana est vera custos Doctrinæ Christi. Demonstratur. Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi, ut suprà ostendimus, sed vera Ecclesia Christi est vera custos Doctrinæ Christi : nam Christus credidit alicui Doctrinam suam ; illam voluit ubique prædicari, *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Marci c. ult. Atqui Christus Doctrinam suam non alteri credidit, quàm Ecclesiæ suæ, quis enim putet alienis credidisse, non suis. Certè dubitari non potest, quin Christus fecerit, quod se facturum promisit ; promisit autem Ecclesiæ in personâ Petri daturum se illi Claves Regni Cœlorum ; Ergò dubitari non potest, quin Christus Ecclesiæ suæ dederit Claves Regni Cœlorum, in his autem clavibus, est clavis ad custodiam Doctrinæ, ut Patres interpretantur. Confirmatur 1°. Illa Ecclesia est custos Doctrinæ Christi, ad quam undiquè & constanter recurritur, pro habendâ verâ Doctrinâ Christi, talis autem est Ecclesia Romana. Ergò &c. Nimirùm constans ille, & generalis omnium temporum recursus ad Ecclesiam Romanam, apertè indicat traditionem aliquam notoriam, quæ fert in Ecclesiâ Romanâ veram Christi

Doctrinam custodiri : eamque traditionem expressam inveniunt Patres in illis Christi verbis ad Petrum, *Pasce oves meas.* Nam ei Ecclesiæ Ioan. 21. commissum est Doctrinæ pabulum, cujus Ecclesiæ Pastor est Petrus ; Ecclesiæ autem Romanæ Pastor est Petrus : Ergò Ecclesiæ Romanæ commissum est Doctrinæ pabulum. Confirmatur 2°. Quia Ecclesia Romana Quæstiones de Doctrinâ Christi, Supremo & infallibili judicio finit, ex illâ Christi promissione, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* : Math. 16. ista enim solvendi potestas ad solutionem Quæstionum in materiâ fidei præsertim valet : Ergò Ecclesia Romana custos est Doctrinæ Christi. Nam quomodo de illâ tàm confidenter, & securè pronunciaret, si illam sibi creditam non haberet. Confirmatur 3°. Ex obligatione quam habent singuli fideles amplectendi Doctrinam ab Ecclesiâ Romanâ propositam, juxtà illud Christi præceptum, *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Math. 18. Nam ea obligatio supponit in Ecclesiâ Romanâ Jus docendi & proponendi veram Doctrinam Christi. Quomodo autem Ecclesia veram Christi Doctrinam proponeret, si ipsa non haberet. Confirmatur 4°. Quia illa Ecclesia est custos Doctrinæ Christi, ad quam propriè pertinet damnare omnem Doctrinam oppositam Doctrinæ Christi ; ejusdem enim videtur esse custodire Doctrinam Christi, cujus est damnare oppositam ; Atqui ad Ecclesiam Romanam propriè pertinet damnare omnem Doctrinam, Doctrinæ Christi oppositam ; Ecclesia enim Romana per

omnes Ætates, quæcumque exortæ sunt hæreses damnavit: Ergò Ecclesia Romana custos est Doctrinæ Christi, & ut loquitur Paulus, *Columna & firmamentum veritatis.*

1. Ad Timoth. c. 3.

Doctrinam Christi perire non patitur culpâ suâ.

Objicies 1°. Ecclesia Romana, si custos est Doctrinæ Christi, non est custos satis fidelis; neque enim satis fidelis custos est, qui rem sibi creditam dilabi sinit, & malè perire: Atqui Ecclesia Romana dilabi sinit Doctrinam Christi: quàm multi enim Doctrinæ Christi Articuli, in Ecclesiâ Romanâ perierunt. Respondeo. De ratione boni custodis est, ne rem sibi creditam perire patiatur culpâ suâ, Ecclesia autèm Romana non patitur perire Doctrinam Christi culpâ suâ. Nam 1°. Præcipua & capitalia dogmata, quæ ad salutem necessaria sunt, etiàm imperitæ plebi fideliter in Ecclesiâ Romanâ proponuntur. 2°. Minores articuli, veluti minutiora panis Evangelici fragmenta in Pastorum Cophinis collecta servantur, Apostolis enim eorumque successoribus dictum est, *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* 3°. Ne unus quidem Articulus Doctrinæ Christi convinci potest ità periisse totaliter, ut nulla illius memoria supersit in Ecclesiâ Romanâ. 4°. Si quis Articulus Doctrinæ Christi periit, nec periit culpâ Ecclesiæ; nec deest Ecclesiæ, seu diligentia in quærendo, seu felicitas in inveniendo: est enim Evangelica illa mulier, quæ si *perdiderit drachmam unam*, accendit Lucernam, evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam.

Ioan. c. 6. *Luc. c. 15.*

Instabis. Traditio circa numerum, & au-

thoritatem librorum Divinorum veteris testamenti, est traditio Christi, eaque traditio in Ecclesiâ Romanâ periit; ut ex eo patet, quod aliqui libri pro Canonicis nunc habentur, qui aliquandò Canonici non erant: Ergò periit aliquandò ea traditio, quæ determinat libros Canonicos; sed si aliquandò periit, non apparet quomodo restitui potuerit. Respondeo. Si periit aliquandò ea traditio, non periit culpâ Ecclesiæ, sed culpâ persecutorum, per quos innumera rerum Ecclesiasticarum monumenta perierunt. Sed nego eam traditionem periisse totaliter, semper enim in angusto saltem, & obscuro alveo currebat: quamvis tamen daremus periisse totaliter, intelligi potest, quomodo restituta sit, seu viâ alicujus Prophetæ, qui de antiquâ traditione monuerit, seu viâ examinis & inquisitionis veterum monumentorum, seu denique viâ inspirationis: Spiritus enim Sanctus Ecclesiæ assistit instar suggestoris, quæ fortè memoriâ exciderint revocantis, secundùm illam Christi promissionem, *Spiritus Sanctus docebit vos, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* *Ioan. c. 16.*

Neque novorum dogmatum additione adulterat.

Objicies 2°. Ecclesia Romana adulterat Doctrinam Christi per admixtionem Doctrinæ alienæ, nova in dies dogmata proponens. Nam ea dogmata, vel sunt de Doctrinâ Christi, vel non sunt. Si sunt de Doctrinâ Christi, cur tamdiu in occulto tenuit, & fidelibus ea invidit. Si non sunt de Doctrinâ Christi, additione illorum Doctrina Christi corrumpitur. Respondeo. Nego Antecedens ejusque probationem. Nam ista novorum dogmatum propo-

ſitio, non eſt adulteratio Doctrinæ Chriſti; ſed propagatio illius; iſta enim quæ dicuntur nova dogmata, non ſunt nova quoàd ſubſtantiam, nam à Chriſto veniunt; ſed nova dumtaxat quoàd propoſitionem, quatenùs novo modo, & in meliori lumine collocantur; adeò ut jam credendi obligationem inducant, quam antè non inducebant: cur autem tamdiu latuerint, cauſa eſſe potuit. 1°. Quia nihil neceſſe erat ea proponi; neque enim omnia ſimul obtrudi debuerunt infirmis, & parvulis in fide, ne multitudine obruerentur: ſed inſtillari ſenſim; quam methodum ſequebatur ipſe Chriſtus, in inſtructione Diſcipulorum ſuorum. *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.* (*Ioan. c. 16.*) 2°. Quia Eccleſiæ olim gravioribus curis occupatæ, non ſatis vacabat omnia explicare. 3°. Quia nova in dies præſidia ei accedunt, ad deligendam veritatem.

Interdùm de Chriſti Doctrinâ litigare fideles ſapienter permittit.

Objicies 3°. Eccleſia Romana interdùm neſcit quid ſit in Doctrinâ Chriſti, interdùm enim hæſitat, & interrogata non reſpondet, fidelibus permittens litigare de Doctrinâ Chriſti. Reſpondeo. Fieri poteſt, ut qui theſaurum apud ſe depoſitum habet, neſciat idem quid ſit in theſauro: Ergò quamvis neſciat interdùm Eccleſia, an aliquis articulus in theſauro Doctrinæ Chriſti contineatur, non ſequitur Eccleſiam non eſſe cuſtodem theſauri; quia ſcilicet, & theſaurum habet, & clavim theſauri. Fateor ergò interdùm hæſitare Eccleſiam, & interrogatam non ſtatim reſpondere; ſeu quia tempus non habet, opportunum reſ-

pondendi ; ſeu quia, id quod proponitur nondùm ſatis examinavit ; neque res ad eum certitudinis gradum venit, in quo prudenter Eccleſia pronunciare poſſit. Fateor itèm permitti fidelibus, ut de articulis Doctrinæ Chriſti dubiis, inter ſe litigent, ſalvâ fide & charitate, quò nimirùm veritas litigando elucidetur, ac tandèm controverſiæ finiri poſſint.



QUÆSTIO VI.

De Scripturâ & Traditione Divinâ.

DOctrina Chriſti, quam ut bonum depoſitum Eccleſia Chriſti fideliſſimè cuſtodit, partim in Scripturâ, partim in traditione continetur ; utraque fidei Chriſtianæ regula eſt ; utriuſque cognitio neceſſaria, & fundamentalis.

Doctrinam Chriſti cuſtodit Eccleſia in theſauro Scripturæ & traditionis.

CAPUT PRIMUM.

De Scripturâ Divinâ.

CIrca Scripturam Divinam quatuor ferè determinanda ſunt. Primum eſt. An ſit aliqua Scriptura verè Divina. Alterum. Quænam illa ſit. Tertium, Inter multas Scripturæ editiones & verſiones, quis ſit Scripturæ textus authenticus. Quartum, Ex multipli-

De Scripturâ Divinâ quatuor proponuntur.

ci ſenſu, qui Scripturæ tribuitur, quis ſit ſenſus verè Divinus, & à Deo intentus.

ARTICULUS I.

Demonſtratur eſſe aliquam Scripturam verè Divinam.

Quid ſit Scriptura propriè Divina.

PRæmitto. Scriptura propriè Divina, non eſt quodcumque Scriptum de Deo, aut rebus Divinis tractans, alioquin libri omnes Spirituales & Theologici, Divinæ Scripturæ nomine cenſerentur. Neque itèm eſt quodcumque Scriptum, Deo quomodolibet inſpirante factum; multi enim Sanctorum libri fiunt Deo excitante, movente, & inſpirante, qui tamen libri ad Scripturam propriè Divinam non pertinent. Scriptura igitur propriè Divina, eſt Scriptum aliquod à Deo ut loquente inſpiratum. Tale autem eſſe poteſt multis modis. Primò. Si Deus ipſe propriâ quaſi manu, & ſine ullius Scribæ operâ Scripturam fecerit. Secundò. Si Deus non Scripſerit ipſe propriâ manu, ſed alienâ manu uſus, alteri Scribenti dictaverit. Tertiò. Si neque ipſe Scripſerit, neque alteri Scribenti dictaverit, ſed Scripturam jam factam quaſi relegens, authoritate ſuâ confirmarit, & ſuam eſſe teſtificatus ſit. Quartò. Si ipſa Dei loquentis Verba Scriptura contineat, quamvis fortè Deus ipſe ſpeciatim non juſſerit Verba ſua Scriptis mandari. Nimirùm Scriptura eodem ſenſu dicitur Divina, quo ſenſu Litteræ dicuntur Regiæ. Nam, ut pulchrè

Et quo ſenſu Divina dicatur.

de Scripturis divinis Auguſtinus, *de illâ,* inquit, *civitate, unde peregrinamur, hæ litteræ nobis venerunt*: Atqui litteræ dicuntur Regiæ multiplici titulo. 1°. Si Regis manu Scriptæ. 2°. Si à Rege dictatæ. 3°. Si à Rege, nec Scriptæ, nec dictatæ, ſed recognitæ, approbatæ, & ſigillo Regio munitæ ſint. 4°. Si ipſa Regis dicta contineant, quamvis fortè Rex dicta ſua Scribi non mandaverit.

Concione 2. in Pſal. 90.

Theſis unica, eſt aliqua Scriptura verè divina. Demonſtratur contra Libertinos, qui omnem Scripturam negant, dicere ſoliti jocando, ſe minimè obnoxios eſſe Litteræ occidenti, & ſolùm Spiritum vivificantem ſequi oportere juxta illud Pauli, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Contra quos procedit demonſtratio noſtra, quinque argumentis comprehenſa. Primum petitur ex Dei hominumque providentiâ. Nam cum Deus ſit ſupremus Dominus & gubernator naturæ humanæ, incredibile eſt Deum nihil fuiſſe hominibus locutum; optimi enim gubernatoris eſt præcepta dare, leges ſancire, arcere à vitiis, hortari ad officia virtutum, quæ omnia fieri non poſſunt commodè à gubernatore muto, & nihil loquente: ergo omninò credibile eſt Deum multa fuiſſe hominibus locutum. Aliundè verò incredibile eſt, homines in dictis Dei excipiendis ità fuiſſe negligentes, ut de iis nihil omninò Scripſerint, præſertim cum ſapientum hominum dicta tantâ curâ & diligentiâ excepiſſe reperiantur. Secundum petitur ex communi hominum ſenſu. Nam, ut ait Auguſtinus, *Authores noſtri in quibus Sacrarum litterarum figitur & terminatur*

Eſt aliqua Scriptura verè divina.

2. Ad Cor. c. 3.

Quinque argumentis demonſtratur.

Lib. 18. de Civitate c. 4.

Canon, cum illa scriberent; eis Deum, vel per eos locutum, non pauci in Scholis atque gymnasiis, litigiosis disputationibus garruli, sed in agris ac urbibus, cum Doctis atque indoctis, tot tantique populi crediderunt. Ex illo autem & tanto hominum consensu, tàm fit credibile esse aliquam Scripturam divinam, quàm credibile sit esse aliquos Platonis, aut Aristotelis libros: atqui ità credibile est, esse aliquos Platonis, aut Aristotelis libros, ut sanus non sit, qui de hoc dubitet: ergò ità credibile est esse aliquam Scripturam divinam, ut nemo sanus de hâc re dubitare possit. Addo, unum eâ saltem parte altero esse credibilius, quia longè major est hominum consensus pro Scripturâ divinâ, quàm pro libris Platonis, aut Aristotelis. Tertium argumentum petitur ex divinatione, quæ Divinitatis character est; nam illa Scriptura habenda est pro verè divinâ, quæ proprium habet characterem, veramque notam divinitatis: Atqui Scriptura nostra proprium habet characterem, veramque notam divinitatis; ergo &c. Minor probatur, nam præscientia rerum contingenter futurarum est proprius character, & vera nota divinitatis; cùm enim solius Dei sit certò præscire res contingenter futuras, solius etiam Dei est, res ejusmodi certò prædicere. Atqui Scriptura aliqua certam habet prædictionem rerum contingenter futurarum; ut ipse eventus jàm docuit, nam multa quæ prædixerat, omninò uti prædixerat, evenerunt: ergo aliqua Scriptura proprium habet characterem, veramque notam divinitatis. Quo pertinet solida illa, & subtilis reflexio Augustini

Scriptura

Scripturæ fides, inquit, *mirabilem authoritatem non immeritò habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus; quas sibi esse credituras, inter cætera quæ dixit, verâ divinitate prædixit.* Ex quâ Augustini reflexione sic argumentor. Illa Scriptura, quæ totum orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus orbis, sicut ab eâ prædictum est, credidit, negari non potest, quin sit aliqua Scriptura divina; sed est aliqua Scriptura, quæ totum orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus orbis, sicut ab eâ prædictum est, credidit: ergo negari non potest, quin sit aliqua Scriptura divina. Quartum petitur ex sigillo Dei alicui Scripturæ apposito: illa enim Scriptura habenda est pro divinâ, quæ præfert verum sigillum Dei, eoque munitur; quemadmodùm litteræ illæ habendæ sunt pro regiis litteris, quæ præferunt sigillum regium, & regio sigillo muniuntur: Atqui Scriptura aliqua præfert verum sigillum Dei, eoque munitur; sigillum enim Dei, est verum miraculum, Deus autem innumera fecit miracula, quibus certam aliquam Scripturam muniret, eamque suam esse testaretur. Quintum argumentum petitur ex ipsius Scripturæ testimonio; nam Scriptura magnæ alioquin Authoritatis testatur esse aliquam Scripturam divinam, Scripturæ autèm ità testanti credendum est; quia credendum est Scripturæ, cui credit universus orbis, quæ certâ prædictione rerum futurarum insignis est, quæ Dei sigillo munitur; ejusmodi autem Scriptura testatur esse aliquam Scripturam divinam. Nam Pauli secundæ ad Timot. c. 3. *dicitur omnis Scriptura divinitus*

Lib. 12. de civitate cap. 9.

inspirata, utilis ad docendum. Et 1ª. Petri c. 1. *Spiritu Sancto inspirati, locuti dicuntur Sancti Dei homines* : Ergo credendum est esse aliquam Scripturam divinam : neque in hoc discursu committitur vitiosus circulus, Scripturæ enim testimonio creditur propter authoritatem ab ipsius testimonio independentem. Quo ferè modo, epistolam regio sigillo munitam credimus scriptam fuisse propriâ manu regis, quia in epistolâ ipsâ ità dicitur, quo item modo magnum aliquem virum, & probatæ aliundè fidei credimus esse Legatum regis, quia se ipse fert pro legato.

Scriptura quamvis per hominem Scripta sit, nihilominus divina est.

Objicies 1°. Quæcumque Scriptura extat, etiàm illa quæ divina dicitur, per hominem Scripta est : ergo divina non est, sed humana. Antecedens patet ex ipsis librorum titulis, nam quid significant liber Mosis, Psalterium Davidis, Evangelium Joannis, Epistolæ Pauli, aliaque id genus, nisi libros ejusmodi à Mose, Davide, Joanne, Paulo, aliisve hominibus Scriptos fuisse. Respondeo, distinguo Antecedens. Quæcumque Scriptura extat, Scripta est per hominem nomine suo, aut sua tantùm dicta, & cogitata Scribentem, Nego. Scripta est per hominem nomine Dei, aut Dei dicta, & cogitata Scribentem, Concedo Antecedens, & nego consequentiam. Nam ut Scriptura divina sit, nihil opus est, ut Deus immediatè, & propriâ manu Scripturam fecerit; sed satis est, si, vel dictaverit, vel Scripturam recognoscens confirmaverit, ut suam, vel ea dixerit ipse, quæ in Scripturâ continentur. Quare Authores quorum nomina Scripturæ libris præfixa sunt, dico

esse Scribas & Amanuenses Dei, aut, si velis, dictorum accuratos collectores.

Objicies 2°. Quid necesse erat Deum litteras Scribere, vel dictare, cum litteræ eo tantùm fine Scribantur, ut Scribentis præsentiam suppleant, Deus autem semper & ubiquè præsens est; ergo nihil opus habet vicariis litteris. Deindè, si Deus Scribere voluit, cur non ipse propriâ manu Scripsit, cur Scribas & amanuenses adhibuit. Nam Scribæ & amanuenses idcirco adhibentur, ut levent onere & labore Scribendi: Deusne defatigari timebat? Denique cur Mosem, cur Joannem, cur Mathæum &c. in Scribas assumeret, & non alium quempiam. Respondeo. Quæstiunculæ istæ nugacium libertinorum levitatem sapiunt, nec difficilem solutionem habent. Dico igitur pro Scripturâ divinâ, Deum litteras Scribere voluisse, non necessitate Scribendi, sed quia ipsi ità visum est: Cur autem ità visum fuerit, nihil necesse est reddere rationem libertinis. Hujus tamen consilij divini triplex ratio nobis occurrit. Prima, quia si Deus immediatè unicuique hominum loqueretur, longè majus esset periculum erroris, unus quisque enim mentiri posset locutionem Dei, & impunè fingere Deum dixisse sibi quidquid liberet. Secunda est, quia majestatis, est, communicare se paucis immediatè; quem morem servant & ipsi terreni principes, qui paucis admodùm ministris immediatè communicant mentem & voluntatem suam, cæteris verò non nisi mediatè & per ministros. Tertia, quia Deum decebat providere ne exciderent dicta sua, sed in monumentis publicis

Cur Deus litteras Scribere voluerit.

asservarentur. Quod verò additur Deum non opus habuisse secretariis & amanuensibus, verissimum est; secretarios igitur adhibuit, non necessitate, sed voluntate. Hujus autem voluntatis divinæ triplicem causam invenio. 1°. Ut certis quibusdam hominibus eo munere gratificaretur. 2°. Ut ipse rex Regum, & Dominus dominantium conformaret se aliis Regibus, qui Secretarios adhibent. 3°. Ut nobiscum humaniùs ageret, & cum hominibus per homines loqueretur. Quod demùm quærunt libertini, cur Deus certos quosdam homines præ aliis assumpserit in Secretarios, Dei solius arbitrium fuit. An Deo non licuit, quod terrenis principibus licet, penes quos est ministrorum & Secretariorum delectus; fortè etiam Sanctissimorum virorum meritis datum est, ut in Secretarios Dei assumerentur. Et verò, quis sanus non videat, Mosis, aut Davidis linguam in instrumentum & calamum Dei Scribentis decentiùs assumi, quàm Copini, aut Quintini, aut Libertini alterius linguam.

Cur Secretarios & amanuenses adhibuerit.

ARTICULUS II.

Determinatur Scriptura verè divina.

PRæmitto. Scriptura verè divina, respectu ad nos habito, triplex distingui potest. Prima, est Scriptura Incognita. Secunda, Scriptura Apocrypha. Tertia, Scriptura Canonica. Scripturam incognitam appello, quæ cum fortè divinam originem habeat, omninò nescitur habere: nam si Christus, æternum & increatum ver-

Scriptura triplex distinguitur.

Incognita.

bum Patris, latere potuit, ità ut dicat Joannes Evangelista. *Mundus eum non cognovit*, & Judæis exprobret Joannes Baptista, *medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*, quid ni possit Scriptura aliqua verè divina omninò latere, & jacere humilis inter vulgares Scripturas. Quod si qua sit ejusmodi, quamtumvis divina sit, authoritatem non habet; donec ejus divina origo reveletur; nam quòd divina sit, non satis est ad faciendam fidem, nisi cognoscatur divinam esse. Scriptura apocrypha dicitur, quæ habet quidem argumenta aliqua divinæ originis, sed ea dubia, & incerta; quare nec summæ authoritatis est, nec fidem nostram fundare valet, donec de illius divinitate certò constiterit. Scriptura Canonica, est Scriptura certò divina, appellatur autem Canonica duplicem ob causam. 1°. Quia cum divina sit, & divinitatis suæ infallibile testimonium habeat, esse debet norma & regula, *quâ imperitiæ nostræ regatur infirmitas*, ut loquitur Augustinus. 2°. Quia in Canone Ecclesiæ veram Scripturam determinante continetur. Quænam sit Scriptura illa Canonica, seu certò divina, determinabimus, de Scripturâ incognitâ, & apocryphâ non adeò solliciti.

Cap. 1. *Ibidem.* Apocrypha. Canonica.

Thesis unica. Scriptura Canonica, seu certò divina, est Scriptura Prophetica, & Apostolica, prout illam definit index Concilij Tridentini. Explicatur, & probatur. Scriptura Prophetica est Scriptura veteris Testamenti. Prophetica dicitur, quòd à Prophetis ante Christi adventum Scripta sit. Ad illam pertinent quinque libri Mosis, id est, Genesis, Exodus, Le-

Determinatur Scriptura Canonica. *Sess. 4. decreti de Canon. Script.*

viticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum libri, primus & secundus. Scriptura verò Apostolica, est Scriptura novi Testamenti: Apostolica dicitur, quòd à Christi Apostolis Scripta sit. Ad illam pertinent quatuor Evangelia secundùm Mathæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum à Lucâ Evangelistâ conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Collossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Hic est Scripturæ Canonicæ index, quem Concilium Tridentinum definitionibus suis præmittere voluit: habetur autem sessione 4. in Decreto de Canonicis Scripturis. Jam verò omnem illam Scripturam Propheticam & Apostolicam, proùt designatur à Concilio, Canonicam esse, & certò divinam, probandum nobis est contra hæreticos, qui Scripturas quasdam non recipiunt, aut si quas recipiunt *ad-*

jectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui, ut ait Tertullianus, *intervertunt*. In toto autèm isto negotio quadruplici viâ progrediemur: nam quâ ferè viâ haberi potest Epistolam aliquam esse verè Regiam, eâdem omninò haberi potest Scripturam aliquam esse verè divinam: Atqui quadruplex est via, quâ haberi potest Epistolam aliquam esse verè Regiam. Prima, si talem esse consentiant ij, qui manum Regis benè norunt. Secunda, si Epistola stylum Regis habeat, & Regium Scribendi modum. Tertia, si præferat eadem sigillum Regium. Quarta, si Rex ipse manum suam agnoscat, & Scriptám à se Epistolam fateatur. Quadruplici ergò viâ habere possumus Scripturam aliquam esse verè divinam, consensione scilicet eorum, qui Dei manum benè norunt, stylo divino, divino sigillo, ipsiusque Dei testimonio. Tentemus vias singulas, an Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ satis faveant.

Lib. de præscript.

Eaque demonstratur esse Prophetica & Apostolica proût definitur in indice Concilij Tridentini.

Quadruplex demonstrandi via.

Prima quidèm omninò videtur favere: nam Scriptura illa tenenda est pro certò divina, quam agnoscunt esse divinam quotquot manum, characterem, stylum & sigillum Dei benè norunt: Atqui quotquot manum, characterem, stylum, & sigillum Dei benè norunt, Scripturam Propheticam & Apostolicam agnoscunt divinam esse. Major est evidens, minor autem probatur, quia manum, characterem, stylum & sigillum Dei optimè omnium nossè præsumendi sunt illi, in quibus eminet præcipua intelligentia rerum divinarum, cum amicitiâ & familiaritate Dei; sed illi in quibus præcipuè eminet intelligentia rerum divinarum

Prima Eorum qui Dei manum benè norunt consensio.

cum amicitiâ & familiaritate Dei, Scripturam Propheticam & Apostolicam agnoscunt divinam esse; cujusmodi sunt Ecclesiæ Patres & Doctores, alijque Sancti viri, meditatione rerum divinarum, & amicitiâ Dei insignes. Confirmatur, 1°. In cognoscendâ manu Regis, amicis & familiaribus plùs creditur, quàm extraneis & inimicis; ergo in cognoscendâ manu, & Scripturâ Dei, plus credendum est viris Sanctis, rerum divinarum contemplatoribus perpetuis, iisdemque amicis familiaribus & quasi domesticis Dei, quàm libertinis, aliisque hominibus Deo extraneis & inimicis. Confirmatur. 2°. Ex communi hominum sensu, credibile est esse aliquam Scripturam divinam, non minùs quàm esse aliquos Platonis, aut Aristotelis Libros: ergo credibile est Scripturam Propheticam, & Apostolicam divinam esse, quia ille hominum consensus non in aliam Scripturam cadit, quàm in Propheticam & Apostolicam; quemadmodùm credibile est certos quosdam libros esse Aristotelis aut Platonis, quia ità fert Doctorum hominum consensus.

Secunda. stylus seu modus Scribendi divinus.

Altera via non minùs favet. Siquidem Scriptura illa haberi debet pro divinâ, quæ præfert ubiquè stylum Dei, seu modum Scribendi planè divinum; nam liber alicujus authoris stylo suo se prodit, quia scilicet stylus est animi index, & pictura quædam Scribentis: Atqui Scriptura Prophetica & Apostolica præfert ubiquè stylum, seu modum Scribendi planè divinum. Nam quid est stylus Dei, nisi modus Scribendi Deo dignus, & Dei maximè proprius, quinque præsertim dotibus constans;

veritate, Sanctitate, profunditate, concordi rerum varietate, & præsagâ futuri divinitate. Scriptura autèm Prophetica & Apostolica stylum habet quinque illis dotibus insignem. Veritate insignis est; nam quis, vel unum illius apicem convincat falsitatis? Quis eam in rebus præsentibus aut præteritis falsum dixisse suspicetur, quæ in prædicendis rebus futuris, in quibus errare longè facilius est, veritatem tenuit, ut toties probavit eventus? Quis fucum aut fallaciam timeat, in stylo illo simplici, quo Scripta est, idque, ut observant Patres, ad studium veritatis demonstrandum, est enim veritatis amica simplicitas. Sanctitatem habet in præceptis, sive jubeat id quod bonum est, sive, id quod malum est, prohibeat; in consiliis quibus promovere conatur ad virtutem heroicam, in promissionibus quibus ad benè vivendum allicit, in minis quibus à peccando deterret. Altam profunditatem habet, sive quatenùs aperit profunda Dei, & alta quædam mysteria, quæ humani ingenii aciem fugiunt; sive quatenùs fovet altos reconditosque sensus, & plus dicit, quàm statim dicere videatur: quod admirans Augustinus *mira*, inquit, *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Concordem habet rerum varietatem, sive spectetur totus Scripturæ finis, qui Christus est, sive Scriptorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, & circumstantiis Sacros Libros scripserunt concordiâ tantâ; ut non tàm

Lib 12. Confessionum c. 14.

Scriptores diversi, quàm unius Scriptoris diversi calami fuisse videantur, de quibus Augustinus lib. 18. de civitate cap. 41. Sapienter notat, paucos quidèm illos esse debuisse, ne multitudine vilesceret, quod clarum Religione esse oporteret; nec tamen ita paucos esse, ut eorum non sit miranda consensio; *neque enim*, inquit, *in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis invenerit, inter quos, cuncta quæ sensere, conveniant.* Denique Scriptura Prophetica & Apostolica insignis est certâ prædictione rerum futurarum; innumera enim prædixerunt Prophetæ & Apostoli, quæ, uti prædicta sunt, evenerunt. Quale est hoc ipsum, fore ut in omnibus gentibus Scriptura divinam fidem obtineret, quàm reipsâ obtinuit. Scriptura igitur Prophetica & Apostolica stylo suo se prodit esse divinam.

Lib. 18. de civitate c. 41.

Tertia. Divini sigilli authoritas.

Tertia quæ via sigilli est, nobis hîc non deest. Scripturæ enim Propheticæ & Apostolicæ appositum est sigillum divinum, nec semel tantùm, aut leviter, sed repetitis quasi sigillationibus altè impressum. Innumera enim miracula facta fuere ad confirmandam Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ divinitatem. Ac 1°. quidem Prophetis & Apostolis solemne fuit, cùm aliquid nomine Dei dicerent, vel Scriberent, probare miraculis legationem suam. 2°. Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ dogmata, proùt res & necessitas tulit, singula miraculis confirmata sunt uti divina. 3°. In persecutione, præsertim Diocletiani, cum à Christianis tormentorum vi extorquerentur Sacri codices ad ignem,

Deus servare studuit Scripturam suam insignibus miraculis, ut videre est in historiâ Ecclesiasticâ. 4°. Vel miraculis inducti sunt homines, ut Scripturam Propheticam & Apostolicam crederent esse divinam, vel divinam esse sine miraculis crediderunt? Si primum, Scripturam habemus miraculis confirmatam, & sigillo Dei munitam. Si secundum, quale est illud & quantum miraculum, universum orbem Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, sine miraculis credidisse.

Quarta via testimonii divini demonstrationem absoluit. Nam Scriptura illa certò divina est quam Deus ipse agnovit pro suâ: Atqui Deus ipse Scripturam Propheticam & Apostolicam agnovit pro suâ, idque multipliciter. 1°. Enim una Scripturæ pars alteri suffragatur: nam Scriptura Apostolica suffragatur Scripturæ Propheticæ, citando illam, & passim laudando, uti divinam; Scriptura verò Prophetica suffragatur Apostolicæ, promittendo illam, ut verum testamentum Dei, priore testamento longè excellentius. 2°. Christus ipse, per quem Deus locutus est, ut nunc supponimus, & inferiùs demonstrabimus, ore suo divino Scripturam veteris testamenti laudavit, nec dubium est, quin Apostolis designaverit omnes libros divinos, clarè distinguens à non divinis, res enim erat infiniti momenti; ab Apostolis autem illa Christi designatio & distinctio Ecclesiæ tradita, & fideliter custodita, in hunc usquè diem perseverat. 3°. De libris, qui post discessum Christi Scripti sunt, potuit Deus testari suos esse multis modis; nam potuit Apostolo cuipiam

Quarta. Testimonium divinum.

dicere, ut partes ageret Scribæ, & Dei dictata exciperet; quo modo dictum est Joanni Apocalypsis 21. *Scribe, quia verba hæc fidelissima sunt & vera.* Potuit Deus recognoscens Epistolas Pauli confirmare illas, & testificari verum esse quidquid in iis continetur. Potuit Deus collectionem dictorum & factorum Christi à Mathæo aliove Evangelista Scriptam approbare, & dicere, *mea omninò sunt quæ collegisti*: illa autem privata Dei revelatio potuit communicari populo, & per miracula fieri credibilis; nec dubito quin ità factum sit. Nam Hæreticus esset, qui, vel unam Pauli Epistolam negaret Divinam esse; non est autèm Hæreticus, nisi qui contradicit propositioni à Deo revelatæ: Ergò revelatum est, Pauli Epistolas Divinas esse. 4°. Potuit Christus dicere Apostolis generatim Libros illos omnes Divinos esse, quos Ecclesia Sponsa sua definiret esse Divinos; se enim non permissurum unquàm, ut in re tanti momenti Ecclesia erret: quo posito, cum Ecclesia Librum aliquem definit esse Divinum, Christus ipse dixit, aut jàm dicit, saltem virtualiter, Librum Divinum esse: Atqui Ecclesia Scripturam Propheticam, & Apostolicam definit Divinam esse: Ergò Christus ipse, vel dixit, vel jam dicit esse Divinam.

Objicies 1°. Non omnes consensere olim, sed neque hodiè consentiunt Scripturam Propheticam esse Divinam. Nam 1°. Marcionitæ & Manichæi vetus testamentum generatim respuebant, quod à malo Spiritu Scriptum esse dicerent. 2°. Prophetas omnes rejicere vide-

batur Theodorus Mopſueſtenus, contendens eos de Chriſto nihil fuiſſe locutos. 3°. Nicolaitæ & Gnoſtici Pſalmos Davidis, ut humanas quaſdam cantilenas aſpernabantur : Gnoſticorum ſententiæ favere viſus eſt Paulus Samoſatenus, Pſalmos Davidis cantari in Eccleſiâ non permittens. 4°. Hebræi Librum Job de numero Divinorum excludunt, imò ipſum Job de numero hominum. Hebræis favere viſus eſt Lutherus Librum Job veluti fabulæ argumentum habens. 5°. Alij Librum Salomonis, qui inſcribitur Eccleſiaſtes, repudiant quaſi Scriptus ſit à Salomone jàm corrupto per mulieres, digniorque videatur Epicureo quodam Doctore libidinis, quàm Deo. 6°. Sunt, qui Canticum canticorum numerent inter prophanos & amatorios Libros, & in eo contineri nihil velint, niſi amores Salomonis, & uxoris ejus Filiæ Pharaonis. Reſpondeo. Quòd ab Hæreticis aliiſque nefariis & prophanis hominibus, Scriptura Prophetica tàm indignè tractetur, nihil nos movet; tùm quia ſatis evidens eſt, ejuſmodi homines non eſſe legitimos Scripturæ judices, in magnâ enim iſta controverſiâ, an, & quæ Scriptura Divina ſit, patet ex terminis, plùs credendum eſſe amicis familiaribus & domeſticis Dei, quàm extraneis & inimicis; tùm quia Scriptura Divina, eſt veluti Teſtamentum Dei in ſinu Eccleſiæ depoſitum; undè in quæſtione, an, & quæ Scriptura Divina ſit, Eccleſiam depoſiti cuſtodem audire oportet, non eos, qui foris ſunt, & extra Eccleſiam poſiti; tùm denique quia iſtiuſmodi homines eam ferè

Vindicatur Divinitas Scripturæ Propheticæ.

Scripturæ partem repudiant, quâ ſe damnari vident; falſariis illis ſimiles, qui adverſa ſibi inſtrumenta, præſertim ea, quæ ſunt decretoria litis, ſupprimere ſtudent, aut falſitatis impugnare. Atque hæc generatim contra omnes Hæreticorum blaſphemias ſufficerent. Dico tamen ulterius. Ad Primum. Cur Manichæis vetus teſtamentum non placeret, cauſa in promptu eſt, nimirùm ſtulta ipſorum hæreſis de duobus rerum principiis, Divino illo inſtrumento evertebatur; ſed veteris teſtamenti Authoritas integra ſupereſt, extinctis penitùs Manichæis. Ad Secundum. Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus non rejecit quidèm Prophetas, ſed eos negavit quidquam de Chriſto fuiſſe locutos, in quo apertè contradixit teſtimonio Petri de Chriſto profitentis Actorum 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.* Contradixit & teſtimonio ipſius Chriſti Lucæ cap. ulti. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ Scripta ſunt in lege Moſis, Prophetis, & Pſalmis de me.* Ad Tertium. Nicolaitis & Gnoſticis impuriſſimis Hæreticis minùs credendum eſt, quàm Apoſtolis omnibus, confitentibus unâ voce Actorum 4. *Tu Domine, qui Spiritu Sancto per os Patris noſtri David pueri tui dixiſti, quare fremuerunt gentes* Pſalmo 2. Paulus Samoſatenus non Davidis Pſalmos, ut dicere videtur Euſebius, tanquàm recens inventos, ſed Eccleſiaſticos Hymnos in Chriſti laudem cani ſolitos ab Eccleſiâ rejecit, ſubſtituens, ut aiunt, eorum loco laudes ſuas, & ſe cani in Eccleſiâ permittens homo vaniſſimus. Ad Quartum. Contra Hebræos ſtat illud Ezechielis c.

Cur aliqua illius pars ab Hæreticis reprobata.

14. *Si fuerint in medio tres viri Noë, Daniel, & Job ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas*; Quare Historia Job Fabula non est, ipseque Job fuit homo verè Sanctus, & Justus; quod fortè si Lutherus non satis vidit, parùm curamus, quid homini plerumquè ebrio visum sit. Ad Quintum. Liber Ecclesiastæ habet præcepta morum severissima, quæ nihil redolent Epicurum, tale est illud cap. 7. *Melius est ire in domum luctûs, quàm in domum convivij*; quod si interdùm cibi ac potûs delectationem commendet, id facit ad taxandam sordidorum hominum avaritiam; vel non ex personâ suâ, sed ex vulgi sensu, voluptuarios homines in scenam producens. Quo autem tempore scripserit Salomon dubitatur; puto tamen cum Augustino scripsisse ante amores & lasciviam suam; cujus rei argumentum est, quod Salomon delicias omnes suas ibi enumerans, nihil meminerit fœminarum: sed quis credat, sobrium fuisse Lutherum cùm diceret in convivialibus sermonibus suis *Authorem Ecclesiastes videri sibi ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantùm in soccis, quemadmodùm ipse soleret cùm esset in cænobio*; Quid velit his verbis, non intelligo, & dubito, an ipse intelligeret. Ad Sextum. Dico canticum canticorum esse quidem canticum amatorium, continet enim Divinos amores Christi & Ecclesiæ Sponsæ suæ, sed non prophanos amores Salomonis, & uxoris ejus Filiæ Pharaonis, ut malè suspicantur prophani homines, quam suspicionem ut longè amoveret Spiritus Sanctus, attribuit Sponsæ suæ, quæ in filiam

Pharaonis minimè cadunt, & mulierem non formosam facerent sed informem. Nam quæ forma illius mulieris, quæ tota nigra sit, *Sicut Tabernaculum Cedar*, cui caput vastum *sit*, *ut Carmelus*, *nasus*, *ut turris*, *oculi*, *ut Piscina*; *Dentes*, *ut greges ovium detonsarum*.

Cap. 1. Cap. 67. Cap. 6.

Defenditur pariter à calumniis Hæreticorum Divinitas Scripturæ Apostolicæ.

Objicies 2. Scripturæ Apostolicæ Divinitatem multi negarunt. Nam Faustus Manichæus Evangeliorum Libros omnes Scripsit non esse Evangelistarum, sed quorumdam impostorum. Julianus verò Apostata ab Apostolis scripta fuisse Evangelia non negavit, sed Apostolorum fidem suspectam habuit, quasi Magistro suo plùs studentium, quàm veritati. Delectum Evangelistarum fecerunt antiquiores Hæretici, ità ut alios reciperent, alios rejicerent; nam Marcioni placebat Sanctus Lucas, unum Joannem habebat in pretio Valentinus, Marcum Cerinthus laudabat, Paulum ferre non poterant Ebionitæ, Græcum & Apostatam appellantes. Respondeo. Jam dixi, Hæreticos non esse idoneos Scripturæ cognitores, aut judices; quare cum de Scripturâ Judicant, non magis credendi sunt, quàm cæci de coloribus judicantes. Faustum Manichæum refutat Augustinus, tùm argumento ad hominem; nam & ipsi Manichæi ex Evangelio confirmabant errores suos, ineptè ergò producebant in testimonium, quos antè dicebant falsos testes; tùm traditione, & succedentium temporum constitutione perpetuâ, quo modo Platonis, aut Aristotelis Libros habemus ipsorum esse, ità ut, si quis neget, non refelli soleat, sed rideri. Nec minus solidè Julianum

num Apoſtatam refutat idem Auguſtinus. *Nam ſi*, inquit, *de Pythagorâ & Socrate, Diſcipulis eorum Scribentibus, quidni pariter Apoſtolis credemus.* Deindè, ſi Magiſtri ſui laudem unicè quærebant Apoſtoli, non veritatem; certè ignominiam Crucis tegere ſilentio, non uti fecerunt, fusè proſequi oportebat, Reſurrectionem & Aſcenſionem ejus vix commemorantes. Arbitrarius autèm & faſtidioſus ille Hæreticorum delectus nihil mirum habet, unuſquiſque ingenio ſuo ſerviebat & defenſioni erroris ſui; ſed Scripturæ Apoſtolicæ Divinitatem non magis infringit iſte perditorum hominum conatus, quàm rebellium ſubditorum conſpiratio Regis Edicti Authoritatem adimat.

Objicies 3°. In novo indice Concilii Tridentini multi ſunt libri, quos non Hæretici tantùm, ſed ipſi etiàm Catholici, & magni Eccleſiæ Patres ac Doctores extra Canonem poſuerunt: Ergò Scriptura Prophetica & Apoſtolica, proùt in indice Concilii Tridentini definitur, non eſt Canonica, & certò Divina. Antecedens eſt certum; nam de Libris veteris Teſtamenti olim extra Canonem erant, Eſther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Machabæorum primus & ſecundus. De Libris autèm Novi Teſtamenti, non erant in Canone, Marci, Lucæ & Joannis pars aliquâ, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, poſterior Epiſtola Petri, 1ª. Joannis particula, 2ª. & 3ª. Joannis, Epiſtola Judæ, Apocalypſis. Conſequentia verò probatur: quia, ſi libri illi anteà Divini non erant, non apparet, quâ novâ Metamorphoſi

Explicatur quomodo libri aliquot Canonici jam ſint, qui anteà Canonici non erant.

Divinitatem induerint. Respondeo. Nego Consequentiam. Fateor in nostro indice esse aliquos Libros, qui olim Canonici non erant: nam duplex est Librorum Canonicorum genus, alii sunt Protocanonici, alii Deuterocanonici. Protocanonici dicuntur, quorum Divinitas ità semper fuit certa publico Ecclesiæ judicio, ut nulla de illis inter Catholicos controversia fuerit. Deuterocanonici appellantur, quorum Divinitas nunc quidèm inter Catholicos certa & explorata est, ità tamen, ut de illis olim fuerit aliqua dubitatio. Sed utrique nunc certò Divini sunt, & æqualem Authoritatem habent: nam quòd additur librum, qui divinus aliquandò non fuit, fieri non posse Divinum, omninò vanum est; Libri enim illi Divini quidèm erant in se, sed quoàd nos certò Divini non erant, quia illorum Divinitas certò nobis non apparebat; nihil enim vetat, id quod uno tempore dubium & obscurum fuit, progressu temporis clarum & certum fieri. Addo, librum qui Divinus in se non fuit, fieri posse Divinum, quia potest Deus de novo testari librum aliquem nihil habere quod verum non sit, & omnia illius dicta adoptare pro suis, quo Dei testimonio liber adoptaretur in Divinum,& Divinitatem indueret. Pro singulis libris Deuterocanonicis, nolim hîc ego Apologiam facere, res enim longior esset, nec præsentis est instituti; videri possunt Controversistæ & Scripturæ interpretes, nobis sufficiet monere generatim. 1°. Nullum esse ex his libris, qui primis etiàm temporibus, magnam apud Ecclesiæ Patres & Do-

ctores authoritatem non habuerit. 2°. Progressu temporis, obtinuisse authoritatem majorem, novis ac novis motivis quotidiè accedentibus. 3°. Ex definitione Ecclesiæ summam tandèm authoritatem accepisse, Ecclesiâ Divinitatem non conferente quidèm, sed Divinitatem manifestante, & certam faciente. 4°. Calumniari tamen impudentissimè Kemnitium cum ait, *Ecclesiam sine ullis Veterum testimoniis facere proùt lubet librum Canonicum de non Canonico; ità ut, si Papa vellet, Scriptura non plùs esset habitura Authoritatis, quàm Æsopi Fabula.* Hæreticorum est impudens illa & arbitraria Metamorphosis, non Ecclesiæ. Cùm enim duplex sit via indagandi libros Canonicos, una Apostoli, aut Prophetæ cujuspiam testimonium, quæ via communiter præsto non est altera, via Inquisitionis, & examinis; hanc Ecclesia non negligit, in discrimine librorum faciendo tria præsertim attendens. 1°. Testimonia veterum, & eorum imprimis, qui Apostolicis temporibus propiores sunt. 2°. Libri de quo dubitatur cum alio minimè dubio similitudinem. 3°. Sensum & quasi gustum populi Christiani; eaque prudens Ecclesiæ Inquisitio semper vitat errorem, ex speciali providentiâ Dei assistentis, totamque Inquisitionem dirigentis.

Objicies 4°. Multi sunt Libri, qui, & à magnis Ecclesiæ Patribus habiti sunt pro Divinis, & magnam apud fideles venerationem habent, neque tamen positi sunt in indice Concilii Tridentini; Ergò Concilium Tridentinum malè determinavit Scripturam Canonicam. Respondeo. Multos esse Libros Apocry-

Quam Authoritatem habeant Libri Apocryphi.

phos, ſeu dubiè Divinos, cujuſmodi ferè ſunt, quos recenſet Gelaſius diſtinctione 15. Can. *Sancta Romana.* Innocentius primus Epiſtola 3. Athanaſius in Synopſi, & Euſebius lib. 3. Hiſtoriæ ſuæ cap. 25. De quibus tamen omnibus paucos habemus ſuperſtites, Librum ſcilicet Hermetis, qui inſcribitur Paſtor, Appendicem Libri Job, Orationem Manaſſæ, tertium & quartum Librum Eſdræ, Machabæorum itèm tertium & quartum, Pſalmum 141. & ii quidèm Libri, interdùm à Patribus citati, & in privatis Eccleſiis recepti reperiuntur, neque tamen in Canone poſiti; quia licèt quædam argumenta habeant ſuæ Divinitatis, ſufficientia tamen non habent, quare non ſunt Libri certò Divini. Sed de Libris Apocryphis hæc obiter obſerva. 1°. Non repugnare, quominùs liber, qui nunc Apocryphus eſt, fiat aliquando Canonicus, & certò Divinus, patet in libris Deuterocanonicis; nam ii libri olim in Canone non erant, nunc tamen Canonici ſunt, & certò Divini. Ratio ulterior eſt, quia non repugnat ſucceſſu temporis alicui libro dubiè Divino accedere nova & certa Divinitatis ſuæ argumenta. 2°. Ex eo quod liber Apocryphus ſit, non ſequitur falſa eſſe quæcumque in eo habentur; contra verò fieri poteſt, ut liber Apocryphus nihil habeat falſi. Quod ſatis colligi poteſt ex priori obſervatione. Nam ſi liber Apocryphus fieri poſſit Canonicus, & certò Divinus, manifeſtum eſt fieri etiàm poſſe, ut liber Apocryphus nihil habeat falſi; nam liber falſum aliquid habens nequit eſſe Divinus. 3°. Nihil

repugnat quominùs liber Apocryphus habeat aliquid certò revelatum à Deo, quale habet liber Enoch inter Apocryphos rejectus, ex quo tamen Judas Apostolus in suâ Canonicâ Vaticinium excerpsit. Ratio est, quia ut liber aliquis sit simpliciter Canonicus, nihil habere debet, quod non sit certò Divinum; ut autem dicatur totus & simpliciter Apocryphus, satis est, si aliqua sui parte summâ illâ Authoritate deficiat. 4°. Libro Apocrypho inest authoritas sua, eaque major, vel minor, quò plura, vel pauciora habet argumenta Divinæ originis. Eò pertinet illa Regula Augustini de Doctrinâ Christianâ. *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis, ut eas quæ accipiuntur ab omnibus Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt; in eis quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas paucioris minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent: si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus teneri, quamvis hoc facilè invenire non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.* Ità Augustinus. *Libro 2.*

Objicies 5°. Scriptura Prophetica & Apostolica non videtur habere stylum Dei, neque enim sui similis est, aut satis constans, sed stylum habet, nunc humilem, nunc sublimem, nunc inflatum, nunc tenuem, nunc Pastoritium, nunc Regium; quæ styli diversitas arguit totam Scripturam ab uno eodemque Deo non esse. Respondeo. Nego Antecedens. Ad probationem autèm dico, alium esse stylum humanum, & alium Divinum. Stylus quidem

Styli diversitas in Scripturâ undè petatur.

humanus positus est in quodam delectu, & certâ dispositione verborum; sed stylus Divinus consistit præsertim in perpetuo tenore veritatis, & Sanctitatis, secundùm illud Prophetæ, *Eloquia Domini eloquia casta* &c. *Lex Domini Immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Hic est stylus Dei in totâ Scripturâ Propheticâ & Apostolicâ uniformis & constans. Nam diversitas illa elocutionis arguit solùm diversitatem Scribarum, quos ad scribendum Deus adhibuit; sed nullatenùs probat totam Scripturam à Deo non esse, ut patet in exemplo Regiarum Litterarum. Nam Litteræ omnes, quæ ab uno eodemque Rege veniunt, non habent unam eandemque elocutionem, sed diversam, pro diversitate Secretariorum.

Psal. 11.

Psal. 18.

ARTICULUS III.

Definitur Scriptura Divina Textus Authenticus.

Scripturam Autographam non habemus, sed Apographum.

PRæmitto 1°. Non habere nos Autographa Scripturarum, sed exemplaria tantùm; Scripturæ enim per innumeras transcriptiones ad nos usquè pervenerunt, in quibus transcriptionibus difficillimum fuit, sive ex negligentiâ, sive ex ignorantiâ, sive ex malitiâ hominum, non alterari aliquo modo Scripturam Divinam. Sed neque totum in transcriptionibus periculum, longè majus fuit in variis Scripturæ versionibus; Scriptura enim de linguâ originali in alias linguas versa est,

Ejusdemque versiones innumeras.

idque diverſitate tantâ, ut ſub unâ eâdemque linguâ multiformiter appareat.

Præmitto 2°. Omnes tamen Scripturæ editiones ad quatuor veluti capita revocari poſſunt, ad Hebraicam, ad Græcam, ad Latinam, & ad Vulgatem, ſeu vernaculam. Editio Hebraïca dicitur, quæ Litteris Hebraicis ſcripta eſt, continetque præſertim vetus teſtamentum: ſub Hebraicâ editione comprehendo, tùm paraphraſes Chaldaïcas, tùm editiones Syriacas, ſeu ſcriptas linguâ Syriacâ, quæ tertia quædam lingua eſt, mixta ex Hebræâ & Chaldaïcâ, Judæis poſt Babylonicam Captivitatem, materna & vulgaris. Arbitrantur Syrii totum Novum Teſtamentum tranſlatum fuiſſe ex Græco idiomate in Syriacum à Sancto Marco Evangeliſtâ; ſed hujus tranſlationis antiqui Patres non meminerunt. Longé certius eſt Evangelium Mathæi linguâ Syriacâ ſcriptum fuiſſe, itèmque Epiſtolam Pauli ad Hebræos: nec quidquam obſtat, quod hi Libri Hebraïcè Scripti dicantur, accipitur enim lingua Hebraïca pro eâ, quæ Apoſtolorum temporibus vulgaris erat apud Hebræos, talis autem erat lingua Syriaca. Græca editio dicitur, quæ Græcis Litteris ſcripta eſt, hujuſmodi autem novem ferè numerantur. Prima & omnium præcipua eſt editio quam appellant, Septuaginta, facta ſub Ptolomæo Philadelpho, annis ferè antè Chriſtum ducentis quinquaginta; quando ſcilicet ſeptuaginta duo viri Hebræi, ſeni ex quâlibet tribu, utriuſque linguæ peritiſſimi, ſpatio dierum ſeptuaginta duorum, Divinam Scripturam ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt conſenſione mirabili apud

Omnes tamen ad quatuor capita revocari poſſunt. ad Hebraicam.

Ad Græcam.

Phanum Ægypti. Interpretationem ſeptuaginta ità emendavit Origines, ut emendatio illius videretur nova ſcripturæ editio, *quæ ſtatim replevit omnes Bibliothecas*, ut ſcribit Hieronymus, *& communis appellata eſt.* Editio Latina dicitur, quæ Latinè ſcripta eſt; apud Latinos autem, quamvis fuit olim magna prurigo interpretandi Scripturam, adeò ut dicat Auguſtinus, *qui ex Hebræâ linguâ Scripturas verterunt in Græcam numerari poſſe, Latinos autem nullo modo*, & addat Hieronymus, *tot eſſe exemplaria, quot codices*, una tamen fuit communiſſima Itala illa, quam Auguſtinus dicebat præferendam eſſe cæteris, quia verborum tenacior eſt, cum perſpicuitate ſententiæ. Nunc autem communiſſima eſt, quæ vulgata dicitur, ſive eſt Itala illa, quam tantoperè commendat Auguſtinus, ſive eſt verſio Hieronymi interpretis. Editio deniquè vulgaris dicitur, quæcumque vulgari linguâ Scripta eſt, ſeu Gallicâ, ſeu Hiſpanicâ, ſeu Germanicâ. Editiones verò vulgares ſunt ſine numero.

Ad Latinam.

Ad vulgarem, ſeu vernaculam.

Præmitto 3°. Textus Scripturæ Authenticus dicitur ille, qui certò fidelis eſt, ſeu Scripturæ Autographæ certò conformis, ac proindè certò Divinus. Quare ad Textum Scripturæ Authenticum duo requiruntur. Primum eſt, tanta illius conformitas cum Sripturâ Autographâ, ut nullum exprimat ſenſum, qui non ſit expreſſus in Scripturâ Autographâ, idemque verè à Deo intentus. Alterum eſt, certitudo talis conformitatis, Apographum enim fidem non facit, niſi conſtet fideliter ex Autographo fuiſſe exceptum. His præmiſſis definire oportet,

Scripturæ Textus Authenticus quid ſit.

Quid requiratur ad authenticitatem.

quis ſit Scripturæ Textus Authenticus : quod, quanti laboris ſimul & momenti ſit, nemo prudens non videt : quid enim prodeſt Scripturam Propheticam & Apoſtolicam certò Divinam eſſe, ſi non determinetur Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ Textus Authenticus, & certò Divinus.

Textus Hebraicus qualis nunc habetur, non eſt Authenticus.

Theſis prima. Textus Hebraïcus qualis nunc habetur, non eſt Authenticus. Probatur, quia nec eſt omninò conformis Scripturæ Autographæ, aliquos enim errores habet ; nec ſatis conſtat certâ aliquâ authoritate illum Scripturæ Autographæ conformem eſſe. Atqui ad Textum Authenticum requiritur, & conformitas cum Scripturâ Autographâ, & certitudo talis conformitatis. Quanta verò ſit difformitas Textûs Hebraïci, & undè illa proveniat; quæſtio eſt, in quâ periculosè erratur à multis. Quare ulteriùs

Editio Hebraica Moſis & Prophetarum nec tota unquam periit.

Dico 1°. Editio Hebraïca Moſis & Prophetarum nunquàm tota periit. Eſt contra aliquos malè putantes tempore Captivitatis Babylonicæ, cum urbe & Templo, ſimul univerſam Scripturam conflagraſſe, ac deindè reſtitutam ab Eſdrâ, quem totis quadraginta diebus, Spiritu Sancto afflatum, dictaſſe aiunt quinque viris, ſummâ celeritate eandem quæ exciderat Scripturam reparantibus. Sed hoc totum excerptum eſt ex Libro quarto Eſdræ Apocrypho, nec ſatis credibile apparet : demus enim fieri poſſe, ut periret ea Scriptura, quæ in Templo publicè ſervabatur, quis tamen credat nulla ſuperfuiſſe exemplaria, aut partes eorum apud privatos homines, qui in lege Domini meditabantur die ac nocte. Meminit

quidem Hieronymus novas Litteras Hebraïcas ab Esdra inventas fuisse, & antiquas relictas Samaritanis, at novæ Editionis Sacrorum Librorum non meminit. Sicubi ergò dicitur à Patribus Esdras recensuisse, restaurasse, & reparasse Scripturam, eatenùs id fecisse dicitur, quatenùs, vel dispersas Scripturæ reliquias in unum corpus collegit, vel quæ Scribarum negligentiâ malè irrepserant, emendavit.

Nec fuit à Judæis omninò corrupta.

Dico 2°. Editio Hebraïca non fuit omninò à Judæis corrupta. Est contra alios, qui Hebraïcam editionem ad nostra tempora superstitem ità fatentur esse, ut illam tamen à Judæis in odium Christi miserabilem in modum fuisse corruptam contendant. Sed profectò nec satis sciunt isti quid dicant. Nam. 1°. Ut benè ratiocinatur Origenes in Isaiam, si Scripturas corruperunt Judæi, vel id fecerunt antè adventum Christi, vel post adventum Christi: non antè adventum Christi, qui eo nomine nunquam reperiuntur à Christo reprehensi, cùm tamen corruptio Scripturarum gravis sit causa reprehensionis. Neque itèm post adventum Christi: nam quæro, cur testimonia, quæ Christus & Apostoli citarunt, eadem nunc extent in Hebræo: cur præcipua de Christo vaticinia Judæi reliquerunt, & alicubi expressiora nostris. 2°. Non videtur verisimile Augustino; Judæos, dùm aliis inviderent authoritatem, sibi abstulisse veritatem; Judæos præsertim adeo religiosos, ut scribat Philo, ad sua usque tempora, hoc est per spatium ampliùs quàm duorum millium annorum, in Hebræorum lege ne verbum quidem fuisse immutatum, & moriturum cen-

Lib. 8.

ties Judæum quemlibet, ne in lege novari aliquid pateretur. 3°. Obſervant Patres providentiam Dei ſingularem in diſperſione Judæorum, ut nimirùm libros Legis & Prophetarum circumferrent, noſque ſic haberemus teſtimonium, & ſalutem ab inimicis noſtris. Quæ obſervatio Patrum ſatis indicat Scripturam non fuiſſe adeò corruptam à Judæis.

Dico 3°. Editio Hebraïca non eſt tamen fons ità purus, ut nullibi turbidus fluat. Eſt contra Calvinum, ut in multis aliis, in hoc etiam ſibi contradicentem; nam & ipſe Lectionem Hebraïcam ſæpe improbat, immemor datæ approbationis: mediâ igitur viâ gradiendum eſt, dicendumque editionem Hebraïcam, nec ità depravatam fuiſſe à Judæis, ut ferè ſui ſimilis non ſit, nec ità puram remanſiſſe, nullum ut errorem admiſerit; habet enim ſuos quoſdam errores, qui partim irrepſerunt negligentiâ & ignorantiâ Librariorum, ex litterarum ſimilitudine facilè æquivocantium, partim ignorantiâ Rabinorum, qui puncta malè addiderunt, & malè notarunt. Habemus ergo adhuc Hebraicam editionem moraliter & ferè integram, ſed eam nec omninò conformem Scripturæ autographæ, nec publico Eccleſiæ judicio approbatam. Quare textus Hebraicus non eſt authenticus, tùm defectu conformitatis cum Scripturâ autographâ, tùm defectu ſummæ alicujus authoritatis conformitatem illius cum Scripturâ autographâ certificantis.

Non eſt tamen fons adeò purus ut nullibi turbidus fluat.

Objicies. Textus Hebraicus fuit olim authenticus, citatus à Christo, & ab Apoſtolis ut certò divinus: ergo etiam nunc authenticus eſt.

Textus Hebraicus ità fuit olim au-

thenticus, ut hodie authenticus non fit.

Respondeo, Nego consequentiam. Nam olim fuit perfectè conformis Scripturæ autographæ, & suæ illius conformitatis testimonium habuit infallibile à Synagogâ, seu Ecclesiâ Judæorum. At verò nunc utroque deficit, & conformitate, & certitudine conformitatis; Synagoga enim jam defecit, & quæ Synagogæ successit vera Christi Ecclesia, textum Hebraicum pro authentico non habet.

Nullus textus Græcus, qualem nunc habemus, est authenticus.

Thesis secunda. Nullus textus Græcus, qualem nunc habemus, authenticus est. Probatur, si quis esset Græcus textus authenticus, maximè textus Editionis Septuaginta, quæ fuit omnium editionum Græcarum fidelissima & usitatissima; textus autem Editionis Septuaginta, qualem nunc habemus, non est authenticus. 1°. Quia multa habet apertè falsa, & in multis ab Hebræo discrepat etiam in his, in quibus vulgata nostra cum Hebræo congruit: Atqui, si Philoni credimus, ita olim uterque textus congruebat, Hebraicus cum Græco, ut quisquis utrumque compararet, miraretur germanitatem, & rerum verborumque consonantiam adoraret: ergo textus ille Græcus, qualis nunc habetur, non est conformis Scripturæ autographæ. 2°. Sicubi conformis est, non tamen certò constat illum conformem esse; ergo textui Græco editionis septuaginta deest, non solùm conformitas cum Scripturâ autographâ, sed etiam certitudo conformitatis, quæ tamen duo ad textum authenticum necessaria sunt. Quod de editione septuaginta dictum est, transferri potest ad Græcam editionem novi testamenti; nam ea quidem Apostolorum & Evangelistarum est, &

utinàm ad nos usquè incorrupta pervenisset; sed deficit nunc, & redundat in multis, multosque habet errores admixtos, nec satis constat illius textum originali textui esse conformem.

Editio septuaginta olim quidem fuit, sed non est jam authẽtica.

Objicies. Editio Septuaginta multa habet argumenta editionis authenticæ. Nam 1°. Hæc est editio facta ab interpretibus Spiritu Sancto plenis, & aperto miraculo confirmata: narrat enim Epiphanius binos & binos interpretes cellulis fuisse inclusos, & singula ipsorum paria, iisdem omninò verbis versionem suam fecisse. Justinus verò cellulas tribuit singulis singulas, singulosque interpretes tradit, majore adhuc miraculo, ne uno quidem verbo aut apice discordasse, testaturque idem vidisse se Alexandriæ vestigia cellularum. 2°. Hæc est ipsa editio, quâ frequenter usi sunt Apostoli. 3°. Hæc est, quæ in Ecclesiâ summam Authoritatem per multa sæcula obtinuit; non apparet autem, quomodo summâ illâ authoritate exciderit. Respondeo. Hæc argumenta probant quidem editionem septuaginta aliquandò authenticam fuisse, sed non probant esse nunc authenticam; quia scilicet non probant talem nunc esse, qualis olim fuit, & omninò incorruptam ad nos usque pervenisse. Nam quod pertinet ad miraculosam illius originem, Dico historiæ translationis multa se fabulosa immiscuisse; illas enim interpretum cellulas ridet apertè Hieronymus, & præfatione in Pentateucum, *nescio*, inquit, *quis primus Author septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit*. Exstructas autem fuisse ejusmodi cel-

lulas architecto mendacio probat idem testimonio Aristæi testis oculati, qui negotio interfuit, & apertè dicit interpretes consuluisse simul singulis diebus usque ad horam nonam. Accedit quòd Josephus antiquitatum Judaicarum studiosissimus, nullam mentionem facit cellularum. Quare dicendum videtur Judæos imposuisse Justino, & ruinas quasdam ostentasse pro cellulis, posteriores autèm Scriptores, re non ulteriùs examinatâ, Justino credidisse. Non nego tamen habendum esse pro miraculo, quod tam brevi tempore, tot capita in tam multis consenserint, & quasi uno ore Scripturas verterint. De Apostolis autem, quod editionem septuaginta citaverint tanquam authenticam, nihil mirum est; quia Apostolorum temporibus authentica erat. Neque item movemur quod per multa sæcula summam in Ecclesiâ authoritatem habuerit, potuit enim summâ illa authoritate excidere; tùm quia potuit corrumpi & depravari, ac proindè paulatim amittere suam illam cum Scripturâ autographâ conformitatem; tùm quia nunc saltem dubitare possumus, an reipsâ Scripturæ autographæ sit conformis, cum nec publico Ecclesiæ judicio, nec aliundè certò constet esse conformem.

Ecclesia Græca nullam habet editionem authenticam, quæ Græcè scripta sit.

Instabis. Ecclesia Græca habet editionem Scripturæ authenticam, Ergo est aliqua editio Græca authentica. Respondeo. Ecclesia Græca nullam habet editionem authenticam, quæ Græcè scripta sit; nec mirum est apud Græcos defecisse Scripturam authenticam, apud quos fides ipsa defecit. Certè in Scripturæ integritate conservandâ Græci negligentes fuerunt, adeò ut

dicere possimus cum Hieronymo, *profligato à Græcis patrimonio, apud Latinos tantùm incorruptam Patrum hæreditatem servari.* Habent tamen etiam Græci Linguâ suâ Scripturam, quâ uti possint, sed cum aliqua cautione. Nam si textus Græcus cum Latino nostro congruit, haberi potest pro divino; si non congruit, emendari potest ex nostro.

Nulla Editionum vulgarium, seu vulgari linguâ Scripturam Authentica est.

Thesis Tertia. Nulla editionum vulgarium, seu vulgari linguâ Scriptarum Authentica est. Probatur. Nam pleræque editiones vulgares manifestè infideles sunt, aut saltèm suspectæ; quales sunt, quæ ex Hæreticorum Officinâ prodierunt. Quod si quæ fortè fideles sint, fidelitatis suæ testimonium infallibile non habent: Ergò editiones vulgares deficiunt, vel conformitate cum Scripturâ Autographâ, vel certitudine suæ conformitatis; utrovis deficiant, non sunt aûthenticæ. Circa vulgares autèm editiones duo generatim prohibentur ut, colligere possumus ex Concilio Tridentino sessione 2. c. 8. & Can. 5. Primum est, ne in communi & publico usu Ecclesiæ legantur, aut canantur Scripturæ vulgaribus linguis, sed Latinâ tantùm, Græcâ, & Hebraïcâ, quas linguas Dominus titulo suæ Crucis honoravit. Alterum est, ne passim omnibus sine discrimine concedatur Lectio Scripturarum.

Ne versio quidem Montensis.

Objices. Saltèm nupera Novi Testamenti versio Montensis Gallicè scripta haberi debet pro authenticâ; nam ea, & valde elegans est, & multos fautores habet, à quibus ipsi etiàm vulgatæ præponitur; & quod gravissimum est, delicatis fæminarum auribus sapit, in ipsarum

conciliis, ſeu circulis non ſemel approbata? Reſpondeo. Nec ſtyli elegantia, nec quicumque ardor factioſorum, nec fæminarum favor Scripturam Authenticam facit; ſed conformitas illius cum Scripturâ Autographâ, & certitudo talis conformitatis. Atqui Montenſi Editioni utrumque deeſt. Nam 1°. Nimiùm convincitur eſſe infidelis in multis, Textui Græco & Hebraïco tenaciùs adhærens, ſepoſitâ vulgatâ, & ad marginem malè rejectâ; ſtudètque inſuper eos paſſim exprimere ſenſus, qui novatorum erroribus nuper ab Eccleſiâ damnatis, favere poſſint. 2°. Montenſis illa editio ſummam authoritatem non habet; undè enim haberet. An quia eleganter ſcripta eſt? ſed nimia illa ſtyli elegantia ſuſpicionem facit, non ſatis caſtæ verſionis; ut ferè nimius cultus ſuſpicionem facit fæminæ non ſatis caſtæ. An quia Hæreticos habet Authores, fautoreſque acerrimos? ſed hinc bonis omnibus ſuſpecta venit. An quia fæminis etiam placet? ſed fæminæ, quas in Eccleſiâ tacere jubet Apoſtolus, cum de Scripturâ agitur, jus ſuffragii non habent? An denique quia Sedis Apoſtolicæ judicio damnata, & prohibita eſt? ſed eo judicio, ſi quam haberet aliunde authoritatem, amitteret. Quare Editio Montenſis non pro authenticâ, ſed pro ſuſpectâ & reprobatâ haberi debet.

1. Ad Cor. 6. 14.

Textus Latinæ Editionis quæ Vulgatâ dicitur, eſt Authenticus.

Theſis quarta. Textus Latinæ Editionis quæ Vulgata dicitur, eſt Authenticus. Habetur ex Concilio Tridentino ſeſſione 4. in Decreto de editione & uſu Sacrorum Librorum, ſtatuit enim & declarat Concilum, ut ipſa vetus & vulgata

vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu probata est, in publicis Lectionibus, Disputationibus, Prædicationibus & expositionibus pro Authenticâ habeatur, & ut illam nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Ex quo Concilii Decreto sic argumentor. Illa Editio est Authentica, quam certâ & publicâ authoritate constat esse conformem Scripturæ Autographæ, talis autem est Editio vulgata: nam publico Judicio Ecclesiæ in Concilio Congregatæ constat fidem facere, fidem autèm non faceret, si Scripturæ Autographæ certò conformis non esset. Confirmatur. Ecclesiæ Latinæ non defuit per spatium mille annorum Scriptura Authentica; quis enim credat Ecclesiam, in quâ est sedes Petri, Scripturâ Authenticâ tamdiu caruisse, his maximè temporibus, cùm nemo in Conciliis Hebraïcè sciret, pauci etiàm Græcè: Atqui in Ecclesiâ Latinâ toto illo tempore non fuit alia editio authentica, quàm vulgata: Ergo vulgata toto illo tempore fuit authentica. Nec verò jam authentica desiit, quia nec desiit conformis esse Scripturæ Autographæ, nec amisit testimoniumm suæ conformitatis cum Scripturâ Autographâ; quin imò, ex ipsâ Concilii Tridentini definitione, Novum Testimonium habuit, & facta est novo quodam titulo Authentica.

Objicies 1°. Præsumendum est Scripturam puriorem esse in fontibus, quàm in rivis: Ergò præsumendum est pro Textu Hebraïco & Græco contra vulgatam. Malè ergò Tridentini Patres, ut vulgatæ faverent, damnarunt cæteras versiones; præclusisque purissimis fon-

Ier. c. 2. tibus, remiserunt nos ad rivulos, *Et foderunt Cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Respondeo. Præsumendum est pro fontibus, si non constet aliundè fontes esse corruptos: constat autèm textus Hebræum & Græcum corruptos fuisse, neque difficile captu est Latinum Textum potuisse manere purum & incorruptum, corrupto Textu Hebræo & Græco; quia Ecclesia Latina, in qua est sedes Petri, longè fuit diligentior in Scripturæ puritate servandâ, quàm fuerint aliæ Ecclesiæ. Quòd autem additur, Concilium Tridentinum damnasse cæteras omnes versiones, omninò falsum est. Nam ità vulgatam habere voluit pro Authenticâ, ut de cæteris non damnarit, nisi novellas & suspectas versiones, quales sunt, quæ ab hæreticis veniunt. Fontes verò nec præclusit, nec interdixit, dummodò cum cautione adeantur. Quare etiàm nunc post Decretum Concilii Tridentini, licet, & interdùm juvat ad fontes recurrere. 1°. Ad energiam & proprietatem vocabulorum meliùs intelligendam. 2°. Ad tollendam ambiguitatem, sicubi occurrit Latina vox anceps, aut æquivoca. 3°. Ad corrigendum Librariorum aliquem errorem, quando illius magna est & vehemens suspicio.

Scriptura non est purior hodie, in fontibus quàm in rivis.

Quia fontes corrupti sunt, & rivus aliquis fluit purus & incorruptus.

Licet tamen & juvat interdùm ad fontes recurrere.

Instabis. Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini, ità vulgatæ detrahit, ut dicat in eâ non esse tres continuos versûs non aliquo insigni errore fædatos; Kemnitius verò in examine Concilii Tridentini vehementer indignatur adversùs Tridentinos Patres, quòd imprudenter, & nullo veritatis habito respectu, cæteris versionibus eam versionem prætulerint,

Defenditur vulgata à calumniis Hæreticorum.

nimirùm, ut ait, *Totam ad dogmata Pontificia transformatam.* Reſpondeo. Iſta Calvini impudentia, aut Kemnitii indignatio, nihil vulgatæ nocet, aut Tridentinis Patribus. Nimirùm perverſi homines conantur infringere fidem illius inſtrumenti, quo ſuam hæreſim perimi ſentiunt, ſimulque Authoritatem detrahere judicibus ſuis, à quibus damnationis ſententiam acceperunt. Quare nego abſolutè ullos eſſe in vulgatâ errores, niſi fortè Librariorum, eoſque ſatis obvios, & emendari faciles. Vulgatam ab objectis erroribus ſolidè vindicavit, unus de multis Bellarminus, & prudens Concilii Tridentini Judicium ſuper eâ re, radiis, ut ità dicam, ſolaribus demonſtravit.

Objicies 2°. Vulgata noſtra non eſt omnium Editionum perfectiſſima: Ergò non eſt Authentica. Reſpondeo. Nego Conſequentiam. Nihil enim neceſſe eſt, ut Editio Authentica ſit omnium Editionum perfectiſſima; ſed ſatis eſt, ſi cum Scripturâ Autographâ conformis ſit, ſuæque illius conformitatis infallibile teſtimonium habeat. Quod totum vulgatæ noſtræ convenit. Undè, ſequitur quidèm vulgatam plus habere authoritatis, quàm cæteras omnes verſiones, quia nulla cæterarum eſt Authentica, ac proindè plus habere authoritatis, quàm Græcum & Hebraïcum Textum; quia, nec Græcus, nec Hebraïcus Textus eſt Authenticus: ſed non eò pertinet iſta vulgatæ prærogativa, ut nulla verſio eſſe poſſit, aut elegantior, aut fidelior, neque enim id poſtulat Scripturæ Authenticæ ratio; ſufficit enim, ſi certò conſtet nullum in vulgatâ ſenſum expri-

Vulgata ità eſt Authentica, ut non ſit omnium Editionum poſſibilium perfectiſſima.

mi, qui non ſit in Scripturâ Autographâ expreſſus, & à Spiritu Sancto verè intentus. Quare potuit fortè idem ſenſus clariùs exprimi, & pleniùs per aliam Verſionem, nec ſcimus, an ſenſus omnes à Spiritu Sancto intentos vulgata expreſſerit, imò, neque an primarium, aut potiſſimum; quicumque tamen ille alius ſenſus, donec eum Eccleſia approbaverit, tantùm non habet authoritatis, quantùm habet ſenſus per vulgatam expreſſus.

Infallibilitatem habet, non ab interprete, ſed ab Eccleſiæ approbatione.

Inſtabis. Interpres Author vulgatæ, ſive is Hieronymus, ſive quicumque alius, non fuit Author Canonicus & infallibilis in interpretando: Ergò vulgata Editio non habet certam cum Scripturâ Autographâ conformitatem. Reſpondeo. Certitudinem ſuæ conformitatis cum Scripturâ Autographâ vulgata ducit, non à ſuo interprete, quaſi ille Canonici Scriptoris inſtar, dirigente Spiritu Sancto verſionem fecerit, ſed ab Eccleſiâ ipſam approbante; quemadmodùm Synodicè dicta, aut ſcripta privatorum, ſi fortè ab Eccleſiâ approbentur, ex approbatione Eccleſiæ certam authoritatem accipiunt. Hinc ſequitur fieri poſſe, ut alia quædam verſio erigatur in Authenticam, approbante illam & erigente Eccleſiâ poſt ſufficiens examen.

Objicies 3°. Difficile intellectu eſt, quomodo Concilium Tridentinum vulgatam declararit Authenticam. Nam, vel reperit Authenticam, vel Authenticam fecit. Non primum. Quid enim fecit Authenticam, ſi Authenticam reperit? Non ſecundum. Quia comparare non potuit vulgatam cum Scripturâ Autographâ, debuit tamen

comparare ad conformitatem utriusque certò judicandam. Respondeo. Nego Antecedens. Ad probationem autèm dico, antè Concilium Tridentinum vulgatam fuisse Authenticam ex usu & consensu Ecclesiæ; nam Textus illius passim à fidelibus agnoscebatur pro Divino, & in Conciliis Generalibus ad scribendas fidei definitiones, jam à multis sæculis adhiberi solebat. Concilium tamen Tridentinum ità reperit vulgatam Authenticam, ut novo judicio Authenticam fecerit; tùm, ut meliùs fidelibus constaret de illius Authenticitate; tùm, ut hæreticis vulgatæ detrahentibus os obstrueretur. Neque ad judicium illud ferendum necesse fuit comparari vulgatam cum Scripturâ Autographâ, satis enim erat Apographum fidele; quia Scriptura quæ fideli Apographo conformis est, eadem conformis est Autographo. Sic ergò potuerunt sapienter procedere Tridentini Patres, ut in iis in quibus Textus vulgatæ cum Hebræo & Græco congruebat, vulgatæ fidem pro exploratâ haberent; in iis autèm in quibus ab utroque, vel ab alterutro discrepabat, consulerent Patres singularum ætatum; & si quidèm apùd illos Textus vulgatæ constanter reperiretur, pro indubitato illum haberent. In toto autem isto processu errare non potuerunt, quia Ecclesia in istiusmodi factis errare non potest, Deo specialiter assistente, ne erret; quod jam postulamus, & inferiùs probabimus.

Concilium Tridentinum vulgatam ita reperit Authenticam, ut novo judicio fecerit Authenticam.

Instabis 1°. Concilium Tridentinum præcipit emendari vulgatam, & reipsâ emendata fuit curâ Summorum Pontificum, eademque

Emendatio vulgatæ à Concilio

praecepta nihil nocet illius Authenticitati.

nunc post emendationem, aliquos errores habet, ut fatentur ipsi Pontifices: Ergò antè Authentica non erat, nec dùm satis Authentica est. Respondeo. Emendationem vulgatæ seu factam, seu faciendam, nihil nocere illius Authenticitati. Nam errores quoscumque habet, aut habuit, impressionis errores sunt, non interpretationis: errores autèm illi impressionis, vel non adeò Textum immutant, ut sensum faciant diversum; vel si qui sensum faciunt diversum, non tamen talem faciunt, ut falsus sit, & non divinus; vel deniquè, si fortè textum adeò immutant, ut fiat sensus falsus, & non divinus, ex Antecedentibus & Consequentibus facilè detegi potest vitium impressionis. Nulla igitur, sive additio, sive detractio, sive transpositio quæcumque in vulgatam irrepsit, valere potest ad textum ità alterandum, ut exprimat sensum falsum & non divinum: esto, valere possit ad supprimendum sensum aliquem verè divinum, aut suspendendum qui determinatus erat, aut qui clarus erat obscurandum.

Instabis 2° Fieri potest, ut in vulgatâ, sive impressionis, sive interpretationis vitio, sit textus aliquis exprimens sensum falsum, aut non certò divinum: ergo vulgata non est authentica. Respondeo. Permittunt aliqui Antecedens, negando Consequentiam, putantes nihil nocere authenticitati vulgatæ, quòd in eâ sit textus aliquis exprimens sensum falsum & non divinum, dummodò stet, nihil illam habere contrarium fidei, aut bonis moribus: volunt nimirùm isti vulgatam eatenùs authenticam dici, quatenùs fidem facere potest in judicio pro definiendis

fidei,& morum quæstionibus;fidem autèm facere potest in tali judicio, si quicumque textus ad materiam fidei,& morum pertinens, certò divinus sit, quamvis textum habeat in aliâ materiâ non divinum. Fateor quidèm ad firmamentum fidei, & directionem morum pro magno habendum esse (in quo catholici omnes conveniunt) nullum esse vulgatæ textum in materiâ fidei & morum, qui divinus non sit; sed contendo hoc non sufficere, & durum videri quod isti dicunt, extra materiam fidei & morum esse posse textum aliquem vulgatæ falsum, aut non divinum. Nam 1°. Si ità est, quomodo stat decretum Concilii Tridentini, quo statuitur, ut vulgata in publicis lectionibus & expositionibus pro Authenticâ habeatur. Nam in expositionibus & lectionibus ea etiam veniunt, quæ ad fidem & mores non pertinent; ergo in iis fidem vulgata non faciet; vult tamen Concilium, ut fidem faciat, statuit enim,ut pro Authenticâ habeatur. 2°. Si ità est, aliquo sic arguente. *Ità asseritur in vulgatà, ergo ità se res habet*; non valebit consequentia, quis autem ferat consequentiam negari? & quanto fidelium scandalo negaretur. 3°. Si ità est, jam poterit rejici aliquid vulgatæ; nam textus ille rejici potest, qui potest convinci, aut fieri suspectus falsitatis; atqui statuit Concilium Tridentinum, ut vulgatam nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. 4°. Ad materiam fidei pertinere potest quidquid in scripturâ divinâ continetur, potest enim esse objectum fidei, quidquid Deus dixit, Deus autèm dixit, quod in scripturâ continetur, ut à Deo dictum; nam hinc ferè pro-

Nullus est textus vulgatæ, qui sensum exprimat falsum, aut non certò divinum.

bamus aliquid à Deo dictum esse, quia in scripturâ reperitur. Tenendum est igitur, nullum esse vulgatæ textum, qui sensum falsum exprimat, aut non certò divinum.

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligendus sit scripturæ sensus.

Quid & quotuplex sit scripturæ sensus.

SCripturæ sensus dicitur, id quod per scripturam Deus significare intendit, seu, ut meliùs dicam, scripturæ sensus est illa mens, ad cujus manifestationem, verba scripturæ Deus assumit, ordinatque. Hinc statim patet, quanti momenti sit verum scripturæ sensum intelligere: nam quid prodest habere scripturam certò divinam, textumque Authenticum, si verus lateat scripturæ sensus, & falsus pro vero accipiatur. Distingui potest multiplex scripturæ sensus: nam alius est litteralis, & historicus, alius mysticus, symbolicus, & spiritualis. Sensus litteralis dicitur, qui primus est, saltèm negativè, ità ut priorem non habeat, cui subordinetur. Mysticus dicitur, quicumque primus non est, sed subordinatur alteri, & per alterum judicatur. Rursùm sensus mysticus, vel pertinet ad mores, & tropologicus dicitur, seu moralis; vel pertinet ad statum vitæ futuræ, & dicitur Anagogicus; vel denique ad statum viæ, sive legis novæ, sive veteris scriptæ, vel naturalis, & appellatur Allegoricus. Exemplum sensus illius multiplicis exhibet Cassianus collatione 14. c. 4. in unâ voce Jerusalem, *est enim Jerusalem secundùm litteralem scripturæ sensum, Judæorum civitas, allegoricè, eccle-*

ſia, anagogicè, patria cæleſtis, anima hominis tropologicè.

Theſis prima. Omnis ſcripturæ textus habet aliquem ſenſum litteralem, imò unus idemque textus multiplicem ſenſum litteralem habere poteſt. Sunt duæ partes. Prima evidens eſt: nam omnis ſcripturæ textus, vel unicum habet ſenſum, vel plures; ſi unicum, ille litteralis eſt, cùm nulli alteri ſubordinetur; ſi plures, neceſſe eſt unum eorum litteralem eſſe, neque enim omnes alteri ſubordinantur: ergo eſt unus aliquis, qui non ſubordinatur, ac proindè eſt unus aliquis litteralis. Secunda verò pars probatur. Quia unus idemque textus habere poteſt multos ſenſus alteri non ſubordinatos. Talis eſt textus ille Iſaïæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* de utrâque enim Chriſti generatione, æternâ, & temporali, litteraliter intelligi poteſt. Talis item eſt textus Pſalmi 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* nam tres habet ſenſus omnes litterales. Primus ſpectat generationem Chriſti æternam, & colligitur ex Apoſtolo ad Hebræos 1. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquandò Angelorum, filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Secundus ſpectat reſurrectionem Dominicam: colligitur autèm ex eodem Apoſtolo actorum 13. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimplevit filiis veſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo 2. Scriptum eſt, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tertius tangit Nativitatem Domini ſecundùm carnem: colligitur èx patribus, & ex ipſâ eccleſiâ, quæ

Omnis ſcripturæ textus habet aliquem ſenſum litteralem.

Imò unus idemque textus habere poteſt ſenſum litteralem multiplicem.

aliquem verè divinum alteri ſubordinatum ſenſus autem alteri ſubordinatus myſticus eſt. Exemplum ſit in textu illo Pſalmi 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum.* Nam in ſenſu litterali, de cælis intelligi debet ; in ſenſu autem myſtico prædicationem Apoſtolorum ſignificat ; interpretante Paulo ad Rom. 10. Quare, non minùs certum eſt, eo textu ſignificari prædicantes Apoſtolos, quàm cælos gloriam Dei enarrantes, cum hoc tamen diſcrimine, quòd primariò & immediatè textus cadat in cælos, ſecundariò autèm & mediatè in Apoſtolos cadat ; ſignificantur enim Apoſtoli mediantibus cælis, tanquàm Apoſtorum imaginibus & figuris. Ratio ſecundæ partis eſt, quia unus idemque ſcripturæ textus habere poteſt multos ſenſus alteri ſubordinatos , & omnes à Deo intentos. Talis eſt ille ſcripturæ locus Geneſis 27. *Abraham duos filios habuit , unum de ancillâ , & unum de liberâ.* Nam ille locus ſecundùm interpretationem Pauli, allegoricè ſignificat duo teſtamenta , unum *in ſervitutem generans* , alterum donans libertatem. Idemque textus ſignificare poteſt mentem & carnem , una enim domina eſt , altera ancilla, habens utraque filium ſuum , ut paſſim interpretantur patres.

habet ſenſum myſticum.

Eumque interdum multiplicem.

Ad Galat. c. 4.

Objicies. Senſus myſticus eſt ſenſus ſcripturæ accommodatus, ſenſus autem accommodatus, non eſt intentus à Deo, ſed ab interprete accommodante : & verò quis credat divinos eſſe omnes ſenſus interpretum, aut concionatorum, quocumque lubet ſcripturam detorquentium. Reſpondeo. Senſus myſticus interdùm à Deo in

tentus est, nec solùm ab interprete accommodante, ut satis constat ipso testimonio Dei, interdùm explicantis in unâ parte scripturæ suæ, quid per alteram significare voluerit; quis enim sensum Dei meliùs novit ipso Deo. Quòd autem pertinet ad sensus interpretum, aut concionatorum, dico, non omnes divinos esse, sed plerumquè meros conceptus humanos, qui fidem non faciant. Hîc obiter observa, quàm parùm solidè concionentur, qui ad moralia fidei dogmata stabilienda, scripturam in conceptus quosdam arbitrarios, seu ingeniosè, seu, ut plerumquè fit, putidè detorquent, adulterando verbum Dei, & sensus humanos supponendo pro divinis, vano fortè plausu, sed fructu nullo. Observa itèm Concilii Tridentini sapientem cautionem Sessione 4. in Decreto de usu sacrorum Librorum: volens enim reprimere temeritatem illam, quâ ad prophana quæcumque convertuntur, & torquentur verba sacræ scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vanas adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas; incantationes, divinationes, sortes, libellos etiàm famosos, mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, & ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, Juris & arbitrii pænis, per Episcopos coërceantur.

Sensus accommodati interpretum, aut concionatorum non sunt semper divini.

Sessione quartâ in decr. de usu sac. Lib.

Instabis 1°. Ipsi Apostoli & Evangelistæ ad privatos sensus suos Scripturam accommodarunt, aut certè accommodare potuerunt: ergo non constat esse ullum mysticum sensum certò

Sed sensus quos Apostoli &

divinum. Respondeo. Esto, Apostoli & Evangelistæ ad privatos & humanos sensus Scripturam accommodare potuerint, aut etiàm interdùm accommodarint; nego tamen semper ità fecisse; nam interdùm testantur Scripturam impleri in sensu quem afferunt, ità illud Exodi, *Os non comminuetis ex eo*, quod de Agno Paschali litteraliter Scriptum est, dicitur fuisse in Christo impletum Joannis 19. Interdùm contra Judæos argumentantur Apostoli, ex aliquo sensu mystico, quod sæpe facit Paulus, præsertim in Epistolâ ad Hebræos. Interdùm significant vetera, fuisse figuras novorum, tunc autèm Scripturæ non accommodant sensus humanos, sed afferunt sensus verè à Deo intentos.

Evangelistæ Scripturæ accommodarunt plerique certò divini sunt, & à Deo intenti.

Exodi c.12.

Instabis 2°. Sanctus Thomas 1. parte, quæst.1. Art.10. docet ex solo litterali sensu, trahi posse argumentum efficax, ad probanda fidei dogmata: Ergo solus sensus litteralis divinus est, non autèm mysticus. Respondeo 1°. Loqui Sanctum Thomam de eo quod communiter fit, fit autèm communiter, ut solus litteralis sensus sit certò divinus, quia communiter non satis constat sensum mysticum divinum esse. Respondeo 2°. cùm sensus mysticus ad fidem non valeat, nisi certò constet esse divinum, constare autèm id non possit, nisi per litteralem aliquam explicationem, probatio demùm resoluitur in sensum litteralem, per quem nobis constat de divinitate sensûs mystici.

Quomodo juxta Sanctum Thomam ex solo litterali sensu ducatur argumentum efficax.

Thesis tertia. Non omnis Scripturæ sensus obscurus est, non omnis itèm clarus. Sunt duæ partes. Prima facilis est; nam verba Scripturæ sæpè clara sunt, minimèque ambigua, & ità

Non omnis Scripturæ sensus obscurus est.

Non omnis itèm clarus.

determinata ad unum sensum significandum, ut de eo dubitari non possit. 2ª verò, ut mihi quidem videtur, facilior est & sensibilior, quidquid dicant Lutherani & Calvinistæ, qui Scripturam volunt esse ubiquè facillimam, suique interpretem multò clariorem omnibus Patrum commentariis. Sed apertè reclamat. 1º. Scriptura ipsa, quæ se aliquâ parte obscuram esse testatur, nam si Scriptura adeò clara est & facilis, cur Psalmo 118. Regius Propheta ad legem Dei intelligendam cæleste lumen implorat, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam?* Cur Lucæ, C. ult. dicitur Christus aperuisse Apostolis sensum, *ut intelligerent Scripturas?* Cur 2ª Petri, C. ult. dicuntur esse in Epistolis Pauli quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Reclamat 2º. communis sensus Patrum Scripturam in multis difficillimam esse prædicantium, ità ut Origeni videretur scriptura, Liber ille signatus, quem nemo potest aperire præter agnum de Tribu Juda; Chrysostomo, thesaurus profundè reconditus, Ambrosio & Gregorio, altum quoddam & profundum mare, &c. Reclamat 3º. Piorum doctorumque hominum experientia in sensu Scripturæ inveniendo valdè laborantium. Reclamant denique ipsi hæretici sibi contradicentes, nam & ipsi de Scripturæ sensu perpetuò litigant, & ad suos errores scripturam singuli detorquent.

Objicies contra primam partem. Semper dubitari potest, an Scripturæ locutio sit figurata, seu, an verba Scripturæ in proprio sensu acci-

pienda sint, an in metaphorico; ergo Scripturæ sensus semper obscurus est. Respondeo nego Antecedens; verba enim Scripturæ in proprio sensu accipienda sunt, quando non constat locutionem esse figuratam. Ratio à priori est, quia Deus loquens cum hominibus more humano, usurpare debet verba in eo sensu, in quo apùd homines usurpantur: Atqui verba apùd homines usurpantur in sensu proprio, nisi aliundè ad sensũ figuratum determinentur; ergo Deus credendus est usurpare verba in sensu proprio, nisi fortè ea ad figuratum sensum aliquo signo determinet. Certè, si Deus verba alio sensu usurparet, quàm proprio, non significando talem abusum verborum, audientes falleret.

Verba scripturæ in proprio sensu accipienda sunt quando non constat locutionem esse figuratam.

Objicies. Contra 2^{am} partem. Obscuritas scriptionis est imperfectio quædam scribentis. Ergò nulla est Scripturæ Divinæ obscuritas. Respondeo. Distinguo Antecedens. Scriptionis obscuritas est aliqua imperfectio scribentis hominis, transeat; scribentis Dei. Nego. Inter autèm hominem & Deum discrimen est, quod in homine obscuritas scriptionis proveniat ferè ex aliquo defectu, vel intelligentiæ, cum homo res non videt satis clarè, & signa rerum non satis novit, vel diligentiæ, seu in ideis rerum ordinandis, seu in signis benè disponendis; vel deniquè sinceritatis, quò interdùm fit, ut homo signa adhibeat obscura & ambigua ad decipiendum. Sed scriptionis obscuritas nullam ex his imperfectionibus denotat in Deo. Ordinatur enim ad fines Sanctissimos, præsertim verò, ut notat Augustinus, ad edomandam labore superbiam nostram, & intel-

Scriptionis obscuritas imperfectio est hominis scribentis, sed non Dei.

Ratio discriminis.

lectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.

Regulæ aliquot pro exquirendo vero sensu Scripturæ.

Thesis Quarta. In exquirendo Scripturæ sensu magnâ cautione versari oportet; quia periculum est, ne falsus aliquis sensus pro vero accipiatur, humanus pro Divino, aut ne sensus aliquis dumtaxat probabilis, habeatur pro notorio & evidenti. Ad hanc verò cautionem valebunt regulæ sequentes omnibus Scripturæ studiosis, & præsertim Scripturæ interpretibus necessariæ. Prima est. Scripturæ indagator antè omnia cœleste lumen imploret, & hoc primum intelligat, *Quod omnis Prophetia Scripturæ*, ut dicitur 2ª. Petri c. 1. *Propriâ interpretatione non fit*, hoc est propriâ, & privatâ industriâ Spiritûs humani, sed illustratione Divini Spiritûs. Secunda. Ad Scripturam intelligendam afferat animum pravo spiritu partium, aut præjudicio purum, & veri sensus inveniendi unicè cupidum. Tertia. Habeat exactam notitiam linguarum, interdùm enim tota Scripturæ obscuritas in eo est, quòd non satis à legentibus intelligatur proprietas & vis verborum. Quarta. Conferat codicem cum codice, unus enim aliquandò tollit totam ambiguitatem alterius. Quinta. Loca Scripturæ invicem comparet, ex uno enim lux derivatur in alterum. Sexta. Consulat Patres, Scriptura enim interpretanda est, juxtà unanimem sensum Patrum. Septima. Ecclesiam audiat bonus Ecclesiæ Filius, est enim Ecclesia, ut loquitur Celestinus Papa in Epistolâ ad Episcopos Galliæ, *Beatus ille Grex; cui dedit Dominus de pascuis judicare*. Huc pertinet Decretum illud Concilii Tridentini, ut

nemo

nemo suæ prudentiæ innixus Scripturam interpretari audeat, contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum. « In dec. de Editione & usu Sac. Lib. sess. 4.

CAPUT II.

De Traditione Divinâ.

TRaditio Divina propriè accepta, est Verbum Dei non Scriptum; sed commendatum memoriæ hominum, ac veluti per manus traditum. Statuemus Hîc 1°. Existentiam Divinarum traditionum, deindè verò characteres & notas illarum explicabimus. Quid sit traditio Divina.



ARTICULUS I.

Statuitur existentia Divinarum Traditionum.

THesis Unica. Sunt aliquæ traditiones verè Divinæ. Est contra Hæreticos præsertim Lutheranos & Calvinistas, quorum dogma est, in solâ Scripturâ acquiescendum esse, cætera omnia humanam dumtaxat habere authoritatem, non Divinam. Probatur autem 1°. Quia credendum est scripturæ, ut fatentur ipsi quos refutamus hæretici; Scriptura autèm docet esse aliquas traditiones verè Divinas; ergò &c. Minor habetur ex 2ª. Pauli ad Thessalonicenses cap. 2. *Itaque Fratres,* inquit, *state & tenete tradi-* Sunt aliquæ traditiones verè Divinæ. Habetur ex ipsâ Scripturâ.

tiones quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram. Ubi Paulus sermonem distinguit ab Epistolâ, per Epistolam intelligens Verbum scriptum, per Sermonem, Verbum non scriptum; utrumque autèm ità comparat, ut sermoni non minorem authoritatem tribuat, quàm Epistolæ. Eòdem pertinet illud 2[a]. ad Timotheum c. 1. *Formam habe sanorum Verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione.* Et c. 2. ejusdem Epistolæ, *quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Ubi observanda sunt duo. 1[um] est. Loqui Paulum de rebus ad fidem & dilectionem pertinentibus, iisque non scripto, sed ore tantùm, & vivâ voce traditis. Alterum est. Non præcipere Paulum Timotheo, ut ea quæ audivit scribat, sed ut commendet fidelibus, idoneis alios docere: Ergò ex Paulo sunt traditiones aliquæ non Scriptæ verè Divinæ. Probatur 2°. ex Conciliis. Nam Concilium Nicænum primum hæresim Arii damnavit ex traditione; quamvis enim scriptura faveret dogmati Catholico contra Arium, præcipuè tamen traditione agebant Patres; quia & ipse Arius scripturam pro se citabat. Nicænum item 2[um] actione 6. definit, *Quod, cum multis aliis, quæ in Ecclesiâ observantur, nec scripta sunt, nobis imaginum veneratio tradita sit.* Et Can. 7. *Si quis traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, Anathema sit.* Probatur 3°. Ex Patribus. Sufficient ex Græcis Basilius & Chrysostomus; nam hic quidèm in Caput 2. Epist. 2[æ] ad Thessalonicenses, *Tra-*

Ex Conciliis Generalibus.

Ex sensu Patrum.

ditio est, inquit, *nihil ampliùs quæras.* Ille verò Lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium, *Apostolicum*, inquit, *esse arbitror traditionibus etiàm non Scriptis inhærere.* Ex Latinis autèm Tertullianus & Cyprianus; nam Tertullianus Lib. de Coronâ Militis, post enumeratas Baptismi, signi Crucis, sacrificii, Anniversarii pro Defunctis, aliasque ejusmodi ceremonias, *Harum*, inquit, *& similium Disciplinarum, si leges expostules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Cyprianus Lib. 2. Epist. 3. *admonitos*, inquit, *nos scias, ut in Calice offerendo, Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix qui in Commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Probatur 4°. Ex sensu totius Ecclesiæ: nam Ecclesia agnoscit multa pertinere ad fidem, quæ tamen in Scripturâ non reperiuntur: Ergò agnoscit Verbum aliquod non Scriptum, in quo istiusmodi dogmatum fides fundetur, nihil enim ad fidem pertinet, quod non nitatur aliquo Dei testimonio.

Ex sensu totius Ecclesiæ.

Objicies 1°. Scriptura traditioni adversatur. Nam 1°. Scriptura vetat quidquam sibi addi, vel detrahi, Deuteronomii 4. *Non addetis ad Verbum quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Et Apocalypsis c. ult. *Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super illum plagas Scriptas in Libro isto.* 2°. Scriptura docet se sufficientem esse, & continere omnia necessaria, dicitur enim, *omnis Scriptura utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum*

Traditioni Scriptura non adversatur.

in justitiâ &c. 3°. Christus Judæos reprehendit, quòd traditionem sequerentur. Matthæi 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Respondeo. Scriptura nullatenùs adversatur traditioni, quæ verè Divina sit: Deus enim negare se non potest, aut secum pugnare. Quare ad testimonia primi generis dico. Cum traditio additur Scripturæ, nihil fieri contra præceptum Scripturæ vetantis sibi quidquam addi, aut detrahi. Scriptura enim vetat tantùm se alterari, & corrumpi per additionem, aut detractionem, aut mutationem quamlibet, quâ fiat, ut jàm non retineat eundem sensum: Atqui per traditionem Divinam non alteratur, aut corrumpitur Scriptura, sed potiùs explicatur & defenditur; traditio enim ferè est explicatio Scripturæ. Patet responsionis veritas, quia post Scripturæ præceptum de additione vitandâ, multi alii Libri Divini Scripti fuerunt, & prioribus superadditi. Ad testimonia secundi generis dico, Scripturam non dici à Paulo sufficientem, sed utilem, quæ duo valde differunt. Nam singuli Scripturæ Libri sunt utiles, singuli tamen non sufficiunt. Quod si velis Scripturam aliquo sensu sufficientem esse, non repugno: Scriptura enim si accipiatur cum omnibus quæ continet tàm virtualiter & implicitè, quàm formaliter & explicitè, sufficiens est. Sed Scriptura ità sumpta continet traditiones Divinas, docet enim credendum esse omni Verbo Dei, & audiendam esse Ecclesiam, veluti columnam & firmamentum veritatis. Ad testimonia tertii generis dico, iis damnari, non traditiones, quæ

verè Divinæ ſunt, ſed traditiones humanas Verbo Dei contrarias, aut quæ pro Divinis circumferuntur, cùm tamen Divinæ non ſint.

Non adverſantur Patres.

Objicies 2°. Videntur Patres non favere traditionibus. 1°. Enim docent contineri omnia in Scripturis; *Adoro*, inquit Tertullianus lib. contra Hermogenem, *Adoro Scripturæ plenitudinem.* 2°. Docent nullam fieri fidem ſine Scripturâ, ſine authoritate Scripturæ: *Garrulitas non habet fidem*, inquit Hieronymus in Caput 1. Epiſtolæ ad Titum. 3°. Vetant quidquam addi Scripturæ. *Infidelitatis*, inquit Baſilius, *Argumentum fuerit & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum quæ Scripta ſunt velit rejicere, aut eorum quæ non ſcripta, aliquid introducere.* Ità ille Sermone de fidei Confeſſione. 4°. Solam Scripturam volunt eſſe Regulam fidei. *Sancta Scriptura*, inquit Auguſtinus, *Noſtræ Doctrinæ Regulam figit, ne audeamus ſapere plùs quàm oportet.* Lib. de bono Viduitatis. 5°. In rebus obſcuris, ubi Scriptura dubia eſt, judicium ſuſpendi volunt. *Ubi de re obſcuriſſimâ diſputatur*, inquit idem Auguſtinus, *non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione c. 36. Atqui hæc omnia non dicerent Patres, ſi Traditiones Divinas à Scripturâ diſtinctas agnoſcerent. Reſpondeo. Pro traditionibus Divinis aperta & indubitata Patrum ſententia eſt, quare ſicubi videntur dicere aliquid repugnans, benignè interpretandi ſunt; neque magnam difficultatem habent

quæcumque ex Patribus opponuntur: quod, ut per singula appareat. Dico 1°. Cùm Patres docent omnia in Scripturis contineri, intelligunt ea omnia, quorum cognitio prævia esse debet ad Baptismum suscipiendum, vel omnia illa, quæ ad unum aliquod dogma, de quo fortè agebant, determinandum necessaria sunt: quod si omnia omninò nullâ factâ exceptione contineri velint in Scripturis, intelligendi sunt de continentiâ aliquâ implicitâ & virtuali, non de formali & explicitâ. Dico 2°. Cùm Patres docent nullam fieri fidem sine Scripturâ; sensus est, in rebus ad fidem pertinentibus, non privato, aut humano sensu agendum esse, sed Divino, qui ferè habetur in Scripturâ, & hæreticos nullam habituros fidem, nisi & ipsi ex Scripturâ confirmarent errores suos; vel denique putandi sunt loqui Patres, de iis quæstionibus, quæ per Scripturas determinari possunt. Dico 3°. Cùm Patres quidquam vetant addi Scripturæ, intelligendi sunt de eâ additione per quam alteretur & corrumpatur Scriptura, vel de eâ additione, quâ supponatur pro Divino, id quod verè Divinum non est. Dico 4°. Cùm Patres Scripturam dicunt esse regulam fidei nostræ, vel non dicunt esse regulam solam, vel si solam esse dicunt, restringendi sunt ad quæstiones nonnullas per Scripturam solam determinabiles; vel si restrictio non placet, Scripturam dicunt esse solam regulam, quatenùs Scriptura etiàm sola seorsum à traditione ad fidem faciendam sufficit. Dico 5°. Cùm Patres judicium suspendi volunt in iis quæstionibus in

quibus Scriptura dubia eſt, cohibere dumtaxat volunt humanam præſumptionem, ne ſcilicet quæſtiones obſcuras, quæ non niſi Deo revelante decidi poſſunt, decidere audeat proprio & privato ſenſu.

Objicies 3°. Traditio malè comparatur Scripturæ, Scriptura enim longè præſtat traditione; imò traditio quantumvis Divina dicatur eſſe, non eſt ſatis ſenſibilis & conſtans, ut poſſit eſſe regula fidei: nam ubi tandem eſt verbum Dei non ſcriptum? aut quomodo purum, & incorruptum ad nos uſquè pervenit? Reſpondeo. Nego Antecedens. Scriptura enim & traditio comparari invicem poſſunt: nam utraque Divina eſt, utraque infallibilis, utraque ſummam habens authoritatem. Quare ſi præcisè ſpectetur authoritas, una regula nihil habet ſupra alteram. Sed in multis traditio præſtare videtur Scripturæ. Nam 1°. Traditio Scripturâ antiquior eſt, in lege enim naturæ, in quâ vixit Abraham Pater credentium, fuit fides ſine Scripturâ: Ergò ante Scripturam fuit traditio, quæ primorum parentum fidem fundaret. Prima & naſcens Chriſti Eccleſia aliquot annis viguit fortis in fide, neque tamen Scripturam Apoſtolicam ante habuit, quàm à Matthæo Evangelium ſcriberetur. 2°. Traditio authoritatem tribuit Scripturæ, Divinitatem ejus notificando: nam Libros Scripturæ habemus eſſe Divinos, præſertim viâ traditionis. 3°. Traditio dat Lucem Scripturæ, & verum illius ſenſum aperit, nimirùm Prophetæ & Apoſtoli quod obſcurè ſcripſerant, interrogantibus fidelibus aliquandò interpre-

Comparatio traditionis cum Scripturâ.

Traditionis ſupra Scripturam excellentia.

tabantur, eaque interpretatio non minoris authoritatis erat, quàm ipse Textus. Est igitur Traditio, interpretatio quædam Divina, & Divinus Commentarius Scripturæ. Quod verò objiciunt Hæretici, traditionem conservari non posse puram & incorruptam, prorsus inane est; pertinet quippè ad providentiam Dei, ut in ipsius Ecclesiâ, non minùs, quàm Scriptura ipsa, pura & incorrupta servetur. Accedit quòd, ad conservationem traditionis multa juvant, ut scripta veterum, continuus Ecclesiæ usus, monumenta quædam externa, & quæ subindè exoriuntur hæreses. Hinc enim fit, ut in singulis ætatibus Catholici diligenter investigent Doctrinam Ecclesiæ, & Traditiones antiquas, easque magnâ diligentiâ posteris commendent. Nimirùm idem faciunt nostri homines, quod perpetuò litigantes, qui diligentissimè custodire solent instrumenta, & Litteras, quibus jus suum contineri putant.

Objicies 4°. Traditiones quas Divinas appellamus, humanæ sunt; nam eæ à Prælatis, à Conciliis, ab Ecclesiâ venerunt, non à Deo. Respondeo. Nego Antecedens. Nam præter traditiones Ecclesiasticas, quæ propriè Divinæ non sunt, quia Deus per Ecclesiam propriè non loquitur, sunt aliæ traditiones „ quæ ab ipsius Christi ore (ut loquitur Tridentinum) ab Apostolis acceptæ, aut ipsis Apostolis à Spiritu Sancto dictatæ, quasi per manus traditæ, ad nos usquè pervenerunt; easque traditiones, sive ad mores, sive ad fidem pertinentes, tanquàm ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continuâ succes-

In Dec. de Can. script. sess. 4.

ſione in Eccleſiâ Catholicâ conſervatas, pari „ pietatis affectu, quo Scripturæ libros, ſuſcipit „ ac veneratur Sacroſancta Synodus. Sunt ergo „ tres ſpecies traditionum. Aliæ, quas immediatè divinas appellare poſſumus, quòd ab ore Chriſti qui Deus eſt, immediatè veniant. Aliæ Apoſtolicæ, quæ non à Chriſto immediatè, ſed ab Apoſtolis Dei nomine loquentibus, Spiritu Sancto dictante, profectæ ſunt. Aliæ demùm Eccleſiaſticæ; quæ nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed ab Eccleſiâ originem habent, Spiritu quidem Sancto illas ſuggerente, ſed per Eccleſiam non loquente. Cavendum autèm eſt diligenter, ne iſtæ traditionum ſpecies confundantur, Eccceſiaſticæ cum Apoſtolicis, aut Apoſtolicæ cum immediatè divinis. Eſt enim magni momenti alias ab aliis benè diſcernere, & proprios characteres habere ſingularum.

Tres ſunt ſpecies traditionum. Immediatè divinæ, Apoſtolicæ, Eccleſiaſticæ.

ARTICULUS II.

Explicantur notæ & characteres ſingularum traditionum.

THeſis 1ª. Multiplici notâ haberi poſſunt traditiones immediatè divinæ. Explicatur & probatur. 1ª Nota eſt ipſa traditionum frons & ſpecies, ſi nimirùm ad nos uſquè venerint tanquàm à Chriſto immediatè acceptæ, & hoc ipſo clarè dicant ſe eſſe à Chriſto: nam ſicut ſcripſerunt Apoſtoli, ità interdum vivâ voce dixerunt, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Altera nota eſt conditio materiæ

Nota multiplex traditionum immediatè divinarum.

1a Ad Cor. c. 11.

circa quam traditiones versantur : nam si materia traditionum non subjaceat Apostolorum, aut Ecclesiæ potestati, certum est traditiones esse immediatè divinas ; cujusmodi sunt traditiones multæ, quæ spectant substantiam Sacramentorum. 3ª. Nota est consensus Patrum : nam si Patres conveniant traditionem aliquam à Christo esse, tenenda est pro traditione immediatè divinâ. 4ª. Nota est sensus & determinatio Ecclesiæ ; illa enim traditio immediatè divina est, quam Ecclesia credit immediatè divinam esse.

Earundem veri characteres.

Thesis 2ª. Multi sunt characteres traditionum immediatè divinarum. Explicatur & probatur. Primus character est immutabilitas & perpetuitas : traditiones enim immediatè divinæ, perpetuæ sunt, & immutabiles. Nam, vel sunt traditiones fidei, vel traditiones morum ; Si sunt traditiones fidei, patet perpetuas esse ; quia, verbum Domini manet in æternum, & omnis divina revelatio, hoc ipso quod divina est, necessariam habet & perpetuam veritatem. Si sunt traditiones morum, perpetuitatem habent ex illo generali Christi edicto, *Cœlum & terra transibunt, verba autèm mea non transibunt.* Et verò, traditiones omnes à Christo immediatè venientes, in Ecclesiâ Catholicâ integræ adhùc & intactæ perseverant, adeò ut nullam Ecclesia abrogaverit ; sive quia abrogare non vult, propter reverentiam Domini ; sivè quia abrogare non potest, Christo talem potestatem non faciente. Fateor tamen potuisse à Christo fieri Ecclesiæ talem potestatem, quia non est contra rationem legis divinæ quòd mutetur, aut abro-

getur. Lex enim Moſaica divina erat, eademque abrogari potuit, & reipſâ fuit in multis abrogata. Secundus character eſt Univerſalitas. traditiones enim immediatè divinæ, ſeu fidei, ſeu morum, univerſales ſunt: Traditiones quidèm fidei, quia fides toti Eccleſiæ communis eſt; traditiones verò morum, quia Chriſtus, totius Eccleſiæ caput & legiſlator, leges ſuas toti Eccleſiæ communes eſſe voluit. Tertius character eſt vis directiva: nam, ſi ſunt traditiones fidei, dirigunt fidem noſtram, ſi traditiones morum, valent ad mores dirigendos, vel per modum præcepti, vel per modum conſilii.

Theſis 3ª. Multiplici notâ haberi poſſunt traditiones Apoſtolicæ. Explicatur & probatur. 1ª. Nota eſt ipſa ſpecies traditionum, ſi nimirùm traditiones ferant ſe pro Apoſtolicis; nam quemadmodùm ſcripſerunt Apoſtoli, ità interdùm ſine ſcripto dixerunt, *Viſum eſt Spiritui-Sancto, & nobis.* Altera nota eſt conditio materiæ circa quam traditiones verſantur; nam ſi traditiones verſantur circa materiam, quæ Chriſti diſceſſum præſupponant, argumentum ferè eſt, traditiones ab Apoſtolis eſſe, non à Chriſto; cujuſmodi ſunt traditiones de memoriis Martyrum, de cultu Reliquiarum, &c. 3ª Nota eſt conſenſus Patrum. Id enim de quo Patres concordiſſimè loquuntur, ut de dogmate Catholico, ſi neque inveniatur in Scripturâ, neque ſciatur à Chriſto immediatè revelatum, pro Apoſtolicâ traditione tenendum eſt, cujuſmodi eſſe poteſt traditio de divinitate Scripturæ Apoſtolicæ. 4ª. Nota eſt Eccleſiæ ſenſus; nam ut ait Aug. l. 4.

Traditionum Apoſtolicarum notæ.

de Bapt. contra Donatiſtas, c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum eſt, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolicâ authoritate traditum rectiſſimè creditur.* Exemplum eſſe poſſit jejunium quadrageſimæ. Obſerva tamen ſæpe confundi ab ipſis etiàm Patribus traditiones Apoſtolicas cum traditionibus immediatè divinis: quia nimirum vix ſcire poſſumus quid Chriſtus ipſe proprio ore Apoſtolis dixerit, & quid Spiritui-Sancto dicendum reliquerit. Sed ea confuſio nihil nocet fidei noſtræ; traditiones enim, ſive à Chriſto immediatè veniant, ſive ab Apoſtolis dictante Spiritu-Sancto, divinam authoritatem habent.

Earumque proprii caracteres.

Theſis 4ª. Traditiones Apoſtolicæ partim characteres habent traditionum immediatè divinarum, partim non habent. Sunt duæ partes. 1ª. Difficultatem non habet, quia aliquæ ſaltèm traditiones Apoſtolicæ, ſunt traditiones fidei, ejuſmodi autèm traditiones æquè perpetuæ ſunt & univerſales, nec minoris authoritatis, quam immediatè divinæ. 2ª Verò pars, in quâ plus difficultatis eſt, probatur. Quia inter traditiones Apoſtolicas multæ ſunt traditiones morum, traditiones autèm morum Apoſtolicæ non habent omnes characteres traditionum immediatè divinarum. Nam 1º traditiones morum Apoſtolicæ ex genere ſuo mutabiles ſunt, traditiones enim non ſcriptæ mutabilitati non minùs ſunt obnoxiæ, quàm traditiones ſcriptæ: Atqui traditiones Apoſtolicæ ſcriptæ obnoxiæ ſunt mutabilitati, aliquæ enim reipſâ mutatæ & abrogatæ ſunt, ut facilè demonſtrari poteſt contra quoſdam laudatores

temporis acti, & importunos reformatores, quibus revocari placeret quidquid olim sanctè institutum fuit. 2°. Traditiones morum Apostolicæ, non omnes sunt universales; Apostoli enim, nec eadem omnes, nec omnibus eadem tradiderunt; atque hinc profectæ sunt diversæ diversarum Ecclesiarum consuetudines: ità, Exempli causâ, ex Apostolicâ institutione in Occidente jejunabatur Sabbato, in Oriente non jejunabatur; de quâ non jejunandi consuetudine sic loquitur Martyr Ignatius in Epist. ad fideles Philadelphiæ, *Si quis Sabbato jejunaverit, præterquàm uno solo, interfector Domini est.*

Objicies. Traditiones Apostolicæ sunt traditiones divinæ, Deus enim per Apostolos, & loquebatur, & præcipiebat, Ecclesia autèm abrogare non potest traditiones divinas. Respondeo 1° non omnes traditiones ab Apostolis venientes divinas esse, sed illas solùm, quas Apostoli tradiderunt Spiritu-Sancto dictante, & per ipsos loquente. Quare traditiones aliquæ Apostolicæ, humana dumtaxat præcepta sunt, quia interdùm Apostoli præceperunt nomine suo, non Dei, ut Paulus ipse testatur 1ª ad Cor. c. 7. *Dico ego, non Dominus*; ea verò præcepta nihil mirum est, si Ecclesiæ potestati subjaceant. Respondeo 2°. traditiones Apostolicas etiàm divinas abrogari posse ab Ecclesiâ, ut ex eo patet, quòd multæ etiàm scriptæ abrogatæ sint. Nam 1°. Visum erat Spiritui-Sancto & Apostolis, ut fideles abstinerent à sanguine & præfocatis carnibus; elegerant nimirùm Apostoli rem facilem, in quâ

Ecclesia abrogare potest traditiones Apostolorum non modò humanas.

Sed etiàm divinas.

obſervandâ cum Iſraëlitis gentes concordarent; ſed quis jàm hoc Chriſtianus obſervat, inquit Auguſtinus. 2°. Ex Apoſtoli præcepto fluxerat mos ille in Eccleſiâ receptus, ut fideles finitis precibus, viri viros, & fæminæ fæminas ſe mutuò oſcularentur; ſed graviſſimis de cauſis mos ille nunc ſublatus eſt, & fraterno oſculo, ſacræ tabellæ, aut crucis oſculum ſuccedit. 3°. Apoſtolicæ inſtitutionis erant Agapes, ſeu convivia illa communia celebrari ſolita à fidelibus poſt Sacramentorum communionem; ſed contra illum morem declamarunt Ambroſius, & Auguſtinus; nec acquieverunt viri Sancti, donec fidelibus communes illas menſas ſubtraxerint. Sufficiant hæc, ut appareat traditiones Apoſtolicas mutabiles eſſe.

Quomodo id poſſit Eccleſia.

Inſtabis: Non apparet in quâ poteſtate traditiones Apoſtolicas Eccleſia abrogaverit; ergo abrogatio illa abuſus eſt, non uſus legitimæ poteſtatis. Reſpondeo cum Auguſtino, audi quod ſcriptum eſt, *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*; Dupliciter autem intelligi poteſt, quomodo Eccleſia diſpenſare potuit etiàm in lege ſui ſuperioris. 1°. Si poteſtatem faciat ſuperior diſpenſandi in ſuâ lege, eamque abrogandi. 2°. Si lex dicatur eſſe conditionata, & importare tacitam hanc clauſulam. *Niſi aliud Eccleſiæ videbitur pro opportunitate temporum.* Quamvis autèm nulla ſit obligatio faciendi rem traditione Apoſtolicâ jam abrogatâ præceptam, ſupereſt tamen ſemper obligatio credendi fuiſſe rem olim ſanctè & prudenter inſtitutam. Ratio eſt, quia ſicut tenemur aſſentiri Deo aliquid teſtificanti, ità

quidquid ille præceperit, tenemur credere rectè fuisse præceptum, neque enim in præcipiendo minùs prudens & justus est, quàm sapiens & verax in loquendo. Unde pacis osculum sanctè quis in salutatione prætermittet, quia consuetudo salutandi se in osculo sancto jàm abrogata est; sed malè quis diceret consuetudinem illam non rectè fuisse introductam.

Thesis 5ª. Duplici præsertim notâ haberi possunt traditiones Ecclesiasticæ. Explicatur & probatur. 1ª est nota temporis. Nam si traditio aliqua longè post tempora Apostolorum initium habere inveniatur, clarum est eam, nec Apostolicam esse, nec immediatè divinam, ac proindè Ecclesiasticam esse. Altera est nota Authoris. Si enim traditionis author inveniatur esse, aut Prælatus, aut Pontifex, aut Synodus aliqua, traditio censeri debet Ecclesiastica. Moneo tamen magnâ cautione hîc opus esse, nam aliqua interdùm videntur à Conciliis, aut Pontificibus instituta, quæ ab ipsis instituta non sunt; sed restituta; ab Apostolis enim suam originem trahunt.

Traditiones Ecclesiasticæ quas notas habeant.

Thesis 6ª. Traditiones Ecclesiasticæ diversos characteres habent. Explicatur & probatur. Nam 1°. traditiones Ecclesiasticæ quæ circa fidem versantur, non sunt revelationes divinæ, sicut sunt traditiones fidei ab Apostolis, aut à Christo immediatè venientes; sunt enim tantùm explicationes & declarationes revelationum divinarum, quia Deus per Ecclesiam propriè non loquitur, nec facit Ecclesia revelationes novas, sed declarat antiquas. 2°. Traditiones Ecclesiasticæ mutabiles sunt, quidni

Et quos caracteres.

enim posset abrogare Ecclesia leges, quas ipsa tulit, cùm & hoc ipsum possint cæteræ communitates. Nec tantùm mutabiles sunt, sed interdùm reipsâ mutantur; in quâ tamen mutatione nihil est inconstantiæ aut levitatis, sed mira prudentia Ecclesiæ, servientis loco & tempori, fideliumque infirmitati condescendentis. 3°. Traditiones Ecclesiasticæ non omnes universales sunt; sunt enim aliquæ privatarum Ecclesiarum consuetudines æquè servandæ, juxtà illam Ambrosii regulam, quam refert Augustinus Epist. 118. ad Januarium, *cum Romam venio*, inquit, *jejuno Sabbato, cum hîc sum*, id est Mediolani, *non jejuno.*

Traditioni Ecclesiasticæ qui obstinato contradicit hæreticus est præsumptivè dumtaxat & consequenter.

Objicies: Qui contradicit traditioni Ecclesiasticæ habetur pro hæretico; ergo traditiones Ecclesiasticæ divinæ sunt, nec minoris authoritatis, quàm Apostolicæ. Respondeo. Nego Consequentiam. Nam qui obstinatè contradicit traditioni Ecclesiasticæ consequenter tantùm, aut præsumptivè Hæreticus est, quatenùs consequenter negat, aut negare præsumitur esse in Ecclesiâ potestatem sanciendi leges, quæ potestas ad fidem pertinet, & dogma Catholicum est: quo ferè modo ex Tridentino, qui excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter perseverat, & ut Jura loquuntur, insordescit, fit suspectus de hæresi, quia vehementem suspicionem dat, se non credere esse in Ecclesiâ potestatem excommunicandi. Traditiones igitur Ecclesiasticæ magnam venerationem habent, adeò ut ne minimæ quidem, etiam illæ quas hæretici, *Pædagogicas*, seu, *Pueriles*, appellant, contemnendæ sunt,

ſint, quia, & illis minimis pulchritudo ſponſæ continetur, ſuperciliorum inſtar, quæ ſi fortè detraxeris, quàm parum corpori, & quantùm pulchritudini detraxeris. Nolim tamen iſta omnia transferri ad privatarum Eccleſiarum traditiones quaſdam, in quibus, nec fides, nec Eccleſiæ authoritas periclitatur; quamquàm & in his quoque piæ populorum credulitati acquieſcendum magis, quàm contradicendum puto. Si ergo viro Docto appareat evidens falſitas, abundet ille in ſuo ſenſu, & quaſi in ſinu rideat, ſed nemini litem faciat, ſubſannet neminem. Vetant inſuper prudentes, in eo genere rerum nimis eſſe curioſum, quia ſunt interdùm ejuſmodi, ut ſi duriùs emungas, elicias ſanguinem, ſi altiùs effoderis, pro ſperato theſauro, nihil occurrat niſi putridum cadaver.



QUÆSTIO VII.

De viâ duplici cognoſcendæ veræ Doctrinæ Chriſti in Scripturâ & traditione contentæ.

IN ipſâ Eccleſiâ Romanâ, quæ eſt verâ Chriſti Eccleſia, litigatur quidèm de Doctrinâ Chriſti, ut litigatur in Eccleſiis hæreticorum; ſed lites, quæ in Eccleſiis hæreticorum perpetuæ ſunt, in Eccleſiâ Romanâ ex infallibilibus regulis deciduntur, & habeat fideles certi aliquid, in quo acquieſcant. Pro decidendis con-

troversiis de Doctrinâ Christi. Regulæ autèm illæ Ecclesiasticæ duæ sunt; una mortua, altera viva. Mortua, dicitur sensus Patrum qui jam vixerunt. Viva, dicitur sensus Ecclesiæ præsentis.

Regulæ duæ.

CAPUT PRIMUM.

Statuitur & explicatur prima Regula quæ est sensus Patrum.

Prima Regula, est sensus Patrum.

Quid Patrum nomine veniat.

PRæmitto 1°. Patrum nomine venire antiquos Doctores, quorum & scripta laudantur, & memoria in benedictione est, propter eximiam vitæ sanctitatem, & perpetuam communionem cum Ecclesiâ Romanâ; ità ferè Papa Gelasius, qui plerosque Patrum nominat, ut Cyprianum, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Prosperum, Leonem, aliosque multos. Quare, ut quis inter Patres numerari possit, quatuor omninò requiruntur. Primum est antiquitas, hanc enim sonat ipsum nomen Patris. Alterum est eminentia Doctrinæ, sunt enim Patres instructores & Doctores Ecclesiæ. Tertium est excellens sanctitas, quæ ad faciendam fidem plurimùm valet. Quartum, perpetua & constans ad mortem usque communio cum Ecclesiâ Romanâ, quam, qui non habuerit, non tàm pro Patre, quàm pro extraneo habendus est.

Quid requiratur ut quis inter Patres numerari possit.

Præmitto 2°. Sensum Patrum cadere posse dupliciter in objectum aliquod. 1°. Quidèm in objectum nudè sumptum, præscindendo à revelatione Dei, cùm scilicet Patres ex privato

Sensus Patrum in objectum cadere potest

ſuo ſenſu aſſerunt aliquid eſſe ; de quo ſenſu Patrum nihil hîc ad nos. 2°. In objectum proùt affectum eſt revelatione Dei, cùm ſcilicet Patres aliquid aſſerunt à Deo eſſe revelatum, & in Doctrinâ Chriſti contentum ; de quo ſenſu quærimus, an ſit infallibilis regula pro diſcernendâ verâ Chriſti Doctrinâ.

vel nudè ſumptum vel divinâ revelatione affectum.

Præmitto 3°. Patres poſſe accipi, vel omnes ſimul, vel ſingulos ſeorſum. Nam fit interdùm, ut conſentiant omnes, aut ferè omnes, aliquid in Doctrinâ Chriſti contineri, interdùm in duas veluti partes æquales dividuntur : aliquandò, unus, vel pauci revelationem aſſerunt, idque cæteris, vel contradicentibus, vel tacentibus. Dicamus 1°. De unanimi ſenſu Patrum, deindè dicemus de ſenſu ſingulorum.

Poſſunt Patres accipi vel omnes ſimul, vel ſinguli ſeorſum.

ARTICULUS I.

De unanimi ſenſu Patrum.

THeſis unica. Unanimis ſenſus Patrum eſt infallibilis regula ad diſcernendam veram Chriſti Doctrinam, ſeu ſcripturâ, ſeu traditione contentam. Probatur. Quia quidquid Patres unanimi conſenſu dicunt pertinere ad Doctrinam Chriſti, reipſâ pertinet, quidquid verò dicunt Doctrinæ Chriſti repugnare, reipſâ repugnat, idque infallibiliter. Infallibilitas autèm iſtius conſenſûs Patrum, multiplex eſt, & ex multiplici capite venit. Alia eſt antecedens, alia conſequens. Antecedentem appello, quæ habetur ante uſum & approbationem Eccleſiæ. Conſequentem, quæ

Unanimis ſenſus Patrum pro diſcernendâ verâ Chriſti Doctrinâ eſt infallibilis.

per usum & approbationem Ecclesiæ tribuitur.

Infallibilitate antecedente tùm intrinsecâ quæ venit ex ipsâ rei naturâ.

1°. Igitur est infallibilitas Patrum antecedens, eaque duplex; alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca dicitur, quam habet consensus Patrum ex ipsâ naturâ rei, quatenùs scilicet fieri non potest moraliter, ut Patres omnes in errorem consentiant. Nam Patres fuerunt omnes egregiis naturæ & gratiæ dotibus instructi, intelligentiâ rerum divinarum, & studio fidei insignes, quorum aliqui, antiquiores nimirùm, coætanei fuerunt Apostolis, aut Apostolorum discipulis, cæteri verò deinceps ab istis fuerunt eruditi. Interfuerunt iidem frequentibus Ecclesiæ Conciliis, in quibus veram Ecclesiæ Doctrinam, etiàm circa ea quæ nondùm definita & omnibus proposita erant, observare potuerunt. Aliundè cum sanctitatem & prudentiam haberent omnibus notam, præsumendum est in dogmatibus fidei asserendis cautissimos eosdem, & consultissimos fuisse, nec quidquam dedisse pro divino, nisi prævio maturo examine, & Ecclesiæ sensu benè consulto. Habet igitur consensus Patrum infallibilitatem quandam moralem intrinsecam, ac proindè magnum credibilitatis argumentum est, & sufficiens propositio revelationis ad inducendam obligationem credendi: ea enim propositio sufficiens est, per quam fit, ut prudenter dubitari non possit de revelatione; sed consensus Patrum est propositio, per quam fit, ut prudenter dubitari non possit de revelatione, ergo &c.

Tùm extrinsecâ quæ venit

Infallibilitas verò extrinseca, eademque antecedens, venit ex promissione Christi, quâ promisit facturum se, ne Patres in erro-

rem conſentiant ; nam ea promiſſio omninò credibilis eſt , tùm quia voluit Chriſtus , ut Doctrina ſua per omnes ætates fideliter in Eccleſiâ traderetur , eamque promiſit fideliter in Eccleſiâ tradendam ; ſed ſi fortè Patres omnes errarent in traditione Doctrinæ Chriſti , jàm Doctrina Chriſti non traderetur fideliter in Eccleſiâ : ergo promiſit Chriſtus facturum ſe , ne Patres omnes errarent in traditione Doctrinæ ſuæ. Tùm quia Eccleſia cuſtos promiſſionum Chriſti agnoſcere videtur iſtam promiſſionem , quatenùs pro hæreticis habet, quicumque communi Patrum ſenſui contradicere audent. 2°. Eſt quædam Patrum infallibilitas conſequens , quæ per uſum & approbationem Eccleſiæ tribuitur ; nam Eccleſia infallibilis , & Patres ſequitur , & declarat ſequendos. Id quod patet ex conſtanti praxi Conciliorum Generalium , in quibus. 1°. Diligenter exquiritur ſenſus Patrum , productis pro re controverſâ in utramque partem illorum teſtimoniis. 2°. Profitentur Epiſcopi ſequi ſe fidem Patrum , & quod de Nicænis teſtatur Athanaſius , *Non ſibimetipſis voces excogitant , ſed eas à Patribus conteſtatas accipiunt* , ſuiſque inſerunt definitionibus. 3°. Decernunt tenendam eſſe ab omnibus Chriſtianis Patrum Fidem, de-« finientes , condemnatum eſſe , & alienum Sanctæ « Dei Eccleſiæ , quiſquis non ſuſceperit verbo & « mente Venerabiles Patres , cunctaque quæ ab « illis pro Fide Orthodoxa expoſita ſunt in de-« ſtructionem omnium Hæreſum. Ità Martinus I. « in Concilio Romano conſultatione 5. citans in ſuam ſententiam verba Concilii Oecume-

ex promiſſione Chriſti.

Infallibilitate item conſequente quæ per uſum & approbationem Eccleſiæ tribuitur.

Epiſt. ad Afroſ.

nici V. idem definientis. 4°. Prohibent sub pænâ Anathematis, ne quis contra unanimem sensum Patrum Scripturam interpretari audeat, ità Concilium Tridentinum. Ergo unanimis sensus Patrum est regula infallibilis, infallibilitate petitâ ex usu & approbatione Ecclesiæ; nam si fortè Patres omnes errarent, jam Ecclesia erraret, seu cùm illos sequeretur, seu cùm declararet sequendos.

In Dec. de edit. & usu Sac. Lib. Sess. 4.

Objicies. 1°. Ut consensus Patrum sit regula infallibilis, pro discernendâ verâ Doctrinâ Christi, vel necesse est, ut omnes omninò omnium temporum Patres conveniant, discordante nullo; vel non est necesse, ut omnes omninò conveniant, sed sufficit certus aliquis Patrum numerus: Si primum, regula data, & valdè difficilis est, & satis inutilis; difficilis quidèm, quantus enim labor est in omnibus Patribus evoluendis; inutilis verò, quia vix aliquid est, in quo omnes omninò conveniant. Si secundum, determinandum superest quantus præcisè numerus Patrum requiratur, & sufficiat. Respondeo. Ut habeatur consensus Patrum infallibilis, nihil necesse est, ut omnes omnium temporum Patres conveniant, nec si unus, vel pauci dissenserint, propterea desinit esse consensus cæterorum infallibilis, quâ de re, quia gravissima est. Dico ulterius 1°. Si omnes omnium temporum Patres in aliquo consenserint, dubium esse non debet, quin ille omnium consensus sit infallibilis: nec verò adeò rarum est consentire omnes, vel positivè, vel negativè, nec in omnibus consulendis labor est insuperabilis; nam si præcipua Patrum Ca

Determinatur quinam Patrum consensus unanimis sit & sufficiens ad obtinendam infallibilitatem

pita consentientia sint, rarò contingit alios minores Patres dissentire. Dico 2°. Sufficere absolutè consensum eorum Patrum, qui antè quintam Synodum Oecumenicam vixerunt; nam illos ipsa quinta Synodus toti Ecclesiæ sequendos decrevit. Dico 3°. Necessarium non esse, ut omnes illi consentiant, discordante nemine, iste enim consensus non Metaphysicè, sed moraliter accipiendus est. Dico 4°. Quinam Patrum numerus præcisè sufficiat, & requiratur ad infallibilitatem obtinendam, difficillimum est statuere, ne dicam impossibile; ut ferè contingit in iis, quæ moraliter æstimanda sunt, & prudentum judicio relinquuntur; difficile tamen non est designare tantam turbam, quâ numerosior non requiratur. Dico 5°. Si Patres, quod rarò contingit, æquali ferè numero dissentiant, neuter illorum sensus infallibilis est, uter autem verus sit, Ecclesiæ est determinare. Dico 6°. Si pauci Patres aliquid asserant tanquàm revelatum, tacentibus & non contradicentibus cæteris, ille quidem paucorum sensus, non est regula infallibilis, nisi fortè res ejusmodi sit, ut silentium cæterorum haberi debeat pro consensu tacito & interpretativo, ille tamen paucorum sensus, cum silentio cæterorum, magnum est argumentum veritatis; nam quòd cæteri sileant in re magni momenti, signum est, vel consentire ipsos, vel certè dubitare; quia si clarè viderent falsam aliquam revelationem supponi pro verâ, reclamarent, & contradicerent.

Objicies 2°. Consensus Patrum est consensus hominum fallibilium, consensus autèm

Patres quamvis

singuli sint fallibiles, habent tamen omnes simul sumpti infallibilitatem quandam moralem ab intrinseco venientem: habent & Metaphysicam, sive ex promissione Christi, sive ex Ecclesiæ approbatione.

hominum fallibilium, non est infallibilis. Respondeo. 1°. Quamvis Patres singuli sint homines fallibiles, consensus tamen omnium infallibilis est, infallibilitate saltèm morali, quia moraliter loquendo fieri non potest, ut omnes in errorem conveniant. Respondeo 2°. Quamvis consensus omnium Patrum supponanatur esse ab intrinseco fallibilis, habere tamen infallibilitatem extrinsecam, sive ex promissione Christi, sive ex usu & approbatione Ecclesiæ petitam.

Instabis. Singuli Patres errare possunt, ergo & omnes; nam quis credat ex partibus quarum singulæ fallibiles sint, consurgere posse totum aliquod infallibile. Respondeo. Nego consequentiam apertè falsam. Nam ex ipsâ naturâ rei difficilius est errare omnes, quàm singulos. Hinc fit, ut in judiciis humanis quò plura sunt testimonia, eò majorem fidem faciant, & quamvis non convincant singula seorsum, omnia tamen simul sumpta convincant. Sed cùm ista Patrum infallibilitas sit præsertim ab extrinseco, sive ex promissione Christi, sive ex usu & approbatione Ecclesiæ; dico, tàm promissionem Christi, quàm usum & approbationem Ecclesiæ, cadere in consensum omnium Patrum, non in privatum sensum singulorum, ac proindè omnes simul infallibiles esse, non singulos.



ARTICULUS II.

De sensu singulorum Patrum.

THesis Unica. Sensus Patrum singulorum non est regula infallibilis, ad discernendam veram Christi Doctrinam. Probatur. Quia nullus Patrum seorsum infallibilis est, nulli promissa est infallibilitas, nullius sensum in omnibus Ecclesia approbavit. Quare verissimum est illud Hieronymi Epistolâ ad Ctesiphontem, *Aliter*, inquit, *habendi sunt Apostoli, aliter reliqui tractatores, illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit.* Confirmari potest. Quia ferè singuli Patres in quibusdam erraverunt, & notantur errores singulorum veluti *Luminarium defectus.* Erravit v. g. Irenæus, putans Christum mortuum fuisse anno ætatis suæ Quinquagesimo. Erravit Cyprianus in Hæreticis Rebaptisandis. Erravit Hieronymus in aliquâ parte Danielis rejiciendâ. Errarunt Hilarius, Ambrosius, Augustinus, asserendo Angelos esse corporeos. Errarunt alii in aliis. Sed in erroribus Patrum notandis quantùm exultare solent, & lascivire impudentes hæretici, vera progenies maledicti illius Chami, qui ignominiam Patris Fratribus ludum faciebat, tantùm commendare se debet pudor & modestia Catholicorum in iisdem tegendis, dissimulandis, excusandis, nec nisi obiter considerandis, ut ex ipsorum consideratione errorum triplex ista veritas habeatur. 1ª Debere quemlibet sapientem diffidere

Sensus Patrum singulorum non est infallibilis.

Et singuli ferè in aliquo errarunt.

Facund. Herm l. 6.

Errores illorum modestè & reverenter notandi sunt.

Quos in fines valeant.

plurimùm ingenio suo, quis enim videns Patres alicubi cecidisse, prudenter præsumat stare se posse in omnibus. Altera. In nullius privati Doctoris verba omnia jurandum esse, seu neminem privatum sequendum esse in omnibus, quia nemo in errore sequendus. 3° Nullum Sanctorum Patrum præferri, aut æquari oportere omnibus Patribus simul sumptis, singuli enim in aliquo errare possunt, omnes simul non possunt.

De authoritate Augustini.

Qui summam tribuit, Augustino contradicit.

Objicies 1°. Augustini sensus est regula infallibilis; nam quis credat in discernendâ Christi Doctrinâ errare potuisse talem ac tantum virum, qui & à Conciliis Generalibus Approbationem Generalem, & à Summis Pontificibus valdè singularem habuit. Respondeo. Nego Antecedens. Augustino enim qui summam authoritatem tribuunt, Augustino ipsi contradicunt: nam ille de bono perseverantiæ c. 21. *Neminem*, inquit, *velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio Libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse; quandoquidem arrogantiùs loquar, quàm veriùs, si vel nunc dicam me ad perfectionem sine ullo errore scribendi, etiam in istâ ætate venisse.* Hæc Augustinus sub finem ætatis, modestè quidèm, sed tamen verè; nam undè haberet Augustinus infallibilitatem. Non 1°. Ex naturæ aut gratiæ donis, quibus insigniter quidèm ornatus est, sed non exemptus à con-

Infallibilitatem non habet ex naturæ, aut gratiæ donis insignibus.

ditione mortali, mendacio & errori obnoxiâ. Non 2°. Ab Ecclesiæ approbatione generali, talis enim approbatio Augustino communis est cum multis aliis Patribus, nec est definitio Ecclesiæ excurrens per singula Doctrinæ capita, alioquin, ut benè ratiocinatur Tostatus, definiret simul Ecclesia propositiones contradictorias, quatenùs Doctores pugnantia loquentes, putà Augustinum, & Hieronymum, generaliter approbavit; nec profectò eundo per singulas sententias, vel uni Augustini Libro examinando, Ecclesia intra ducentos annos congregata sufficeret. Non deniquè infallibilitatem habet Augustinus ex singulari quâdam approbatione Ecclesiæ, talis enim approbatio infallibilitatem tribuens nunquàm fuit; non quidèm quoàd omnia Augustini Scripta, ut ferè fatentur omnes; sed neque quoàd omnia illa, quæ contra Pelagianos scripsit; nam eæ sententiæ ex Augustino deprompta, quas Ecclesia ratas habet, Celestini Capitulis comprehenduntur omnes, profundiores verò quæstiones, quæ latiùs pertractantur, nihil necesse judicavit Celestinus adstruere, ut testatur ipsemet in Epistola ad Episcopos Galliæ. Falsum igitur est quod aiunt aliqui novatores, quæcumque scripsit Augustinus, Ecclesiam suæ Authotatis firmata pondere, & munita sigillo tradidisse fidelibus, & singula eo numero ac veritatis gradu retineri voluisse, in quo ab ipso Augustino collocata sunt; manetque semper juxta Tostatum ulterior Inquisitio, verumne, an falsum sit, quod præcisè dixerit Augustinus; sed faciendum est, ut ea Inquisitio honoris & reverentiæ plena sit.

Non ex Ecclesiæ approbatione generali.

Defens. p. 2. c. 81.

Non deniquè ex approbatione singulari Ecclesiæ.

Defens. p. 2. c. 81.

Quanta sit authoritas Augustini ex approbatione Ecclesiæ.

Instabis. Ergò approbatio Ecclesiæ Augustino data, seu generalis, seu singularis quæcumque illa sit, prorsùs inutilis est, & nullam Augustino tribuit Authoritatem. Respondeo. Nego Consequentiam. Neque enim cùm infallibilitas negatur Augustino, propterea omnis ei authoritas detrahitur, aut fit inutilis approbatio Ecclesiæ Augustino data. Nàm, generalis quidèm approbatio quantùm valeat, eruditè explicat idem Tostatus, totum valorem revocans ad quatuor Capita. 1°. Igitur Ecclesia approbans Augustini Libros dat eo ipso facultatem legendi Libros, quos approbat. 2°. Addit illis commendationem utilitatis. 3°. Amovet ab Authore suspicionem hæresis voluntariæ. 4°. Authorem commendat eo gradu, ut allegatus probabilitatem faciat sententiæ alicujus, seclusâ etiàm ratione; quâ in re plus tribuitur Augustino, quàm ipse sibi, aut aliis tribueret. Nam Epistolâ 19. ad Hieronymum, *Alios*, inquit, *ità lego, ut quantâlibet Sanctitate Doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ità senserunt ipsi, Sed quia mihi, vel per Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Qualis autem erat Augustinus in scriptis aliorum, tales volebat esse intellectores suorum. Ex singulari verò approbatione Summorum Pontificum, totque sæculorum præcedentium commendatione, non summam quidèm Authoritatem, sed tamen tantam habet Augustinus, ut in Theologiâ unus esse possit pro multis, nec ab eo putem discedendum esse; nisi, vel Ecclesiæ cogat

Seu generali.

Seu singulari.

Authoritas, vel major aliquis consensus Patrum, vel nova quædam ratio, quam Augustinus non viderit, ut multa sunt quæ videre non potuit; quippè, ut novus orbis, ità novæ quotidiè veritates deteguntur. Laudum Augustini hæc summa est. *Quòd lingua fuit Ecclesiæ*, ut Sanctum Doctorem appellat Petrus Damiani. *Quòd Conciliorum Dux ingeniumque*, ut eum appellat Prosper Aquitanus. *Quòd contra Pelagianos nihil nisi ex Augustini ore ac Verbis decretum fuerit*, ut testantur Summi Pontifices.

De authoritate Sancti Thomæ.

Objicies 2°. Negari saltèm non potest quin infallibilis sit Doctor Angelicus, qui tot miracula fecit, quot quæstiones determinavit, ut de eo pronuntiasse dicitur Joannes XXII. Miracula autèm non fecit errando. Respondeo. Si Magnus Augustinus non est infallibilis, neque infallibilis est Sanctus Thomas Augustini Discipulus, quem appellare solent contractum, seu minorem Augustinum; nimirùm valet hîc illa Christi sententia, *Non est Discipulus supra Magistrum*, sed satis est, si sit, sicut Magister ejus. Quare, quod de Magno Augustino dictum est, de Sancto Thomâ Augustino minore dictum velim, cum proportione tamen, & servato utriusque jure ac merito; neque enim unum alteri æquare velim; & quamvis magnam habeat Authoritatem Sanctus Thomas, videri tamen possit habere minorem Augustino. Quòd pertinet ad Elogia Pontificum data Sancto Thomæ. Dico, approbationes esse dumtaxat generales, non definitiones, quæ cadant in singula Doctrinæ Tho-

Gerson p. 2.

Luc. c. 6.

misticæ capita : nam singula quædam Pontificum Elogia data reperiuntur Sancto Bonaventuræ Doctori Seraphico, qui tamen in multis dissentit à Doctore Angelico.

Citantur meritò Patres.

Objicies 3°. Si singuli Patres errare possunt, non est cur citentur, aut tàm studiosè legantur, cùm neque fidem faciant citati, neque legantur sine aliquo periculo erroris. Respondeo. Nego Antecedens. Citantur enim meritò Patres, quia quamvis Anthoritatem Summam non habeant, habent tamen tantam, ut facere possint fidem probabilem sententiæ suæ. Atque hoc est, quod asserit Sanctus Thomas, *Sacram Doctrinam, seu Theologiam uti Authoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter.* Leguntur verò Patres magno fructu, tùm quia per Lectionem singulorum haberi potest consensus omnium, qui consensus est regula infallibilis, tùm quia ex singulis hauritur vera fidei & morum Doctrina; nam singuli, quamvis non sint infallibiles, paucos tamen errores habent, eosque jàm ferè notorios, & vitari faciles.

Prima parte quæst. 1. art. 8.

Et magno fructu leguntur.

CAPUT II.

Statuitur Altera Regula quæ est Ecclesiæ sensus.

Altera Regula, Ecclesiæ sensus.

DIstinguimus triplicem statum Ecclesiæ; statum diffusionis, statum congregationis & statum adunationis. Est enim Ecclesia per

totum orbem diffusa, omnes fideles complectens. Est itèm Ecclesia in Conciliis Congregata, Prælatis ferè & Pastoribus constans. Est deniquè Ecclesia in capite suo Summo Pontifice magis adunata, & subsistens. De sensu Ecclesiæ secundùm triplicem illum statum consideratæ examinamus hîc, an, & quomodo sit regula infallibilis pro verâ Christi Doctrinâ discernendâ.

Triplex Ecclesiæ status.
Status diffusionis,
Status congregationis,
Status adunationis,

ARTICULUS I.

De sensu Ecclesiæ per Orbem diffusæ.

PRæmitto 1°. Ecclesia quæ per orbem diffusa est, potest accipi, vel totaliter, vel partialiter. Ecclesia partialiter sumpta, est aliqua pars Ecclesiæ per orbem diffusæ; pars autem illa, vel est integralis toti, vel substantialis. Integralis dicitur, quæ ità pertinet ad totum, ut tamen eâ præcisè demptâ non dicatur tolli totum, sed remaneat eadem denominatio totius; quo modo digitus est pars integralis hominis, quia digitus ità est aliquid hominis, ut eo præcisè sublato non tollatur homo. Quo itèm modo unus fidelis, una aliqua Provincia, unum aliquod Ecclesiæ Regnum dici potest pars integralis Ecclesiæ, quia ità est aliquid Ecclesiæ, ut eo præcisè sublato, non tamen Ecclesia tollatur. Pars Substantialis dicitur, quæ ità ad totum pertinet, ut eâ præcisè sublatâ, totum tollatur, quo modo anima est pars hominis, & Ecclesia in quâ est Sedes Petri, & Petro adhærens, est pars Ecclesiæ. Ecclesia sumpta totaliter, est Ecclesia tota, eaque

Ecclesia per orbem diffusa accipi potest vel totaliter, vel partialiter.
Pars Ecclesiæ, alia est integralis toti, alia substantialis.

Ecclesia item tota, vel est integraliter tota, vel tota substantialiter.

vel integraliter, vel substantialiter. Ecclesia integraliter tota, est Ecclesia sumpta cum omnibus suis partibus integrantibus, seu prout omnes fideles complectitur, idque vel Physicè, ità ut nullùs omninò desit, vel moraliter, ità ut pauci tantùm desint. Ecclesia substantialiter tota, est Ecclesia sumpta pro parte principali quæ suscipit denominationem totius, talis est Ecclesia in quâ est Sedes Petri, & Petro adhærens; nam eâ remanente, tota Christi Ecclesia remanere dicitur.

Infallibilitas duplex, una passiva, activa altera.

Præmitto 2°. Duplex concipi potest infallibilitas, una passiva, altera activa. Passiva infallibilitas, est impotentia errandi. Activa, est impotentia proponendi & docendi errorem. Utraque verò infallibilitas, seu activa, seu passiva, pertinere potest ad multiplex quæstionum genus: nam quæstiones aliæ sunt juris, aliæ facti, aliæ ex utroque mixtæ, aliæ nec juris nec facti.

Quid quæstiones juris secundùm acceptionem Theologicam.

Quæstiones juris secundùm Theologicam acceptionem, eæ dicuntur, quæ in Scripturâ aut traditione solutionem habent, cujusmodi est, *an Christus mortuus sit pro solis prædestinatis*: nimirùm jus fidei nostræ in Scripturâ & traditione continetur, quia quæstiones fidei ex solo Dei verbo, seu scripto, seu tradito deciduntur. Hinc sequitur, quæstionem quæ apud Jurisconsultos est quæstio facti, esse posse apud Theologos quæstionem juris, cujusmodi est, *an Herodes occiderit Joannem*; nam ea quæstio apud Jurisconsultos meri facti est, quia ex legibus decidi non potest, apud Theologos est quæstio juris, quia in Scripturâ decisionem habet.

Quid quæstiones facti.

Quæstiones facti dicuntur,

dicuntur, quæ sunt in materiâ contingenti, & in Scripturâ, aut traditione solutionem non habent, cujusmodi est, *an Jansenius dixerit Christum pro solis prædestinatis mortuum esse.* Distingue autèm multiplicem speciem facti, alia enim sunt facta dogmatica, alia non dogmatica. Dogmatica appellantur dogmata privatorum in materiâ fidei; non dogmatica autèm, cætera omnia quæ dogmata non sunt. Inter istiusmodi verò facta non dogmatica, aliqua sunt essentialiter cum fide connexa, alia non ad fidem, sed ad Disciplinam pertinent, alia deniquè, nec ad fidem pertinent, nec ad Disciplinam. Quæstiones mixtæ dicuntur, quæ constant quæstione duplici, unâ juris, alterâ facti; ut si quæratur. An Jansenius propositionem Hæreticam docuerit, fit quæstio mixta, sunt enim in illâ quæstiones duæ, una quæ facti est, scilicet, an Jansenius unam certam propositionem docuerit, Altera quæ juris est, an ea propositio quam docuit Jansenius sit Hæretica. Quæstiones nec juris, nec facti dicuntur, quæ sunt in materiâ necessariâ, & in Scripturâ aut traditione decisionem non habent, cujusmodi est, an sit possibilis creatura perfectissima &c. His præmissis.

Seu dogmatici, seu non dogmatici.

Quid quæstiones mixtæ.

Quid quæstiones, nec juris, nec facti.

1°. Loco statuemus Ecclesiam per orbem diffusam habere aliquam infallibilitatem in discernendâ verâ Doctrinâ Christi. 2°. Definiemus amplitudinem istius infallibilitatis, seu ad quas tandèm quæstiones se extendat. 3°. Determinabimus illius subjectum, seu in quo resideat, an in totâ Ecclesiâ, an in parte Ecclesiæ. 4°. Demùm examinabimus, an ista infallibili-

tas ſit paſſiva tantùm, an verò etiàm activa.

Statuitur Eccleſiæ per orbem diffuſæ infallibilitas.

Theſis 1ª. Eccleſia per orbem diffuſa infallibilitatem habet in diſcernendâ verâ Chriſti Doctrinâ, ſeu Scripturâ, ſeu traditione contineatur. Ratio iſtius Dogmatis Catholici eſt, quia Eccleſia Chriſti errare non poteſt in ſuâ fide; erraret autèm in ſuâ fide, ſi fortè erraret in diſcernendâ verâ Doctrinâ Chriſti, fides enim Eccleſiæ verſatur circa Doctrinam Chriſti: Ergò Eccleſia errare non poteſt &c.

Ex promiſſionibus Chriſti.

Major quæ ſola negatur ab Hæreticis, habetur 1°. Ex promiſſionibus Chriſti. Chriſtus enim Eccleſiæ ſuæ promiſit infallibilitatem, idque verbis ſatis expreſſis & formalibus. Nam promiſſio eſt Chriſti Matthæi 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quo loco promittitur ſoliditas, & firmitudo Eccleſiæ tanta, ut everti non poſſit: Atqui ſi fortè Eccleſia erraret in fide, per ipſum errorem everteretur. Promiſſio Chriſti eſt, quod ſequitur, *& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Sed ſi Eccleſia erraret in fide, jam Spiritus erroris & mendacii, qui de portis inferi eſt, Eccleſiæ prævaleret. Promiſſio Chriſti eſt, futuras in Eccleſiâ *Claves Règni Cœlorum*; in iſtis autèm Clavibus, ſunt Claves Scientiæ ad aperiendam fidei Doctrinam; ſed quales eſſent iſtæ Claves, ſi falſam Doctrinam pro verâ aperirent. Promiſſio Chriſti eſt, *Quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cœlis*; poteſtas autèm iſta ſolvendi non pertinet ſolùm ad remiſſionem peccatorum, ſed ad controverſiarum fidei ſolutionem: Atqui ſi

Ecclesia erraret in fide, jam malè controversias fidei solveret, nec sententia Ecclesiæ Cæleste suffragium haberet, aut mereretur. Promissio Christi est, *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; Sed si erraret Ecclesia in fide, jam esset aliqua veritas fidei quam Spiritus veritatis non doceret. Verbum Domini est, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; quo significatur infallibili Ecclesiæ judicio, præsertim in causis fidei, acquiescendum esse. Confirmari potest ex testimonio Pauli 1ª ad Timotheum 3. ubi Ecclesiam docet esse *Columnam & firmamentum veritatis*; quod testimonium non benè congruit cum Ecclesia fallibili. Verùm, quia istas Christi promissiones, aliaque Scripturæ testimonia Hæretici perperàm interpretando eludunt. Habetur 2°. Eadem infallibilitas ex traditione, quæ verum Scripturæ sensum ponit in manifesto; nam ab ipsis Apostolis ad nos usquè continuata traditio fert Ecclesiam esse infallibilem, & supra dictis Christi promissionibus infallibilitatem Ecclesiæ contineri. Habetur 3°. Ex unanimi sensu Patrum passim prædicantium infallibilitatem Ecclesiæ, & in dubiis de Scripturâ, aut traditione ad Ecclesiam provocantium. Inter Patres autèm super eâ re nemo expressior est Augustino, cujus tamen judicio stare se simulant Novatores: nam Augustinus lib. 1. contra Cresconium c. 33. *Quisquis*, inquit, *falli metuit, hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ullâ ambiguitate Scriptura demonstrat.* Et lib. contra Epistolam fundamenti cap. 5. *Ego verò*, inquit;

Ioan. c. 16.

Mat. c. 18.

Ex traditione.

Ex unanimi sensu Patrum.

Augustini præsertim.

Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas. Et infra, de Libro Actuum Apostolorum loquens: *Cui Libro*, inquit, *necesse est ut credam, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi Ecclesiæ Catholicæ commendat Authoritas.*

In probandâ Ecclesiæ infallibilitate nullus fit circulus.

Objicies. Infallibilitatem Ecclesiæ probamus ex promissionibus Christi, quæ continentur in Evangelio; Evangelii verò Divinitatem probamus ex definitione Ecclesiæ infallibilis: Ergò in probatione infallibilitatis Ecclesiæ circulum committimus vitiosum, probando scilicet infallibilitatem Ecclesiæ per Divinitatem Evangelii, & Divinitatem Evangelii per infallibilitatem Ecclesiæ. Respondeo. Sine ullo vitioso circulo infallibilitatem Ecclesiæ probamus ex promissionibus Christi in Evangelio contentis, Doctrinam autèm Christi probamus Divinam esse, & contineri in Evangelio ex motivis credibilitatis. Quare Evangelium, ex quo probatur infallibilitas Ecclesiæ, testimonium habet Divinitatis suæ independens ab infallibilitate Ecclesiæ; nec mirum est, si authoritate illâ suâ, quam habet independenter ab infallibilitate Ecclesiæ, suffragari possit infallibilitati Ecclesiæ. Infallibilitas verò Ecclesiæ semel habita ex Evangelio, nihil vetat, quominùs adhibeatur ut regula, ad cæteram Scripturam, traditionemque certò dijudicandam.

Instabis. Assentimur nos Augustino dicenti, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas*: Ergò fides nostra circulatoria est. Nam credimus Evangelio propter Authoritatem Ecclesiæ, & rursùm cre-

Contra Epist. Man. c. 5.

dimus Ecclesiæ propter Authoritatem Evangelii. Respondeo. Nego Consequentiam. Nam 1°. Credimus nos Evangelio, aut certè credere possumus propter Authoritatem Evangelii humanam; quia Authoritas Evangelii, etiàm humana, magnum credibilitatis motivum est, quo moveri possumus, ut credamus Evangelium esse Librum Divinum. Credimus autèm inesse Ecclesiæ infallibilitatem, quia in Evangelio, qui Liber Divinus est, ità dicitur. 2°. Dicimus cum Augustino, & in sensu Augustini, *Non crederem Evangelio*, totaliter & adæquatè sumpto, *Nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas*, quia Divinitas Evangelii totaliter & adæquatè sumpti non habetur ex traditione satis constanti, & omnibus notoriâ. At Divinitas Evangelii inadæquatè sumpti, seu sumpti secundùm eam partem, in quâ continetur Ecclesiæ infallibilitas, habetur ex traditione satis constanti, & notoriâ. Quare ad eam partem credendam non est opus infallibilitate Ecclesiæ; ex eâ igitur parte probari potest sine ullo circulo infallibilitas Ecclesiæ, eaque semel constituta, valere potest ad reliquam Christi Doctrinam certò cognoscendam.

Infallibilitas Ecclesiæ per orbem diffusæ, non solùm ad quæstiones juris, sed ad multas etiam facti quæstiones extenditur.

Thesis secunda. Infallibilitas Ecclesiæ per orbem diffusæ, non solùm ad quæstiones juris, sed ad multas etiàm facti quæstiones extenditur. Sequitur ex superiori. Nam Ecclesia infallibilis est in verâ Christi Doctrinâ discernendâ, non esset autèm infallibilis in verâ Christi Doctrinâ discernendâ, si infallibilis non esset, tùm in quæstionibus Juris, tùm in

multis etiàm facti quæstionibus ; quia non tantùm quæstiones juris, sed multæ etiàm facti quæstiones ad Christi Doctrinam discernendam necessariò referuntur. Sed quia res ista meretur diligentius examen.

Nam Ecclesia infallibilis est in quæstionibus juris.

Dico ulterius 1°. Ecclesia per orbem diffusa errare non potest in quæstionibus Juris. Probatur. Quæstiones Juris hæ sunt, quæ ex Scripturâ & traditione deciduntur ; sed in iis Ecclesia non potest errare : nam si fortè erraret, erraret in Scripturâ, aut traditione cognoscendâ, ac proindè in verâ Christi Doctrinâ, quæ in Scripturâ & traditione continetur.

Objicies. Synagoga aliquandò erravit in quæstionibus Juris, erravit enim, exempli causâ, in quæstione de vero Messiâ, quæ profectò fuit quæstio Juris, ex Scripturâ decidenda : Ergò, &c. Respondeo. Quidquid sit de Antecedente in cujus examine immorari non vacat, Nego Consequentiam ; quia Ecclesiæ infallibilitatem habemus expressis Christi promissionibus, quæ promissiones Synagogæ pariter non favent. Quare quamvis fortè errare potuerit Synagoga, non tamen sequitur errare posse Ecclesiam Christi.

Instabis. Ipsa Ecclesia Christi erravit in quæstione de Divinitate verbi, tota enim ad Arianismum defecit, quando scilicet, ut ait Hieronymus post Ariminense Concilium, *Nicænæ fidei conclamata damnatio est, totusque ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est.* Respondeo. Nego Antecedens. Nam, quod ait Hieronymus, dictum est hominis significare tan-

Adversus Lucifer.

tùm volentis magnam orbis partem infectam fuisse Arianâ Hæresi, & plerisque Catholicorum illusum fuisse per captiosas Arianæ fidei formulas.

Dico 2°. Ecclesia infallibilis est in quæstionibus facti dogmatici. Est contra aliquos novatores nostri temporis, qui Ecclesiam ità confitentur infallibilem esse in quæstionibus Juris, ut eandem negent esse infallibilem in quæstionibus facti Dogmatici. Quare iidem ità rejiciunt quinque Jansenij Propositiones ab Innocentio X. Accedente Ecclesiæ consensu damnatas, ut tamen sensum naturalem, quem eæ propositiones in Jansenio habent, tueri velint, totumque Jansenium suâ illâ distinctione juris & facti retinere. Contra quam distinctionem pro infallibilitate Ecclesiæ in quæstionibus facti Dogmatici, quatuor habeo invictissima argumenta.

Infallibilis est in quæstionibus facti Dogevimaticut ncitur contra novatores.

Primum Petitur ex infallibilitate Ecclesiæ in quæstionibus juris, talis enim infallibilitas virtualiter saltèm & implicitè importat infallibilitatem in quæstionibus facti Dogmatici. Nam, ut Ecclesia infallibilis sit in quæstionibus juris, debet esse infallibilis in Scripturâ & traditione cognoscendâ; sed infallibilis non erit in Scripturâ & traditione cognoscendâ, nisi sit infallibilis in quæstionibus facti Dogmatici; cùm enim Scriptura aliquandò dubia sit & obscura, de vero illius sensu Ecclesia judicat, & judicare debet ex sensu Patrum; quare, si non est infallibilis in vero sensu Patrum intelligendo, infallibilis non est in intelligendo vero sensu Scripturæ. Ponamus enim

Ex infallibilitate Ecclesiæ in quæstionibus juris.

errare Ecclesiam in sensu Patrum intelligendo circa aliquem Scripturæ locum, profectò errabit in vero sensu loci illius, cùm verus loci illius sensus, in vero sensu Patrum contineatur. Idem dicendum est de traditione, quæ ferè habetur per consensum Patrum. Nam si Ecclesia infallibiliter judicare non possit de consensu Patrum, infallibiliter judicare non poterit de verâ traditione; sensus autèm Patrum est factum aliquod Dogmaticum: Ergò Ecclesia infallibilis est in quæstione alicujus facti Dogmatici. Confirmatur 1°. Negari non potest Catholicè, quin Ecclesia infallibiliter judicare possit, se esse in fide, & Doctrinâ Patrum, certò deprehendens perfectam Doctrinæ Christianæ conformitatem omnibus temporibus, seu illam, ut loquitur Tertullianus. *Doctrinæ consanguinitatem* inter Ecclesiam antiquam, & novam. Id verò Ecclesia judicare non potest, nisi examinando testimonia Patrum, qui in singulis Ecclesiæ ætatibus vixerunt; in quo examine non agitur quid sentire debuerint Patres, sed quid reipsâ senserint, ut sapienter notat Cardinalis Perronius in suâ replicâ ad Regem Britanniæ: Ergò si Ecclesia certò & infallibiliter deprehendere non possit, quid senserint Patres, certò & infallibiliter pronuntiare non potest, se esse in fide, & Doctrinâ Patrum. Confirmatur 2°. Quia Ecclesia infallibilis est in judicio ferendo de qualitate cujuscumque Doctrinæ; quæcumque enim dogmata proponuntur Ecclesiæ ad judicandam illorum conformitatem, vel difformitatem cum Scripturâ & traditione, si Ecclesia judicat,

infallibiliter judicat; sive ea dogmata præscindantur à proferente & ab aliis quibus conjuncta sunt, sive simul & conjunctim accipiantur: Atqui certò & infallibiliter id facere Ecclesia non potest, nisi certò & infallibiliter cognoscat sensum naturalem, quem verba habent, sive seorsùm & solitariè, sive conjunctim, & cum aliis accepta. Ratio ulterior est, quia damnatio, vel approbatio Ecclesiæ cadit in sensum naturalem propositionis, sive præcisè spectatæ, si sola damnatur, aut approbatur; sive sumptæ cum aliis, si damnatur, aut approbatur, ut jacet in Libro, & in sensu Authoris: Ergo Ecclesia debet certò & infallibiliter cognoscere sensum naturalem propositionum de quibus judicat. Neque enim potest certò judicari conformitas, aut difformitas duorum extremorum, nisi utrumque extremum certò cognoscatur.

Ex ipsâ novatorum confessione.

Secundum Argumentum petitur ex ipsâ confessione Novatorum contra quos agimus, ipsammet, quam negant infallibilitatem, agnoscentium. Siquidem in approbandâ Augustini Doctrinâ Ecclesiam ità volunt esse infallibilem, ut Augustinus ex eâ approbatione summam Authoritatem habeat, nec sine notâ hæresis jàm Augustino contradici possit: quod quidèm ut vidimus falsum est, si extendatur ad universam Doctrinam Augustini ab Ecclesiâ generaliter tantùm approbatam, sed verissimum est, si restringatur ad eas Augustini Sententias, quas Ecclesia ratas habuit, & specialiter approbavit; nam eæ Augustini Sententiæ sunt dogmata quædam Catholica, quibus sine hæresi contradici non potest. Undè sic argumentor. Ec-

clesia infallibilis est in Sententiis Augustini approbandis : Ergo infallibilis est in reprobandis Jansenii propositionibus. Antecedens admittunt novatores, consequentia videtur evidens ; neque enim minor est Ecclesiæ infallibilitas in reprobandâ Doctrinâ unius Authoris, quàm in approbandâ Doctrinâ alterius. Aliundè verò quæstio facti dogmatici est, an eæ Sententiæ quas Ecclesia approbavit, eum in Augustino sensum naturalem habeant, in quem cadit approbatio Ecclesiæ ; quemadmodùm quæstio facti dogmatici est, an quinque propositiones ab Ecclesiâ damnatæ habeant in Jansenio eum sensum, in quem cadit damnatio Ecclesiæ.

Ex ipso Ecclesiæ judicio de suâ infallibilitate.

Tertium Argumentum petitur ex ipso Ecclesiæ judicio de suâ infallibilitate ; Ecclesia enim arrogat sibi infallibilitatem in quæstionibus facti dogmatici, idque ex Christi promissionibus, in quarum intellectu errare non potest ; sunt enim eæ promissiones, ut cum Augustino loquamur, veluti *Tabulæ Matrimoniales*, in quibus Ecclesia sponsa, non habens, neque maculam, neque rugam, agnoscere, & legere potest prærogativas suas. Quòd verò talem infallibilitatem Ecclesia sibi arroget, patet ex usu perpetuo ejusdem Ecclesiæ, quæ quoties hæreses damnavit ; toties ferè Authores hæresum, eorumque Libros undè excerptæ sunt, uno & communi judicio damnavit ; id se facere putans legitimè & infallibiliter ; ut argumento est, quòd pro hæreticis habuit, quicumque reclamarunt. Confirmari potest. Quia Ecclesia in nullo judicio suo de factis dogmaticis convinci potest falsitatis : ergo præsumere oportet pro

illius infallibilitate ; nam quod nunquàm erraverit Ecclesia in ejusmodi factis, tribuendum est, vel naturali alicui prudentiæ, vel infallibilitati divinæ ; sed tribuendum non est naturali Prudentiæ, nulla enim est naturalis Prudentia adeò exquisita, quæ non aliquandò erret : ergo tribuendum est infallibilitati divinæ.

Ex providentiâ Christi in Ecclesiam suam.

Quartum Argumentum petitur ex providentiâ Christi ; Christus enim omninò credendus est dedisse Ecclesiæ suæ eam infallibilitatem, sine quâ, nec fideles in Fide, & moribus satis commodè regi possint, nec inquieti novatores satis cohiberi ; talis autèm est infallibilitas in quæstionibus facti dogmatici : nam si Ecclesia non habet eam infallibilitatem, 1°. Non poterit certò scire pascua venenata, seu malos Libros, in quibus hæreticæ Doctrinæ continentur : ergo non poterit ab illis prohibere alumnos suos. 2°. Non poterit cohibere inquietos novatores ; nam si fortè Ecclesia Doctrinam Libri, vel Autoris alicujus damnaverit, protinùs distinguent novatores jus & factum, negantes damnationem cadere in sensum naturalem Libri, vel Autoris, aut Ecclesiam infallibilem esse in eâ damnatione, ergo distinctione suâ eludent totam damnationem, retinentes semper & vulgantes errorem suum, ut fieri vidimus superioribus annis, cum ista infallibilitas in dubium vocaretur.

Factum dogmaticum neque in Scripturâ, neque in traditio-

Objicies. 1°. Factum dogmaticum nec in Scripturâ, nec in traditione continetur ; Ergo nihil necesse est Ecclesiam in illo decidendo esse infallibilem. Respondeo. Nego consequentiam. Quamvis enim factum dogmaticum in Scri-

ne continetur, Ecclesia tamen in eo judicando infallibilis est.

pturâ, aut traditione non sit, est tamen ejusmodi, ut per conformitatem, aut difformitatem cum Scripturâ, vel traditione æstimari debeat. Ecclesia autèm infallibilis est, in judicandâ conformitate, vel difformitate Doctrinæ cum Scripturâ & traditione; sed infallibilis esse non potest Ecclesia in judicandâ conformitate, vel difformitate duorum extremorum, nisi in utroque extremo cognoscendo sit infallibilis: ergo cum factum dogmaticum sit alterum extremum, cum Scripturâ, aut traditione comparandum, Ecclesia infallibilis est, in facto dogmatico cognoscendo. Ecclesia, exempli causâ, judicare debet infallibiliter, an dogma Jansenii conformitatem habeat, aut difformitatem cum Scripturâ, vel traditione; Atqui ad illud judicandum, non modò Scripturam & traditionem, sed dogma etiàm Jansenii, verumque illius sensum cognoscere certò debet; nam si fortè Ecclesia naturalem Janseniani dogmatis sensum non cognosceret, certò pronunciare non posset, dogma illud esse Scripturæ, aut traditioni difforme.

Objicies. 2°. Ecclesia non judicat de internis; sed factum dogmaticum est aliquid internum, nempè ipse Jansenii sensus; quis autem novit sensum hominis, nisi Spiritus ipsius hominis, aut Spiritus Dei. Respondeo. Factum dogmaticum, in quo decidendo dicimus Ecclesiam esse infallibilem, est factum aliquod externum, nimirùm sensus naturalis quem exprimunt verba Jansenii, non sensus Jansenii intùs latens. Quis enim scit, an Jansenius aliud senserit, & aliud scri-

Factum dogmaticum est factum aliquod externum, non sensus autoris intùs latens.

pſerit. Eſto igitur, Eccleſia non poſſit detegere infallibiliter ſenſum Janſenii latentem, infallibiliter tamen detegere poteſt ſenſum naturalem, quem verba Janſenii exprimunt, & hoc ſolùm nobis ſufficit. Sed ne fortè in incertum pugnetur, quod in præſenti materiâ familiare eſt; Obſerva ulteriùs, quæſtionem hanc facti dogmatici, an quinque propoſitiones ſint hæreticæ in ſenſu Janſenii, habere in ſe, aut præſupponere multas quæſtiones, quæ facti dogmatici non ſunt; putà, an vixerit aliquandò Janſenius, an certum quemdam Librum ſcripſerit, an ſcripſerit uti ſentiebat &c. Cujuſmodi quæſtiones, nec decidit Eccleſia, nec ſi fortè decidat, contendimus eam eſſe infallibilem. Hîc enim contendimus ſolùm infallibilem eſſe in facto dogmatico judicando, ſcilicet, an in eo Libro qui Janſenio tribuitur, reperiantur quinque propoſitiones damnatæ, ibique faciant ſenſum naturalem Hæreticum. Eſt tamen infallibilis Eccleſia in iis judicandis, ſine quibus ſtare non poteſt veritas facti dogmatici. Ità infallibiliter judicat Eccleſia, eſſe Librum aliquem, qui Janſenio tribuitur, & verba, quæ in eo Libro uſurpantur, inſtituta eſſe ad unum aliquem ſenſum ſignificandum; nam ſi in alterutro erraret Eccleſia, erraret in judicio facti dogmatici.

Objicies. 3°. Quicumque negaret propoſitiones damnatas habere in Libro Janſenii eum ſenſum, quem Eccleſia damnavit, non eſſet propterea Hæreticus: ergo Eccleſia non eſt infallibilis in cognoſcendo ſenſu naturali, quem propoſitiones habent apud Janſenium. Ante-

cedens probatur. Quia, ut aliquis ſit Hæreticus negare debet cum pertinaciâ propoſitionem revelatam, ſed qui præcisè negat quinque propoſitiones habere in Libro Janſenii eum ſenſum naturalem, quem Eccleſia damnavit, non negat propterea cum pertinaciâ ullam propoſitionem revelatam; quia revelatum non eſt quinque propoſitiones habere in Libro Janſenii, hunc, vel illum ſenſum, cùm ne de Janſenio quidèm, aut de Janſenii Libro aliquid revelatum ſit. Reſpondeo. 1°. Nego conſequentiam; neque enim cùm Eccleſiam dicimus infallibilem eſſe in quæſtionibus facti dogmatici, propterea dicimus factum dogmaticum pertinere propriè ad Fidem, aut eſſe aliquid verè à Deo revelatum. Reſpondeo. 2°. Quicumque aſſerit propoſitiones quinque, in ſenſu naturali, quem habent apud Janſenium, eſt formaliter Hæreticus; quia aſſerit propoſitiones contradictorias propoſitionibus revelatis, & ſufficienter propoſitis, ac proindè negat propoſitiones revelatas, & ſufficienter propoſitas; nam propoſitiones Janſenii in ſenſu naturali, quem apud Janſenium habent, contradictoriæ ſunt propoſitionibus revelatis, idque ſufficienter proponitur per Eccleſiam infallibilem. Reſpondeo. 3°. Quicumque diceret propoſitiones Janſenii non habere ſenſum naturalem quem Eccleſia illis tribuit, Hæreticus eſſet, ſi non formaliter, ſaltèm præſumptivè, idque triplici titulo. 1°. Quia prudenter præſumeretur tenere propoſitiones ab Eccleſiâ damnatas; cùm enim factum Janſenii ferè notorium ſit, & evidens, ſaltèm doctis, quicumque doctus

Negans factum dogmaticum post Eccleſiæ definitionem quomodo Hæreticus ſit.

illud negat, præſumendus eſt non agere ſincerè, ſed fucum facere ſimplicibus, & per negationem facti quam obtendit, malè tegere negationem juris. 2°. Quia, qui negaret propoſitiones Janſenii habere ſenſum naturalem, quem Eccleſia illis tribuit, retineret ſibi libertatem tuendi ſenſum naturalem propoſitionum Janſenii, qui tamen ſenſus eſt hæreticus. 3°. Quia, qui tale factum negaret, idem infallibilitatem Eccleſiæ negaret in quæſtionibus facti dogmatici, quæ infallibilitas in promiſſionibus Chriſti ſatis expreſſa eſt, & fidelibus ſufficienter propoſita.

Vindicatur Eccleſia ab errore facti dogmatici, tùm in negotio triũ Capitulorum.

Objicies. 4°. Eccleſia erraſſe convincitur in ſimilibus factis. Duo inſignia ad plenam convictionem ſufficient. Primum eſt factum, ut appellant, trium Capitulorum: nam Synodus Chalcedonenſis approbavit tria Capitula, hoc eſt, Doctrinam Theodori Mopſueſteni, Epiſtolam Ibæ, & ſcripta Theodoreti adversùs duodecim capita Cyrilli: Atqui eadem tria capitula damnavit quinta Synodus; ergo Eccleſia erravit, vel in damnatione, vel in approbatione trium Capitulorum. Alterum eſt factum Honorii; Sexta enim Synodus Honorium Pontificem Romanum, quamvis minimè Monothelitam, damnavit tamen ut Monothelitam, ejuſque litteras ad Sergium, quamvis Catholicas, publiquè igni adjudicavit. Reſpondeo. Nego Antecedens; Eccleſia enim in nullius facti dogmatici deciſione erravit. Exempla verò quæ contra afferuntur, Eccleſiæ infallibilitati magis favere videntur, quàm nocere. Nam quòd attinet ad primum. Dico breviter. Doctrinam trium

Capitulorum in Concilio Chalcedonensi, nec damnatam fuisse, nec approbatam, damnata enim solùm fuit in Concilio Oecumenico 5. Quæstio verò Occidentales inter & Orientales tamdiù disceptata, in eo tota vertebatur, an Concilium Chalcedonense approbasset Doctrinam trium Capitulorum; hinc asserentibus Occidentalibus, illinc negantibus Orientalibus: sed hoc facti genus dogmaticum non est, ut per se patet. Addo, ex hac totâ controversiâ centum ferè annorum, manifestè apparere, fuisse hunc communem fidelium sensum, Ecclesiam in factis dogmaticis errare non posse. Occidentales enim quamdiù crediderunt approbata fuisse à Concilio Chalcedonensi tria Capitula, tamdiù restiterunt Orientalibus, & Concilii judicium retractare noluerunt. Orientales verò, ne vel minimam suspicionem erroris in quæstionibus facti dogmatici ferre poterant, ideòque constanter negabant approbatam fuisse à Concilio Chalcedonensi trium Capitulorum Doctrinam, quippè, quæ damnationem mereretur.

Tùm in facto Honorii.

Ad secundum, scilicet factum Honorii multa dici possunt. Nam 1°. Sunt qui velint corrupta fuisse sextæ Synodi acta, insertamque illis malâ manu Græcorum damnationem Honorii, remque ità probat Baronius, ut cuique prudenti magna fiat suspicio imposturæ. Ex actis autèm dubiis, & plusquàm probabiliter falsis, nihil concludi potest, seu contra Honorium, seu contra Concilium; stat enim possessio pro innocentiâ Honorii, & pro infallibilitate Concilii. 2°. Sunt qui velint Honorium à Synodo quidèm verè damna-

In Annal. Eccles. An. Chr. 681.

tum,

tum, sed nullâ servatâ formâ judicii, non Canonicè, non legitimè damnatum: atqui damnatio non legitima, & non Canonica habetur pro nullâ. 3°. Prætermissâ Baronii, aliorumque probabili sententiâ, media quædam via iniri potest, si dicatur, nec fuisse Monothelitam Honorium, nec errasse Concilium cum litteras Honorii damnavit. Summa concordiæ in eo est, quòd Honorii ad Sergium litteræ, quo tempore scriptæ fuerunt, fidei non nocebant, saltèm directè; causâ nimirùm pendente, & nondùm contra Monothelitas definitâ. At verò eædem litteræ temporibus sextæ Synodi, hoc est, quadraginta circiter post annos, causâ jàm finitâ, nocebant fidei etiàm directè, quia erant hæsitationes & vacillationes in Fide; omnis autem hæsitatio & vacillatio in Fide, fidei nocet; poterant ergò à Concilio damnari. Quare fieri potest, ut nec erraverit in Fide Honorius Litteras scribens, nec erraverit sexta Synodus Litteras Honorii damnans. Utrùm verò imprudenter fecerit Honorius Litteras scribendo ad Sergium, aut utrùm jure à Concilio eo nomine damnatus sit, nihil hîc disputo; nam neque Honorium ab imprudentiæ notâ vindicare velim; neque Concilium in eo factorum genere contendo esse extra suspicionem & periculum erroris. Sed de ejusmodi quæstionibus, quæ ad seriem quæstionum facti pertinent fusiùs suo loco.

Dico 3°. Ecclesia infallibilis est in quæstionibus facti essentialiter cum fide connexi, quamvis dogmaticum non sit. Ratio est, quia Christus promittens Ecclesiæ infallibilitatem in quæstio-

Infallibilis est in quæstionibus facti cum

nibus fidei, promisit illud omne sine quo stare non potest ea infallibilitas: Atqui sine infallibilitate in quæstionibus facti essentialiter cum Fide connexi, stare non potest Ecclesiæ infallibilitas in quæstionibus fidei: ergo &c. Major negari non potest, nisi velimus Christum promisisse Ecclesiæ inanem quamdam & futilem infallibilitatem. Minor patet ex ipsâ suppositione, supponitur enim factum esse ejusmodi, ut essentialiter connexum sit cum Fide, seu tale factum, ex cujus decisione pendeant decisiones fidei: quare si in decisione talis facti Ecclesia erraret, erraret consequenter in decisionibus fidei. Atque hinc Sequitur 1°. Ecclesiam infallibilem esse in quæstione de Canonicâ, vel Authenticâ Scripturâ; nam si fortè Ecclesia agnosceret aliquam Scripturam pro Canonicâ, vel Authenticâ, quæ talis non esset, jam errare posset Ecclesia in quæstionibus fidei, quæ per Scripturam deciduntur. Sequitur 2°. Ecclesiam esse infallibilem in quæstione de Concilio legitimo, nam si fortè Ecclesia agnosceret pro legitimo, Concilium non legitimum, errare posset in decisionibus fidei. Ponamus enim Concilium v. g. Tridentinum quod Ecclesia agnoscit pro legitimo, legitimum non esse, erraverit autèm Concilium Tridentinum, ut certè errare potest Concilium non legitimum, jàm Ecclesia Concilii Tridentini definitiones sequens, erraret. Sequitur 3°. Ecclesiam infallibilem esse in quæstione de vero Pontifice; nam error in tali quæstione naturaliter traheret errorem in quæstionibus fidei. Quare Ecclesia, aut legitimum invenit Pontificem, aut agnoscendo legitimum facit.

Fide essentialiter connexi.

Ut in quæstionibus de Canonicâ vel Authenticâ Scripturâ.

De Concilio legitimo.

De vero Pontifice.

Objicies. Notitia iſtiuſmodi factorum non habetur per revelationem, ſeu antiquam, ſeu novam. Non per antiquam, quia antiquæ revelationes in Scripturâ, aut traditione continentur, de iſtiuſmodi verò factis, in Scripturâ, aut traditone nulla fit mentio. Non per novam, Eccleſia enim non accipit revelationes novas, ſed declarat antiquas: ergo notitia iſtiuſmodi factorum certa non eſt. Reſpondeo. Nego conſequentiam. Nolim hîc diſputare, an, & quomodo notitia iſtiuſmodi factorum habeatur formali aliquâ Dei revelatione, ſeu antiquâ, ſeu novâ, res enim eſt alterius loci, nec admodùm neceſſaria ad infallibilitatem Eccleſiæ, quam quærimus; nam ſatis eſt ſi Spiritus Sanctus purè aſſiſtat Eccleſiæ, ne erret in iſtiuſmodi factis, quamvis fortè Spiritus Sanctus non loquatur; quo ferè modo ſcribenti magiſter puero aſſiſtit, non ità quidèm, ut manum pueri ducens ipſe propriè pingat, non puer, ſed ità ut puero calamum permittens provideat tamen, ne diſtortum aliquid, aut ineptum à puero efformetur. Poſitâ enim purâ illâ aſſiſtentiâ Spiritûs ſancti definitio Eccleſiæ, eſt revelatio quædam virtualis, quæ in ordine ad firmandum aſſenſum noſtrum formali revelationi æquivalet. Nam cùm Deus revelaverit Eccleſiam eſſe infallibilem in iſtiuſmodi factis judicandis, fieri non poteſt, ut Eccleſia erret in illorum deciſione, ac proindè Eccleſiæ definienti certiſſimè creditur. Quicumque ergo iſtiuſmodi facta negaret, Hæreticus eſſet, ſaltèm præſumptivè & conſequenter, quatenùs negaret infallibilitatem Eccleſiæ in iſtiuſmodi

Notitia iſtiuſmodi factorum habetur per revelationem, ſi non formalem.

Saltem virtualem.

factis decidendis, quæ infallibilitas propriè ad fidem pertinet.

Infallibilis est Ecclesia in quæstionibus facti cum rectâ disciplinâ necessariò connexi.

Dico 4°. Ecclesia infallibilis est in quæstionibus facti cum rectâ disciplinâ necessariò connexi: Probatur. Non accipitur hîc disciplina pro regulis morum à Christo traditis, nam disciplina ità sumpta, est pars doctrinæ Christi, in quâ cognoscendâ jam statuimus Ecclesiam esse infallibilem. Sed accipitur hîc disciplina pro ritu, & praxi exteriore, in cultu Dei publico, in usu Sacramentorum, in modo convivendi fidelium: Atqui Ecclesia infallibilis est in quæstionibas facti cum disciplinâ ità sumptâ connexi; quia disciplina Ecclesiæ publica non potest non esse recta, Ecclesia enim sponsa est, non habens maculam, neque rugam: ergo infallibilis est Ecclesia in factis judicandis sine quibus ea disciplinæ rectitudo stare non possit.

Ut in Canonizatione Sanctorum.

In approbatione ordinum Religiosorum.

In moribus antiquæ Ecclesiæ cognoscendis.

In cognoscendo rerum præ-

Huc pertinet. 1°. Ecclesiæ infallibilitas in Canonizatione Sanctorum; quàm turpe enim esset venerationi & cultui fidelium hominem nequam & damnatum proponere. Pertinet 2°. Infallibilitas in approbatione Ordinum religiosorum; nam si Ecclesia approbaret institutum aliquod religiosorum, per se noxium, falsam aliquam viam salutis & perfectionis fidelibus ostenderet, quod facere non potest. Pertinet 3°. Infallibilitas in moribus antiquæ Ecclesiæ cognoscendis, si fortè ex illâ cognitione necessariò pendeat recta disciplina præsentium temporum. Pertinet 4°. Infallibilitas in cognoscendo rerum statu & dispositione temporum, pro legibus ferendis, aut abrogandis; nam Ecclesia nullam legem ferre potest, quæ, omnibus

consideratis, absolutè & simpliciter non sit magis utilis, quàm noxia; nullam abrogare, cujus abrogatio absolutè & simpliciter magis noceat, quàm prosit.

sentium statu & dispositione temporum pro legibus ferendis aut abrogandis.

Objicies. Ex Augustino, *Multa corpora honorantur in terris quorum animæ torquentur in gehennâ*: ergo Ecclesia non est infallibilis in Canonizatione Sanctorum. Confirmatur ex Sancto Thomâ, qui judicium Ecclesiæ in Canonizatione, ait esse, *medium inter judicium infallibile Ecclesiæ de rebus fidei, & judicium fallibile ejusdem in causis civilibus.* Respondeo. Locus ille Augustini, si tamen Augustini est, nihil nocet infallibilitati Ecclesiæ, potest enim intelligi, vel de corporibus prophanorum hominum, quæ interdùm Sanctorum corporum loco supponuntur; vel de principum, & magnatum corporibus, quæ in magnificis sepulchris venerationem habent, cùm ipsorum animæ in inferis torquentur; vel deniquè de iis, qui non in totâ Ecclesiâ, sed privatim alicubi coluntur ut Sancti, cùm tamen Sancti non sint. Ad Confirmationem ex Sancto Thomâ petitam dico, difficile esse medium illud quod admittit inter judicium infallibile, & fallibile, cùm omne judicium, vel fallibile sit, vel infallibile; ac proindè inter utrumque propriè loquendo medium non sit: suspicarer ego velle Sanctum Doctorem, infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, neque tot, neque adeò certis argumentis niti, ut nititur infallibilitas Ecclesiæ in quæstionibus fidei: quare judicium Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum medium quoddam tenet inter judicium infallibile in

Infallibilitati Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, Nec repugnat Sanctus August.

Nec Sanctus Thomas.

factis decidendis, quæ infallibilitas propriè ad fidem pertinet.

Infallibilis est Ecclesia in quæstionibus facti cum rectâ disciplinâ necessariò connexi.

Dico 4°. Ecclesia infallibilis est in quæstionibus facti cum rectâ disciplinâ necessariò connexi: Probatur. Non accipitur hîc disciplina pro regulis morum à Christo traditis, nam disciplina ità sumpta, est pars doctrinæ Christi, in quâ cognoscendâ jam statuimus Ecclesiam esse infallibilem. Sed accipitur hîc disciplina pro ritu, & praxi exteriore, in cultu Dei publico, in usu Sacramentorum, in modo convivendi fidelium: Atqui Ecclesia infallibilis est in quæstionibas facti cum disciplinâ ità sumptâ connexi; quia disciplina Ecclesiæ publica non potest non esse recta, Ecclesia enim sponsa est, non habens maculam, neque rugam: ergo infallibilis est Ecclesia in factis judicandis sine quibus ea disciplinæ rectitudo stare non possit.

Ut in Canonizatione Sanctorum.

In approbatione ordinum Religiosorum.

Huc pertinet. 1°. Ecclesiæ infallibilitas in Canonizatione Sanctorum; quàm turpe enim esset venerationi & cultui fidelium hominem nequam & damnatum proponere. Pertinet 2°. Infallibilitas in approbatione Ordinum religiosorum; nam si Ecclesia approbaret institutum aliquod religiosorum, per se noxium, falsam aliquam viam salutis & perfectionis fidelibus ostenderet, quod facere non potest. Pertinet 3°. Infallibilitas in moribus antiquæ Ecclesiæ cognoscendis, si fortè ex illâ cognitione necessariò pendeat recta disciplina præsentium temporum. Pertinet 4°. Infallibilitas in cognoscendo rerum statu & dispositione temporum, pro legibus ferendis, aut abrogandis; nam Ecclesia nullam legem ferre potest, quæ, omnibus

In moribus antiquæ Ecclesiæ cognoscendis.

In cognoscendo rerum præ-

consideratis, absolutè & simpliciter non sit magis utilis, quàm noxia; nullam abrogare, cujus abrogatio absolutè & simpliciter magis noceat, quàm prosit.

sentium statu & dispositione temporum pro legibus ferendis aut abrogandis.

Objicies. Ex Augustino, *Multa corpora honorantur in terris quorum animæ torquentur in gehennâ*: ergo Ecclesia non est infallibilis in Canonizatione Sanctorum. Confirmatur ex Sancto Thomâ, qui judicium Ecclesiæ in Canonizatione, ait esse, *medium inter judicium infallibile Ecclesiæ de rebus fidei, & judicium fallibile ejusdem in causis civilibus.* Respondeo. Locus ille Augustini, si tamen Augustini est, nihil nocet infallibilitati Ecclesiæ, potest enim intelligi, vel de corporibus prophanorum hominum, quæ interdùm Sanctorum corporum loco supponuntur; vel de principum, & magnatum corporibus, quæ in magnificis sepulchris venerationem habent, cùm ipsorum animæ in inferis torquentur; vel deniquè de iis, qui non in totâ Ecclesiâ, sed privatim alicubi coluntur ut Sancti, cùm tamen Sancti non sint. Ad Confirmationem ex Sancto Thomâ petitam dico, difficile esse medium illud quod admittit inter judicium infallibile, & fallibile, cùm omne judicium, vel fallibile sit, vel infallibile; ac proindè inter utrumque propriè loquendo medium non sit: suspicarer ego velle Sanctum Doctorem, infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, neque tot, neque adeò certis argumentis niti, ut nititur infallibilitas Ecclesiæ in quæstionibus fidei: quare judicium Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum medium quoddam tenet inter judicium infallibile in

Infallibilitati Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, Nec repugnat Sanctus August.

Nec Sanctus Thomas.

quæstionibus fidei,& judicium fallibile in caussis civilibus,quia certius est judicio fallibili in caussis civilibus , & minorem quamdam certitudinem habet judicio infallibili in quæstionibus fidei.

Ecclesia nec errat in approbatione ordinum religiosorum, nec in suppressione eorundem.

Instabis 1°. Ecclesia erravit aliquandò in approbatione Ordinum religiosorum ; nam & ipsa errorem suum agnoscens,Ordines suppressit, quos ante approbaverat, putà Ordinem Templariorum , Humiliatorum , aliosque ; quòd si non erraverit approbando , erravit certè supprimendo. Respondeo. Ecclesia, nec in approbatione Ordinum religiosorum erravit , nec in suppressione eorumdem. Non erravit quidèm in approbatione , quia nullum approbavit ordinem , qui non contineat vitæ genus secundùm se generaliter bonum , & ad perfectionem consequendam utile. Non erravit autèm in suppressione , quia cùm ejusmodi ordinum omnes ferè religiosi ab observatione instituti sui defecissent magno fidelium scandalo , essentque veluti sal infatuatum , sapienter visum est Ecclesiæ supprimere eos ordines , ut jàm inutiles & noxios , non quidèm naturâ , aut institutione suâ , sed vitio hominum, rebus etiam optimis abutentium.

Abrogatio legum Ecclesiasticarum non probat errasse Ecclesiam in ferendis legibus.

Instabis 2°. Ecclesiam interdùm pænitet legum suarum , retractat enim ipsa & abrogat leges suas ; ergo errare potest in legibus ferendis. Respondeo. Ecclesia errare non potest ferendo legem , quæ per se mala, aut simpliciter, & absolutè noxia sit. Nec quidquam probat abrogatio legum Ecclesiasticarum; abrogantur enim illæ , quia pro mutatione temporum ac locorum noxiæ fiunt , quæ aliquandò valdè

utiles fuerunt. Ex quo profectò non magis argui potest contra Ecclesiæ infallibilitatem, quàm contra infallibilitatem ipsius Dei leges etiàm suas aliquandò abrogantis.

Dico 5°. Ecclesia non est infallibilis in quæstionibus facti non Dogmatici, nihilque ad fidem aut Disciplinam pertinentis, nulla enim est promissio talis infallibilitatis, nulla necessitas. Quare in causis & criminibus privatorum, quæ non nisi ex auditione testium, aut rumoribus decidi possunt, dicendum est Ecclesiam se habere instar Politicæ cujusdam communitatis, quæ plerumquè vitat errorem propter diligentiam quam adhibet in inquisitione veri, non est tamen infallibilis.

Non est infallibilis Ecclesia in quæstionibus puri facti nihil ad fidem aut disciplinam pertinentis.

Objicies. Ergò Ecclesia damnare poterit innocentem, & nocentem absolvere; consequens autèm videtur dedecere Ecclesiam. Respondeo. Iste error, cum neque fidem, neque rectam Disciplinam spectet, non adeò dedecens est, ut providentia Christi ad illum impediendum se extendat. Certè dubitari non potest, quin in similibus causis interdùm Ecclesia erraverit. Moneo tamen etiàm in illis acquiescendum esse judicio Ecclesiæ, saltèm exteriùs, & pro illius sententiâ præsumendum, donec de errore constiterit.

Potest ergo errare in causis criminalibus.

Dico 6°. Ecclesia in quæstionibus mixtis, partim infallibilis est, partim non est. Intelligitur ex superioribus; nam si quæstio mixta est ex facto, sive dogmatico, sive cum fide connexo, sive ad rectam Disciplinam pertinente, in tali quæstione infallibilis est Ecclesia; quia & in jure, & in facto infallibilis est.

In quæstionibus mixtis partim infallibilis est, partim non est.

Sed, si quæstio mixta sit ex facto, quod neque Dogmaticum est, neque ad fidem, aut rectam disciplinam pertinet, in eâ quæstione non est Ecclesia infallibilis; non enim est infallibilis in complexo judicando, nisi sit infallibilis in singulis partibus complexi.

In quæstionibus quæ nec juris sunt nec facti infallibilis non est infallibilitate saltèm Divinâ.

Dico ultimò. In quæstionibus, quæ nec juris sunt, nec facti, Ecclesia non est infallibilis infallibilitate saltèm Divinâ. Probatur, Quia infallibilitas Divina in eum tantùm finem data est Ecclesiæ, ne in fide, aut moribus erraret, quæstiones autèm quæ nec juris, nec facti sunt, nihil ad fidem Ecclesiæ, nihil ad mores faciunt: Ergò respectu illarum Ecclesia infallibilitatem non habet, saltèm Divinam. Esto, humanam quamdam & moralem habeat; quatenùs fieri moraliter non potest, ut in materiâ necessariâ, tot ac tanta Ecclesiæ capita simul errent.

Ecclesiæ infallibilitas residet in Ecclesiâ totâ.

Thesis Tertia. Infallibilitas Ecclesiæ jàm explicata residet in Ecclesiâ totaliter sumptâ. Ratio est, quia promissio istius infallibilitatis cadit in totam Ecclesiam, non in singulas Ecclesiæ partes; nam quod toti promittitur, non continuò singulis partibus promitti putandum est, nisi distinctè id explicetur. Accedit quòd, aliquæ Ecclesiæ partes errasse convincuntur. Sed distinctiùs aperiendum est, in quo subjecto sit ista infallibilitas Ecclesiæ diffusæ, & in quo non sit.

Et quidem in totâ integraliter integritate seu physicâ seu moralis.

Dico igitur 1°. Infallibilitas est in Ecclesiâ integraliter totâ, integritate, seu Physicâ, seu morali. Nam dubium non est, quin Ecclesia tota integraliter integritate Physicâ infallibili-

tatem habeat, si enim id de quo omnes omninò fideles, nemine excepto, conveniunt tanquàm de Doctrinâ Christi, non esset Doctrina Christi, jàm tota Ecclesia propriè erraret. Sed neque ad infallibilitatem obtinendam necesse est, ut omnes omninò fideles consentiant, quia iste consensus omnium moraliter accipiendus est; nam si fortè pauci aliqui à cæteris omnibus dissenserint, non propterea consensus cæterorum omnium desinet esse infallibilis. Ratio ulterior est, quia pauci illi à cæteris dissentientes tenentur se conformare sensui cæterorum; Ergò sensus cæterorum infallibilitatem habet, paucis licèt refragantibus.

Dico 2°. Infallibilitas est in Ecclesiâ substantialiter totâ. Probatur. Ecclesia substantialiter tota dicitur illa Ecclesiæ pars, quæ, si Schisma fieret, retineret denominationem totius: Atqui infallibilitas est in illâ Ecclesiæ parte, quæ sola retinet denominationem totius, cujusmodi est Ecclesiæ pars Petro adhærens; nam infallibilitas promissa est Ecclesiæ supra Petrum ædificatæ: Ergò quamdiù remanet Ecclesia ædificata suprà Petrum, tamdiù remanet Ecclesia infallibilis; quamdiù autèm remanet Ecclesia Romana, remanet Ecclesia ædificata suprà Petrum.

In Ecclesiâ substantialiter totâ.

Dico 3°. Infallibilitas est in consensu omnium Ecclesiæ Pastorum. Probatur. Vel consensus iste versatur circa ea dogmata, quæ populo proponenda sunt, vel circa alia, quæ apud solos Pastores servari debent. Si Primum. Error Pastorum omnium errorem traheret populi Christiani, est enim obligatio in populo

In consensu omnium Ecclesiæ Pastorum.

Chriſtiano audiendi Paſtores ſuos. Si Secundum. Jam tota Eccleſia erraret ; nam quoàd illa dogmata , quæ apud ſolos Paſtores ſervantur , ſenſus Paſtorum omnium eſt ſenſus totius Eccleſiæ.

Imò eſt aliqua infallibilitas in conſenſu unanimi omnium Theologorum.

Dico 4°. Infallibilitas , ſaltèm aliqua, eſt in conſenſu unanimi omnium Theologorum ; tùm quia moraliter fieri non poteſt, ut omnes Theologi errent in Doctrinâ, fidei aut morum , tùm quia, ſi omnes Theologi errarent , error iſte errorem totius Eccleſiæ traheret, aut certè magno errandi periculo Eccleſiam exponeret. Paſtores enim in dubiis Theologos conſulunt, & eorum ſenſum ferè ſequuntur. Inſigne eſt, quod Doctoribus Scholaſticis tantùm tribuit Concilium Viennenſe , ut in quæſtione de effectu Baptiſmi parvulorum, ſequendam ſtatuerit majorem partem Theologorum ſui temporis. Quos igitur Concilia, & audire & ſequi non dedignantur , videant Hæretici, quâ fronte ipſi traducant, ut cavillantes Sophiſtas , ut ignarum gregem, ſtolidamque turbam.

Sed non eſt in ſingulis Eccleſiis particularibus.

Dico 5°. Infallibilitas non eſt in ſingulis Eccleſiis particularibus. Ratio eſt , quia infallibilitas promiſſa fuit toti Eccleſiæ , ſingulæ autèm Eccleſiæ partes non veniunt nomine totius. Confirmatur. Quia multæ Eccleſiæ particulares errarunt. Nam Eccleſia Affricana ferè adhæſit Cypriano in dogmate de Hæreticis Rebaptiſandis , Eccleſia Anglicana , aliæque multæ à fide defecerunt.

Multò etiam minùs in ſingulis fidelibus.

Dico 6°. Infallibilitas non eſt in ſingulis fidelibus. Eſt contra Monſtroſum dogma eo-

rum qui unicuique fidelium aſſiſtere volunt Spiritum Sanctum ad veram intelligentiam Scripturæ, ità ut in rebus fidei ſaltèm fundamentalibus, unuſquiſque, non Eccleſiam audire debeat, ſed privatum Spiritum ſuum. Refutatur autèm hic error manifeſtè. 1°. Quia nullibi extat promiſſio iſtius aſſiſtentiæ Spiritûs Sancti pro ſingulis fidelibus. 2°. Quia inter ipſos fideles de vero Scripturæ ſenſu interdùm non convenit, aliis aliter Scripturam interpretantibus: Ergò ſinguli fideles non habent Spiritum Dei aſſiſtentem in Scripturæ interpretatione, alioquin Spiritus Dei pugnantes interpretationes ſuggereret. 3°. Quia privati fideles erraſſe convincuntur, ut apparet in ipſis Patribus: quod ſi Patres ipſi errare potuerunt ſinguli, quis credat fideles vulgares errare non poſſe ſingulos. 4°. Quia neceſſe eſt eſſe unum judicem viſibilem, qui controverſias fidei finire poſſit ſententiâ ſuâ, Judex autem ille non eſt privatus cujuſque Spiritus, privati enim fidelium Spiritus ſunt partes contendentes.

Objicies. Multa Scripturæ teſtimonia ſingulis fidelibus tribuunt aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, quale eſt illud Iſaïæ 54. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.* Et Jeremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit ultra vir proximum ſuum, dicens, cognoſce Dominum, omnes enim ſcient me à minimo eorum uſquè ad maximum eorum.* Et Matthæi 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Et Joannis 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus*

facere qui misit me, cognoscet de Doctrinâ meâ, an ex Deo sit. Et Pauli 1ᵉ. ad Cor. 2. *Spiritualis autèm omnia judicat.* Et 1ᵉ Joannis 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio docet vos de omnibus.* Respondeo. Istiusmodi testimonia nihil favere privato spiritui Hæreticorum. Nam quod spectat ad 1ᵘᵐ. Dico cum Cyrillo, ibi promitti non privatum Spiritum Scripturarum Arcana revelantem, sed Doctrinam Evangelicam ipsius Domini ore annuntiatam: vel, si magis placet, dico cum Augustino promitti gratiam Spiritûs Sancti interiùs moventem, & suaviter impellentem ad credendum & amandum, ità ut docti à Domino dicantur, non qui exteriùs tantùm audiunt Doctrinam Evangelicam, sed qui ità audiunt, ut credant & convertantur. Ad 2ᵘᵐ Dico itèm cum Augustino contineri ibi promissionem gratiæ Novi Testamenti, seu fidei, per charitatem operantis, quam Deus diffundit in cordibus nostris, non solùm ut sciamus, sed etiàm ut impleamus mandata Divina. Verbis autèm illis, *& non docebit ultrà vir proximum suum*, promittitur præmium fidei, hoc est, Beatitudo, in quâ singuli Deum videbunt facie ad faciem: quòd si ea verba pertinere velis ad tempus præsens, dico per ea significari cognitionem Dei futuram esse aliquandò ità communem, ut à nemine Deus ignoretur, ac proindè quoàd hoc punctum Doctore opus non sit. Ad 3ᵘᵐ Dico non prohiberi eo loco, ne quis nomen aut Officium Magistri sibi assumat, sed ne superbiâ quadam Pharisaïcâ talem honorèm ambiat, affectet, ostentet. Quo

Explicātur testimonia quæ favere videntur privato spiritui.

Lib. de Prædest. Sanct.

ferè modo cùm dicitur ibidem. *Nolite Patrem vocare super terram*, non prohibetur nomen, aut officium Patris, sed nimius affectus ergà parentes terrenos damnatur. Ad 4um. Dico sensum esse viros bonos longè melius esse dispositos ad fidem suscipiendam, quia nimirùm carent impedimentis vitiorum pravorumque affectuum excæcantium secundùm illud Joannis. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis.* Ad 5um. Dico comparationem à Paulo institui inter hominem animalem & Spiritualem: nam animalis terrena solùm sapit, neque percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei, Spiritualis autem non tantùm de terrenis judicat, sed etiam de Divinis, & quidem sano judicio, quia res æstimat non ex suo, sed ex divino sensu. Ad 6um. Dico Joannem Apostolum velle tantùm fideles ab ipso edoctos, per ea quæ jam didicerant, adjuvante Spiritûs Sancti auxilio, tueri posse & servare veram fidem, contra perversam Pseudo-Apostolorum Doctrinam.

Infallibilitas Ecclesiæ & passiva, & aliquo modo activa est.

Thesis quarta. Infallibilitas Ecclesiæ non tantùm passiva est, sed etiam aliquo modo activa. Probatur. Quia Ecclesia per orbem diffusa errorem in fide sequi non potest, quod est habere passivam infallibilitatem; aliundè sensus Ecclesiæ per orbem diffusæ singulis fidelibus esse potest regula credendi, quod est habere infallibilitatem aliquo modo activam. Adde quòd potest Ecclesia de statu diffusionis venire ad statum Congregationis, in quo statu nec errorem audire potest, nec definire. Sed de sensu Ecclesiæ in Concilio Congregatæ speciatim dicendum est.

ARTICULUS II.

De sensu Ecclesiæ in Concilio Congregata.

Ecclesia repræsentatur per Concilium legitimè congregatum.

PRæmitto 1°. Ecclesia quæ per orbem diffusa est repræsentari potest per Concilium legitimè Congregatum, quo ferè modo Regnum aliquod, aut Provincia per comitia Regni aut Provinciæ repræsentantur. Et quoniam Ecclesia accipi potest, vel totaliter, vel partialiter, ideò Concilium Ecclesiam repræsentans esse potest, vel generale, vel particulare. Generale, quod Oecumenicum & plenarium appellatur; est repræsentativè tota Ecclesia; particulare verò aliquam tantùm partem repræsentat.

Seu generale.
Seu particulare.

Ad Concilium generale legitimum, & notoriè Oecumenicum quinque conditiones requiruntur. Prima. Indictio vel consensus Romani Pontificis. Secunda Convocatio legitima omniū orbis Christiani Episcoporum.

Præmitto 2°. Ad Concilium Generale legitimum & notoriè Oecumenicum quinque conditiones requiruntur de viâ ordinariâ. Prima est. Ut per Romanum Pontificem indicatur, aut certè de illius consensu, tacito, vel expresso, formali, vel interpretativo; est enim Canon Apostolicus à Concilio Nicæno renovatus, præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari non posse. Secunda conditio est. Ut ex omnibus orbis Christiani Provinciis, aut certè ex majori parte vocentur Episcopi; per quos fiat repræsentatio Ecclesiarum: Nam *Ecclesia in Episcopo est*, ut loquitur Cyprianus. Porrò Episcopis competit ordinariè jus suffragii, seu decisivum. Abbatibus verò, & pauculis aliis ex privilegio, non autem promiscuè omni fidelium multitudini, aut viris doctis quibuslibet,

ut fingunt Hæretici, ſurdi ad illam vocem in Concilio Chalcedonenſi toties repetitam, *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Nam populo quidem privatum fidei judicium aliquandò permiſſum eſt, ſed publicum nunquàm: Preſbyteri autèm, & privati Theologi audiri poſſunt, ut conſultores & Advocati, non ut judices & arbitri. Tertia conditio eſt. Ut Concilio præſideat Romanus Pontifex, non Imperator, aut quicumque alius: nam ut ſapienter contra Conſtantium Athanaſius in Epiſt. Ad ſolitarios, *Si Judicium*, inquit, *Epiſcoporum eſt, quid cum eo commune habet Imperator*; *Laïcis, ea quæ ſunt Eccleſiæ, non commiſit Deus.* Alii verò de ordine Eccleſiaſtico, quicumque illi ſint, Romanum Epiſcopum, & Patrem appellant, & Paſtorem, illius utiquè & oves & filii, ac ſi quos ipſe Fratres appellet ab iiſdem tamen agnoſcitur, ut primogenitus in multis fratribus. Utrùm ergò rationabilius eſt, Filii Patrem, an Pater Filios? Major minorem, an majorem minor? Oves Paſtor, an Paſtorem oves præſidem habeant? Præſidere autèm poteſt Romanus Pontifex, vel per ſe, vel per Legatos ſuos: & quidèm Conciliis Orientalibus per ſe nunquàm interfuit, excuſatque Leo magnus in Epiſt. Ad Theodoſium, quòd Chalcedonem non veniat, quia id non patitur conſuetudo, nec ulla habet prædeceſſorum exempla. Quarta conditio eſt. Ut proceſſus Concilii ſit legitimus & Canonicus, talis autem erit ſi de rebus deliberetur, conſentiente, aut annuente præſide, ſi audiantur partes, ſi cauſa diligenter, & pro merito exa-

Tertia. Præſidentia Pontificis per ſe aut per legatos ſuos.

Quarta. Proceſſus Concilii legitimus.

minetur, si liberè ferantur suffragia, & ab iis qui jus suffragii habent, si lata suffragia numerentur, & secundùm pluralitatem pronuntietur. Quinta conditio est. Ut Romanus Pontifex acta Concilii revisens Concilium approbet, seu declaret legitimum fuisse, & legitimè processisse, ejus que decreta Ecclesiis communicet. Has conditiones habere debet Concilium, ut sit omni ex parte legitimum & notoriè Oecumenicum. Potest ergò deficere Concilium à legitimo & notoriè Oecumenico multis modis. 1°. Defectu legitimæ indictionis, si nimirùm indictum non fuerit ab eo, à quo indici debuit. 2°. Defectu legitimi conventûs Episcoporum, si nimirùm ii vocati non fuerint, qui vocari debuerant. 3°. Defectu legitimæ præsidentiæ, si non is præsederit, qui præsidere debuit. 4°. Defectu legitimi processûs, si non fuerit processum eo modo, quo procedere oportebat. 5°. Defectu approbationis sufficientis, si non ab eo approbatum & confirmatum fuerit, à quo debuit approbari & confirmari.

Quinta. Approbatio Pontificis post revisionem actorum.

Præmitto 5°. Quodcumque Concilium Generale non est, esse de numero particularium. Concilia verò particularia, alia dicuntur Nationalia, alia Provincialia, & alia Diœcesana. Nationalia sunt, quæ constant Archyepiscopis & Episcopis unius Regni, vel Nationis, Præsidente aliquo Patriarchâ, vel Primate, cujusmodi sunt Concilia multa Affricana, Romana &c. Eaque interdùm appellantur generalia & universalia, respectu nimirùm habito ad Regnum in quo fiunt. Provincialia sunt, quæ constant

Concilia particularia, alia dicuntur nationalia, alia provincialia, alia Diœcesana.

constant unius provinciæ Episcopis, Præsidente Archiepiscopo, seu Metropolitano. Diœcesana sunt, quæ constant Pastoribus, aut Presbyteris unius Episcopatûs præsidente Episcopo. Cæterùm Concilia particularia, vel sunt approbata ab Ecclesiâ, vel reprobata, vel media, hoc est, nec approbata, nec reprobata. Approbata dicuntur, quorum decreta proposita sunt omnibus fidelibus cum obligatione credendi. Reprobata dicuntur quorum decreta pro falsis, aut suspectis habentur ab Ecclesiâ. Media dicuntur, quæ nec approbata, nec reprobata, privatam suam Authoritatem retinent, nec habent aliundè majorem.

Aliqua approbata, aliqua reprobata, aliqua media & suspensa.

Thesis prima. Concilium generale legitimum & notoriè Oecumenicum totius Ecclesiæ infallibilitatem habet. Ratio est, quia ejusmodi Concilium repræsentat totam Ecclesiam; Ecclesia enim ad controversias fidei terminandas jus habet constituendi judices & arbitros, iisque committendi authoritatem suam, sive jus illud naturale sit, & Ecclesiæ commune cum aliis omnibus societatibus, sive jus illud Divinum sit, de Apostolicâ traditione veniens: nam Apostoli in quæstione de legalibus abolendis, vel retinendis convenerunt ipsi, & conveniendi formam tradiderunt successoribus suis, undè sic argumentor. Concilium generale legitimum, & notoriè Oecumenicum habet authoritatem totius Ecclesiæ, quam repræsentat, ità ut sensus Concilij sit sensus totius Ecclesiæ: Ergò cum sensus totius Ecclesiæ sit infallibilis, ut supra statutum est, sensus quoque Concilii Generalis legitimi, &

Concilium Generale legitimum & notoriè Oecumenicum totius Ecclesiæ infallibilitatem habet.

notoriè Oecumenici infallibilis eſt. Confirmatur 1°. Ex traditione Apoſtolicâ. Apoſtoli enim ipſi convenientes Jeroſolymis in negotio circumciſionis, & formam celebrandi Concilii tradiderunt, & ejuſdem infallibilitatem notarunt, Epiſtolæ ſuæ Synodali magnifica hæc verba præfigentes, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Confirmatur 2°. Ex communi ſenſu Patrum. Patres enim communiter docent Concilii generalis legitimi ſententiam, ultimum eſſe Eccleſiæ judicium, quod neque irritari, neque retractari poſſit. Docent Hæreticos eſſe qui Conciliorum Generalium definitionibus contradicunt. Docent Conciliorum Decreta Divina eſſe, & à Spiritu Sancto inſpirata. Docent moriendum potiùs eſſe, quàm à Conciliorum Generalium Decretis recedendum; quæ omnes Patrum locutiones ſatis indicant, quid ſenſerint Patres de infallibilitate Concilii Generalis. Confirmatur 3°. Ex ipſis Conciliis Generalibus, quæ ſibi infallibilitatem aſſumunt, idque ſine dubio ex Scripturis & traditionibus Divinis benè intellectis. Nam Prælatos totius Eccleſiæ in tot ſæculis congregatos, quis præſumere audeat erraſſe in Scripturæ, aut traditionis intellectu, & infallibilitatem ſibi temerè vindicaſſe, quam non habent. Confirmatur 4°. Ex communi ſenſu fidelium, qui putant teneri ſe Conciliorum Generalium definitionibus: undè ulteriùs ſequitur, ſi fortè erraret Concilium Generale legitimum, ex illo Concilii errore neceſſariò futurum, ut tota Eccleſia erraret, tota autèm Eccleſia errare non poteſt.

Objicies 1°. Multa Concilia Generalia in fide errarunt. Nam 1°. Concilium Judæorum Præside Caïphâ Summo Pontifice erravit circa Divinitatem Christi, quæ profectò ad fidem pertinet. 2°. Concilium Apostolorum erravit præcipiendo Gentilibus partem aliquam legis Mosaïcæ, quâ tamen lege non tenebantur Gentiles, ut habemus ex ipso Paulo. 3°. Concilium Nicænum 1um. Et militiam damnavit, quæ tamen licita est, & Hæreticos Rebaptisari voluit; qui tamen non sunt Rebaptisandi. 4°. Concilium Sardicense Arianis favit, quare Augustinus l. 3. Contra Cresconium c. 34. *Disce*, inquit, *quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit.* 5°. Concilium Ariminense ad perfidiam Arianam defecit, ità ut in eo Nicænæ fidei conclamata damnatio sit. 6°. Concilium Ephesinum II. approbavit errorem Eutychetis. 7°. Concilium Chalcedonense Epistolam Ibæ Nestorianam approbavit. 8°. Duo Concilia magno Episcoporum numero Constantinopoli habita, unum sub Leone Isauro, Alterum sub Constantino Copronymo sacrum cultum Imaginum damnarunt. Respondeo. Nullum Ecclesiæ Concilium Generale, quâ parte legitimum est, erravit in fide, ex quo magnum petitur Argumentum pro infallibilitate Concilii Generalis legitimi; cùm enim tot Concilia Generalia, tàm multas quæstiones definierint, profectò si infallibilitatem non haberent, in aliquâ definitione errassent, & facilè convincerentur erroris: quare, ut ad singulos errores objectos respondeam. Ad primum. Dico Concilium Judæorum fuisse Con-

Nullum Concilium Generale quâ parte legitimum est, erravit ex fide.

cilium Synagogæ, non Ecclesiæ Christi; Thesis autèm nostra procedit de infallibilitate Ecclesiæ, non Synagogæ. Fateor ergò errasse Concilium Judæorum; neque enim Synagogæ promissa fuerat infallibilitas præsente Christo, quin potiùs à Daniele prædictum fuerat fore, ut Judæi circa Divinitatem Christi errarent. Esto, infallibilis fuerit Synagoga ante Christi adventum, sed præsente Christo nihil necesse erat infallibilem esse, quia Christus ipse per se immediatè veritatem docere poterat. Ad secundum. Dico Concilium Apostolorum acquievisse sententiæ Petri de jugo legis Mosaïcæ fidelibus non imponendo, addidisse tamen pro suâ Authoritate temporale præceptum abstinentiæ à sanguine & suffocato, sed in hoc præcepto ne umbra quidèm erroris est. Ad tertium. Nego absolutè damnatam fuisse militiam à Concilio Nicæno, nisi in iis circumstantiis in quibus militia signum est idololatriæ: nam, cum Imperatores Ethnici Christianos milites militiâ exauthorarent, fiebat, ut fideles abjecto militiæ cingulo, mallent vivere inglorii, quàm fidem negare; aliquandò tamen iidem tentatione victi cingulum resumerent, eoque facto fidem suam interpretativè negarent: contra quem abusum, est Canon II.

Dan. c. 9.

„ Concilii Nicæni, qui verò, inquit, per Dei
„ gratiam vocati, Primò quidem ostenderunt
„ fidem suam, deposito militiæ cingulo, post-
„ hac verò ad proprium vomitum reversi sunt,
„ ut, & pecunias darent, & ambirent, rediere
„ rursùm ad militiam, isti decem annis sint in-
„ ter pœnitentes, postquàm triennio fuerint in-

ter audientes, id eſt, Cathecumenos. Quod verò pertinet ad Rebaptiſandos Hæreticos, non definivit Concilium omnes Rebaptiſandos eſſe, ſed Paulianiſtas tantùm, & alios ejuſmodi, qui veram Baptiſmi formam non haberent. Ad quartum. De Concilio Sardicenſi benè notant Bellarminus, & Baronius unum legitimum fuiſſe Sardicæ habitum ab Epiſcopis Orthodoxis, alterum Spurium ab Arianis Philippopoli, ſuum verò Concilium Ariani appellarunt Sardicenſe, & patrocinante Conſtantio velut unicum promulgari curarunt; eaque cauſa eſt, cur Concilium Sardicenſe reprobatum alicubi inveniatur, & ab ipſomet Auguſtino iſtam Arianorum fraudem ignorante; cùm tamen verum Sardicenſe Concilium, non modò non faverit Arianis, ſed Arianorum reliquias oppugnarit, fueritque defenſio, quædam & confirmatio Nicæni Concilii, undè etiam Concilii Nicæni nomine interdùm comprehenditur. Ad quintum. Dico Concilium Ariminenſe bono initio, fœdo exitu fuiſſe conſummatum; nam initio quidèm Ariana profeſſio Sirmii edita omnium Patrum ſuffragiis exploſa fuit, Nicæna Confeſſio ſtabilita, Valens, & Urſacius excommunicati; quibus omnibus abſolutis, perfecto Concilio, Patres ab Imperatore miſſionem petierunt. Recentiora verò Arimini, ſeu quæ poſteà per vim & metum ab Epiſcopis extorta ſunt, ad legitimum Concilium non pertinent. Quare nego Concilium Ariminenſe, quâ parte legitimum eſt, ad perfidiam Arianam defeciſſe. Ad ſextum. Fateor quidèm ab Epheſino II. Approbatum fuiſ-

ſe errorem Eutychetis, ſed nego Epheſinum II. eſſe Concilium Oecumenicum, aut legitimum, quia nimirùm repugnantibus apertè Legatis Pontificiis totum negotium tranſactum eſt, undè & prædatoria Synodus, & Latrocinium Epheſinum appellari ſolet. Ad ſeptimum. Nego in Concilio Chalcedonenſi approbatam fuiſſe Epiſtolam Ibæ Epiſcopi Edeſſeni: Hæc enim Epiſtola, nec approbata fuit, nec reprobata, ſed ità in Concilio lecta, ut Patres à ferendo de illâ judicio abſtinuerint. Ad octavum. Dico Iconomacha illa Concilia, non fuiſſe Oecumenica, aut legitima, quia nimirùm iis nullus Patriarcharum, aut interfuit, aut conſenſit.

Objicies 2°. Ex Conciliis etiàm legitimis prodeunt interdùm Decreta pugnantia: Ergò neceſſe eſt errare aliquod Concilium legitimum. Antecedens probatur in honore Sedium: nam in Concilio Nicæno tributus eſt Sedi Alexandrinæ ſecundus locus poſt Romanam. In Concilio autèm Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi, honor ille Sedi Conſtantinopolitanæ delatus eſt. Reſpondeo. Ex Conciliis legitimis prodire interdùm decreta pugnantia quoàd præceptum, ſed non quoàd definitionem. Ratio eſt, quia Concilia Generalia legitima, cum ſint infallibilia, facere non poſſunt definitiones pugnantes, ità enim aliquod Concilium in definiendo erraret, ac proindè non eſſent omnia infallibilia; ſed cum omnia æqualem habeant Authoritatem in præcipiendo, nihil vetat præcepta priorum Conciliorum abrogari à poſterioribus, proùt viſum fuerit; id enim fieri poteſt, ſine ullo er-

Ex Conciliis legitimis prodeunt interdùm decreta pugnantia quoàd præceptum, nõ quoàd definitionem.

rore, ſeu priorum, ſeu poſteriorum. Quare ad exemplum propoſitum dico potuiſſe à Concilio Nicæno tribui ſecundum locum Sedi Alexandrinæ, potuiſſe itèm à Conciliis ſequentibus deferri eundem honorem ſedi Conſtantinopolitanæ, neque de ejuſmodi poteſtate controverſia unquàm fuit, ſed de rationabili uſu poteſtatis; Romani enim Pontifices diu repugnarunt, obtendentes non eſſe cauſam, cur ordo ſedium à Nicænâ Synodo præſcriptus mutaretur, in detrimentum Epiſcopi Alexandrini, & favorem Conſtantinopolitani.

Objicies. 3°. Ex Auguſtino, l. 2. de Bapt. c. 3. Concilia etiàm plenaria emendari poſſunt, priora à poſterioribus; emendari autèm non poſſent, ſi eſſent infallibilia: ergo ex Auguſtino Concilia plenaria non ſunt infallibilia. Confirmatur iſte Auguſtini ſenſus ex Libro ejuſdem 3. contra Maximinum, c. 14. *Nec ego Concilium Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquàm præjudicaturus proferre, nec ego hujus Authoritate, nec tu illius detineris:* Ergo non putabat Auguſtinus Nicæni Concilii authoritatem infallibilem eſſe, quandoquidèm non putabat ſe illâ teneri. Reſpondeo. Sunt qui Auguſtinum explicent de Conciliis Nationalibus, quæ ipſa interdùm plenaria appellantur. Sunt qui intelligant de Conciliis generalibus illegitimis, quæ per legitima emendari poſſunt. Sed nihil vetat intelligi de Conciliis generalibus etiàm legitimis, nam & ipſa emendari poſſunt, tùm in iis facti quæſtionibus, in quibus diximus errare poſſe Eccleſiam, tùm in præceptis morum, quæ mutabilia ſunt pro mutatione cir-

Infallibilitatem Concilii generalis legitimi nuſquàm negavit Auguſtinus.

cumſtantiarum. Abſolutè tamen nego Concilium generale legitimum emendari poſſe in quæſtionibus juris, aliiſque in quibus Eccleſiam infallibilem eſſe ſtatuimus. Ad confirmationem dico, quamvis Auguſtinus agnoſceret infallibilitatem Concilii Nicæni, ne tamen operam perderet apud Maximinum, qui talis Concilii Authoritate parùm movebatur, prudenter ad quæſtionem decidendam, Conciliorum Authoritatem ſepoſuit, & ad alia cauſæ ſuæ argumenta adverſarium provocavit,

Concilium particulare approbatum & receptum ab Eccleſiâ, quâ parte approbatum & receptum eſt, infallibilitatem habet.

Theſis 2ª. Concilium particulare approbatum, & receptum ab Eccleſiâ, quâ parte approbatum & receptum eſt, infallibilitatem habet. Ratio eſt, quia ſi tale Concilium erraret, jam tota Eccleſia Concilii decretis acquieſcens erraret, Eccleſia autèm tota errare non poteſt.

Concilia particularia approbata vindicantur à multis erroribus.

Objicies. Multi notantur & inſignes errores Conciliorum particularium etiam eorum, quæ ab Eccleſiâ approbationem habent. Exemplum ſit 1°. Concilium Eliberitanum, in quo damnatæ ſunt ſacræ imagines, prohibitumque eſt ne in pariete pingerentur. 2°. Concilium Francofordienſe, quod reprobavit 7ªᵐ. Synodum generalem, ejuſquè ſententiam de adoratione ſacrarum imaginum. Reſpondeo. Conciliis particularibus ab Eccleſiâ approbatis ſi qui tribuuntur errores, non niſi falsò ac temerè & ex ignorantiâ tribuuntur. Nam 1°. Eliberitani Concilii Canon ille de non pingendis in pariete imaginibus, nihil nocet cultui ſacrarum imaginum, imò in eum finem fuit editus perſecutionis tempore, ne ſacræ imagines indignè tractarentur. 2°. Concilium Francofordienſe ſub

Carolo Magno, utram Synodum damnarit Conſtantinopolitanam, an Nicænam diſputatur; probabilius eſt damnaſſe Nicænam, ſed errore facti & materialiter, ut explicat Bellarminus: nam Autor Librorum Carolinorum Patribus Francofordienſibns duo mendacia obtruſit, unum, in Synodo Nicænâ definitum fuiſſe, ut imagines adorarentur cultu Latriæ. Alterum, hujuſmodi definitionem factam fuiſſe, ſine conſenſu Romani Pontificis. Quare Patres ità damnarunt Synodum Nicænam, ut legitimam venerationem imaginum non damnarint. Porrò Libri illi Carolini, qui Carolo Magno tribuuntur, Caroli non ſunt, ſed eos ab hæretico compoſitos miſit Carolus ad Pontificem Adrianum, ut iis reſponderet.

Concilium generale illegitimum Eccleſiæ infallibilitatem non habet.

Theſis 3ª. Concilium generale illegitimum infallibilitatem Eccleſiæ non habet. Ratio eſt, quia ſicut comitia regni illegitima regnum non repræſentant, ità Concilium illegitimum non repræſentat Eccleſiam: ergo nihil eſt cur Concilium illegitimum habeat infallibilitatem Eccleſiæ. Adde quod multa Concilia generalia illegitima erraſſe convincuntur.

Objicies. 1°. Multa Concilia illegitima infallibilitatem habent, nam illorum decretis tanquàm veris fidei definitionibus fideles acquieſcunt. Exempla ſint 1°. Concilium Conſtantinopolitanum primum, cui Concilio nullus Epiſcoporum Occidentalium interfuit. 2°. Concilium generale quintum, in quo neque per ſe, neque per legatos ſuos præſedit Romanus Pontifex. 3°. Concilium Acephalum, ſeu ſine Capite, cùm ſedes vacat, aut dubius eſt Pon-

tifex, aut legitimè deponendus. 4°. Concilium à Pontifice certo, neque deponendo sejunctum, nam si Concilium seorsùm à Capite infallibile non esset, Ecclesia à capite sejuncta non haberet infallibilitatem, Ecclesia autèm præcisè sumpta à suo capite infallibilitatem habet. Ergo &c. Respondeo. Concilium illegitimum non habet à se, ut infallibile sit, potest tamen accipere infallibilitatem ab Ecclesiæ approbatione, sicut Concilium particulare legitimum, quamvis non habeat à se infallibilitatem. Atque hæc responsio ferè sufficiens est, quamvis Concilia proposita non essent legitima; dico tamen ulteriùs ad Primum, Concilium illud Constantinopolitanum, pro divinitate Spiritûs Sancti contra Macedonium, quamvis ei nullus Occidentalium interfuerit, Oecumenicum tamen esse, saltèm virtualiter; quia moraliter unum fuit cum Romano, quod eodem ferè tempore habitum est, Oecumenicum, inquam, sed ex postfacto, ut vult Cardinalis Perronius: neque obstat illa regula Juris, *quæ semel irrita sunt, ex postfacto non convalescunt*; Neque enim irrita fuit hujus Concilii Authoritas, sed suspensa tantùm, donec accederet confirmatio Romanæ sedis, quâ accedente, ex illis unum fuit per quæ fit repræsentatio totius nominis Christiani, ut loquitur Tert. scriptumque in eo Symbolum est, quod Romani voluerunt fidem esse totius orbis: dicitur tamen Constantinopolitanum potiùs quàm Romanum, quia fidei Symbolum Constantinopoli scriptum, Romæ probatum est. Ad secundum de Concilio generali V. Fateor non præfuisse ei Vigi-

Potest tamen accipere infallibilitatem ab Ecclesiæ approbatione.

lium Pontificem, aut per ſe, aut per legatos ſuos, quia ei neutro modo interfuit; ſed Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Vigilio præſidentiam obtulerat: nihil tamen in Concilio definitum fuit, niſi ex prælectis Vigilii litteris, & præhabitâ illius ſententiâ, ut, ſi minùs per ſe, aut per legatos ſuos, certè velut per Vicarias litteras præſidere videretur. Sed quod ei Concilio defuit, ut legitimum eſſet, per confirmationem Pontificis & conſenſum Eccleſiæ ſuppletum eſt. Ad tertium. Dico Concilium Acephalum in caſu Sedis vacantis, aut dubii Pontificis, aut etiam Pontificis propter hæreſim notoriam, aliamvè cauſam legitimè deponendi, infallibile eſſe ſaltem in ordine ad electionem, aut depoſitionem Pontificis, quia in ordine ad eam actionem legitimum eſt, totamque Eccleſiam, eo modo quo fieri poteſt, repreſentat. Ad quartum. Dico in caſu certi & non deponendi Pontificis, Concilium Acephalum ità à capite ſejunctum, ut ei Pontifex, neque per ſe, neque per legatos ſuos interſit, vel conſentiat, infallibile non eſſe, quia ſufficienter non repræſentat totam Eccleſiam; fieri tamen poteſt, ut aliquod ejuſmodi Concilium non erret; & accedente conſenſu Pontificis infallibilitatem habeat.

Obiicies 2°. Supponamus Pontificem præſidere Concilio per legatos, legatos autem præſidentes non conſentire cum Patribus, ſed ſequi ſententiam diverſam à ſententiâ Concilii; ſententia Concilii oppoſita ſententiæ legatorum infallibilis eſt, neque tamen eſt conſenſus capitis cum membris. Reſpondeo. Legati Ponti-

Legati Pōtificis aliquandò nō tenentur acquiescere Sententiæ Concilii.

ficis, vel ità ad Concilium mittuntur, ut à Pontifice accipiant plenam & determinatam instructionem fidei in materiâ jam satis definitâ, quam sequi debent, & proponere Patribus sequendam, vel ita mittuntur ut relinquatur illis plena potestas sequendi partem quam libuerit, & re benè examinatâ videbitur. Si primum. Dico Concilii Sententiam oppositam sententiæ legatorum non esse infallibilem defectu legitimi processus. Ratio est, quia in eo casu Concilium celebratur, non ad examinandam aut definiendam rem, sed ad notificandam totius Ecclesiæ consensionem. Si secundum. Dico legatos sententiæ Concilii legitimi & legitimè procedentis acquiescere debere, & privatam opinionem suam deponere; quod si fortè non fecerint, non desinet Concilium esse legitimum, quia Concilio etiàm tunc aderit consensus Capitis cum membris, saltèm in deliberando. Quare sententia Concilii erit vera sententia Concilii legitimi & Oecumenici totam Ecclesiam sufficienter repræsentantis, ac proindè infallibilis erit.

Aliquandò tenentur.

Instabis. Ergo Pontifex ipse tenetur sequi sententiam Conciliarem, ac proindè inutilis est approbatio & confirmatio Pontificis. Respondeo. Pontifex tenetur sequi sententiam Concilii legitimi & legitimè procedentis, ut regulam certò demonstrativam veritatis; neque tamen est inutilis approbatio & confirmatio Pontificis. Valet enim 1°. Ad declarandum Concilium legitimum fuisse, & legitimè processisse. 2°. Valet ad demonstrandam totius Ecclesiæ unionem, perfectamque capitis cum membris consensionem. 3°. Valet ad supplendum

Tenetur Pontifex sequi sententiam Concilii legitimi & legitimè procedentis

Neque tamen inutilis est ap-

ſi quid fortè in Concilio minùs legitimum foret.

Obiicies. 3°. Semper dubitari poterit, an Concilium ſit legitimum: ergo ſemper dubitari poterit, an ſit infallibile; neque enim Concilium infallibile eſt, niſi legitimum ſit: ergo niſi conſtet Concilium eſſe legitimum, non conſtat eſſe infallibile. Reſpondeo, nego antecedens. Nam 1°. Interdùm notoriæ ſunt quinque conditiones ſupra memoratæ, indictio, convocatio, præſidentia, proceſſus, & confirmatio. 2°. Quodcumque Concilium agnoſcitur ab Eccleſiâ pro legitimo certiſſimè legitimum eſt, quia Eccleſia errare non poteſt in hujuſmodi facto eſſentialiter cum fide connexo. 3°. Quodcumque Concilium confirmatur à ſummo Pontifice, & fidelibus proponitur cum obligatione acquieſcendi, acceptante Eccleſiâ, pro legitimo haberi debet, quia ſi Concilium ejuſmodi non eſſet legitimum, jam tota Eccleſia Concilii definitionibus acquieſcens errare poſſet.

probatio & confirmatio Pontificis.

Quomodo conſtare poſſit de legitimitate Concilii.

Theſis 4ª. Concilium particulare etiam legitimum ſeorsùm ab Eccleſiæ approbatione infallibilitatem non habet. Probatur. Quia Concilium particulare non repræſentat totam Eccleſiam, ſed partem Eccleſiæ: ergo cùm pars Eccleſiæ quam repræſentat, non ſit infallibilis, nec ipſum infallibile eſt. Adde quod, multa Concilia particularia errarunt in multis. Moneo tamen Conciliis etiam particularibus magnam venerationem habendam eſſe, nec temerè, quod nonnulli faciunt, contemnendam eorum authoritatem, donec, aut manifeſtæ rationi re-

Concilium particulare ſeclusâ Eccleſiæ approbatione non eſt infallibile.

Non eſt tamen contemnenda illius authoritas.

pugnare, aut positivè reprobari ab Ecclesiâ, aut contrariâ Synodo infirmari videantur: quod enim quis errare possit, non continuò errat, & nisi probetur error, aut magna fiat suspicio erroris, imprudenter, ne dicam, impudenter facit, qui Concilii judicio non acquiescit.

ARTICULUS II.

De sensu Ecclesiæ in Capite adunatæ.

Quo sensu tota Ecclesia sit in Summo Pontifice.

PRæmitto 1°. Cùm Ecclesia sit in Episcopo, juxta celebre dictum Cypriani, tota Ecclesia aliquo modo est in Summo Pontifice, quia Summus Pontifex totius Ecclesiæ Pastor est. Neque novus est iste existendi modus: nam quæcumque communitas aliquo modo existit in suo capite, & interdùm tota per suum caput repræsentatur, in ordine ad aliquas actiones.

Persona privata Pontificis.

Præmitto. 2°. Duplex in summo Pontifice distinguenda est persona, privata scilicet & publica. De personâ privatâ non agimus, nemo enim dubitat quin ea errori obnoxia sit: quæstio igitur solùm procedit de personâ publicâ. Sustinet autem Pontifex multiplicem personam publicam, personam Episcopi Romani, personam Patriarchæ Occidentis, & personam totius Ecclesiæ Pastoris. Hæremus hîc in personâ publicâ totius Ecclesiæ Pastoris, quia consideramus Pontificem, ut repræsentat totam Ecclesiam, totam autem Ecclesiam repræsentat, ut totius Ecclesiæ Pastor est.

Persona publica multiplex.

Præmitto. 3°. Pontificem, ut totius Ecclesiæ Pastor est, posse habere se duplici modo in

controversiis fidei & morum. 1°. Quidèm ità ut loquatur ex Cathedrâ, dicitur autèm loqui ex Cathedrâ, si toti Ecclesiæ proponat aliquid credendum cum obligatione acquiescendi, non quòd in Cathedrâ materiali sedens, ut nugantur hæretici, velut ex tripode oracula fundat, sed quod rem definiat ex potestate directivâ totius Ecclesiæ in materiâ fidei & morum, quam à Christo accepit, talis enim potestas Cathedræ nomine significatur. Quo modo ex Cathedrâ locutus est Innocentius X. cùm Jansenii quinque propositiones damnavit, omnibus & singulis Ecclesiis obligationem faciens acquiescendi. 2°. Ità ut non loquatur ex Cathedrâ, quando scilicet circa dubia occurrentia mentem suam aperit, nulli, aut certè non toti Ecclesiæ obligationem faciens acquiescendi. Quo modo plerumque loquuntur Pontifices ad privatorum consulta rescribentes. Versamur hîc in solo sensu Pontificis ex Cathedrâ loquentis.

Quid sit loqui ex Cathedrâ Pontificem.

Præmitto 4°. Pontifex ex Cathedrâ loquens, vel in Concilio generali loquitur, vel extra Concilium generale, nam Pontifex controversias fidei interdùm definit sacro approbante Concilio, interdùm verò extra Concilium, approbante tantùm Ecclesiâ per orbem diffusâ. Utrovis modo definiat, videndum est illius an sensus infallibilis sit.

Thesis. 1ª. Sensus Pontificis ex Cathedrâ loquentis approbante Concilio generali infallibilis est, in discernendâ verâ doctrinâ Christi. Sequitur ex superioribus, quia infallibilis est sensus Concilii generalis legitimi: ergo si sen-

De sensu Pontificis approbante Concilio generali.

ſus Pontificis congruat cum ſenſu Concilii generalis legitimi, infallibilis eſt; nam ſi fortè erraret in ſuo ſenſu Pontifex, Concilium pariter generale erraret.

Objicies. Non eſt obligatio acquieſcendi ſenſui Pontificis etiàm congruentis cum ſenſu Conciili generalis, nam multæ Eccleſiæ Catholicæ nondùm acquieverunt iis decretis, quæ Summi Pontifices ex ſenſu Concilii Tridentini promulgarunt. Reſpondeo. Senſus Pontificis cum Concilio generali congruentis verſari poteſt, aut in materiâ fidei, aut in materiâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Si verſatur in materiâ fidei, eſt in omnibus fidelibus obligatio ei acquieſcendi, ità ut nullus omninò ſine hæreſi diſſentire poſſit. Si autèm verſatur in materiâ diſciplinæ, dico in omnibus fidelibus eſſe obligationem credendi, ea quæ præcipiuntur, ſanctè & legitimè præcipi, non eſt tamen obligatio in omnibus fidelibus faciendi res præceptas, quia nimirùm ſunt certæ quædàm Eccleſiæ, quarum privilegium eſt, ne apud ipſas decreta Pontificia, aut Conciliaria pertinentia ad diſciplinam, vim habeant obligandi, niſi priùs de more acceptata fuerint; cujuſmodi privilegio non præſumitur Pontifex aut Concilium velle derogare. Atque hæc eſt cauſa cur Concilium Tridentinum quoad diſciplinam Eccleſiaſticam nondùm receptum ſit in aliquibus Eccleſiis etiam Catholicis, ſed nihil inde arguitur contra infallibilatatem ſenſûs Pontificii cum Concilio congruentis.

De ſenſu Pontificis

Theſis 2ª. Infallibilis itèm eſt etiam extra Concilium generale ſenſus Pontificis ex Cathe-
drâ

drâ loquentis accedente consensu Ecclesiæ per orbem diffusæ. Sequitur itèm ex dictis, nam sensus Ecclesiæ per orbem diffusæ infallibilis est; sensus autem ille Pontificis, est sensus Ecclesiæ per orbem diffusæ, ergo, &c.

extra Concilium accedente cõsensu Ecclesiæ per orbem diffusæ.

Objicies. Ad omnes fidei controversias terminandas opus est Concilio Generali, tùm quia nulla fuit damnata hæresis, nisi de sententiâ Concilii Generalis, tùm quia superflua & inutilis esset Conciliorum Generalium celebratio, si absque Concilio generali Fidei controversiæ terminari possent. Respondeo. Ad controversias Fidei terminandas opus est Concilio generali aliquandò & per accidens tantùm, non absolutè & per se. Neque verum est, nullam fuisse damnatam hæresim sine Concilio generali; nam totis tribus primis Ecclesiæ sæculis damnatæ fuerunt hæreses, eæque multæ, sine Concilio generali; putà hæreses, Valentini, Marcionis, Montani, Novatiani, aliorumque hæreticorum, de quibus Irenæus, Tertullianus & Hieronymus multa habent. Primum enim Concilium generale numeratur Concilium Nicænum habitum circa annum Christi 325. Sed & posterioribus sæculis invenitur facta legitima damnatio hæreticorum sine Concilio generali. Unum exemplum sufficiet depromptum ex Augustino in causâ Pelagii; hæresis enim Pelagiana temporibus Augustini habebatur pro legitimè damnatâ sine ullo Concilio generali. Cujus rei extat luculentum Augustini testimonium, l. 2. contra Julianum c. 1. Ubi cùm Julianus postularet judicium competens, in quo ipsorum causa retractaretur, *Vestra*

Ad terminandas Fidei controversias opus est Concilio generali aliquandò & per accidens, non absolutè & per se.

Lib. 2. contra Iul. c. 1.

verò, inquit Augustinus, *apud competens judicium communium Episcoporum modò causa finita est, nec amplius vobiscum agendum, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hâc re sententiam cum pace sequamini, quod si nolueritis, à turbulentâ & insidiosâ inquietudine cohibeamini.* Et Paulò post. *Nolite*, inquit, *ulteriùs hæc vana jactare, vobisque sufficiat quòd vos Ecclesia catholica, & maternâ lenitate sustinuit & judiciariâ severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit.* Atqui cum hæc scribebat Augustinus nullum præcesserat Concilium generale in causâ Pelagii, nam in Concilio quidem Ephesino damnata posteà fuit hæresis Pelagiana, occasione Nestorianæ; sed Ephesinum Concilium non vidit Augustinus. Stet ergo ad decidendas fidei controversias non esse absolutè, & per se necessarium Concilium generale. Neque tamen hinc sequitur superfluum, & inutilem esse Conciliorum generalium celebrationem; quamvis enim Concilium generale absolutè, & per se necessarium non sit, aliquando tamen, & per accidens necessarium est, aut saltem valdè utile. 1°. Quia Pontifex aliquando causam fidei definire non vult, nisi de sententiâ Concilii generalis, sivè propter difficultatem causæ maturius examen postulantis, sivè ad exquirendum diligentiùs singularum Ecclesiarum sensum. 2°. Quia interdum turbulentis hæreticis Concilium generale postulantibus ex quâdam condescendentiâ & prudenti dispensatione Juris annuere oportet quod volunt, ut eis præcludatur omnis causa querelarum. 3°. Quia Patres in Concilio generali

Neque hinc sequitur inutilem esse Conciliorum generalium celebrationẽ, ad multa enim valet.

acrius animantur ad veram fidem in suâ quisque Ecclesiâ conservandam, seu mutuò exemplo, seu zelo quodam tuendi suffragii sui. 4°. Quia collatis omnium sententiis meliùs judicatur de adhibendis præsenti malo remediis. 5°. Quia per Concilium generale manifestius apparet omnium Ecclesiarum in unam fidem consensus. Pro viâ decidendi controversias de doctrinâ Christi, nec vacat nunc plura dicere, nec necesse est.



QUÆSTIO VIII.

De Censurâ Theologicâ.

PArabola est Evangelica, inimicum hominem in medio tritici superseminasse zizania, quibus triticum corrumperetur. Sed veritas est nimiùm patens, Doctrinæ Christi, quæ in scripturâ & Traditione continetur, malam interdùm doctrinam à perversis hominibus superseminari; idque magno fidelium scandalo & periculo, nisi Ecclesia totius doctrinæ custos, regulis suis verum à falsò sapienter discernens, Theologicâ censurâ notaret perversa dogmata, & dogmatum assertores. Alia est ergo Censura dogmatum, alia Censura personarum. Utriusque verò cognitio necessaria est, non modò ipsis censoribus, ne Censuram imprudenter ferant, sed etiam Theophilo nostro, ne in Theologiæ decursu diversas Censuras, seu dogmatum, seu personarum malè confundat.

Censurâ Theologica alia est censura dogmatum, alia censura personarum.

CAPUT PRIMUM.

De Censurâ dogmatum.

Censura dogmatum quid sit.

PRæmitto. Censura Theologica dogmatum est sententia, per quam mala doctrina ità notatur, ut fidei aliquo modò nociva esse pronuntietur. Explicatur. Censura *sententia* dicitur; neque enim cujuscumque est ferre Censuram, sed legitimi cognitoris & judicis, qui possit obligationem aliquam sententiâ suâ inducere. Dicitur deindè sententia, *Per quam mala doctrina notatur*; Censura enim cadere non debet nisi in doctrinam aliquo modo malam, quia damnari non debet nisi quod malum est. Dicitur denique sententia, per quam doctrina mala ità notatur, *ut fidei aliquo modo nociva pronuntietur*. Nam si doctrina nullo modo fidei noceret, Censuræ Theologicæ obnoxia non esset. Sed ad naturam Censuræ Theologicæ plenè intelligendam, scire oportet. 1°. Cujus sit ferre Censuram Theologicam. 2°. Quæ sit Censuræ Theologicæ materia. 3°. Quæ forma. 4°. Quæ, & quàm multæ illius species. 5°. Quam obligationem inducat.

Ad plenam illius intelligentiam quid scire oportet.

Censuræ ferendæ potestas quibus competat.

Thesis 1ª. Censuram Theologicam ferre possunt & debent ij soli, quibus ex officio competit fidem in Ecclesiâ servare integram illibatámque. Ratio nimirùm est, quia potestas ferendæ Censuræ eò solum valet, & in hunc finem necessaria est, ut fides integra illibatáque

ſervetur. Ergo iis ſolùm competit Cenſuræ ferendæ poteſtas, quibus ex officio competit, fidem in Eccleſiâ integram illibatámque ſervare. Competit igitur 1°. Ea poteſtas Paſtoribus Eccleſiarum ſeu Epiſcopis, *Quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei.* Nam quomodo regere Eccleſiam Dei ſatis poſſint, niſi poſſint iidem perverſa dogmata, quæ fidei nocent, pro ſuâ authoritate notare, & à fidelibus longè arcere? *Epiſcopis*, inquam, ſive in Concilio generali congregatis, (quia Concilium generale, legitimum, ut poteſt ſupremo judicio, fidei doctrinam definire, ita poteſt ſupremo judicio damnare doctrinam quamcumque fidei adverſantem) ſive congregatis in Concilio Nationali, aut Provinciali; Concilii enim Nationalis aut Provincialis eſt, fidem puram ſervare totius nationis, aut Provinciæ, quam repræſentat. Ergo ejuſdem eſt notare perverſa dogmata, quæ fidem alterarent: ſeu denique ſingulis Epiſcopis, unicuique in ſuâ Diœceſi; quia unicuique ex officio incumbit tueri in ſuâ Eccleſiâ puritatem fidei, ac proindè eam damnare doctrinam, quâ puritas fidei corrumperetur. Ex quo principio ſequitur, ſummum Pontificem omnium Eccleſiarum Paſtorem, pro eâ, quæ ipſum tangit, curâ univerſi gregis, poſſe, ac debere perverſa dogmata, ubicumque naſcantur, aut ſerpant, Cenſurâ Apoſtolicâ ferire. Competit. 2°. Ferendæ Cenſuræ poteſtas Inquiſitoribus fidei: Tribunal enim Inquiſitionis in hoc poſitum, & ab Eccleſiâ conſtitutum eſt, ut doctrinas omnes *Dæmoniorum* Doctrinæ Chriſti adverſantes inqui-

1°. Competit Epiſcopis ſive in Concilio generali congregatis. *Act. c.* 20.

Sive in Concilio Nationali aut Provinciali.

Sive ſingulis in ſuâ Diœceſi.

2°. Inquiſitoribus fidei.

3°. Academicis Theologiæ facultatibus.

rat, & damnet. Competit. 3°. Academicis Theologiæ Facultatibus, quæ sunt armamentaria fidei, & propugnacula religionis. Nam & ipsæ in Provinciis Christianis authoritate Pontificiâ, simul & Regiâ constitutæ ordinantur ad sanam probamque doctrinam Fidelibus tradendam, insanam verò & adulteram configendam.

Privati Theologi cur censuram Theologicam propriè dictam non ferunt.

Objicies. Privati etiam Theologi, qui nec de ordine Episcopali, nec de Tribunali Inquisitionis, nec de Academiâ sunt, Censuram tamen ferunt, taxando interdùm propositiones ut hæreticas, erroneas, scandalosas, &c, Idque audiente Ecclesiâ, nec improbante. Ergo potestas ferendæ Censuræ non iis solis competit, quibus competere diximus. Respondeo. Privati Theologi Censuram Theologicam propriè dictam non ferunt, quia privatorum Theologorum sententia, non est sententia judicum, quæ obligationem inducat, sed sententia Actorum, seu accusatorum, quæ judices ipsos instruat, & excitet ad sententiam obligantem ferendam. Aliter ergo doctrinam notant privati Theologi, aliter quibus ex officio incumbit: isti notant, ut judices; illi, ut accusatores. Neque tamen eo nomine reprehensionem ullam privati merentur, quasi judicium Ecclesiæ præveniant, & alienam sibi potestatem arrogent. Nimirùm speculatores sunt; hostem indicant, non confodiunt: Catelli sunt Dominici gregis, Pastorem crebris latratibus admonent, excitantque, ut Lupos abigat, & singulorum esse potest vox illa Ambrosii Catarini, *Catellus Domini ego sum.*

Quia scilicet doctrinam notant, non ut judices, sed ut accusatores.

Thesis 2ª. Materia Censuræ Theologicæ est omnis & sola doctrina, quæ fidei aliquo modo nociva est. Probatur, quia Censura Theologica ordinatur ad puritatem fidei conservandam; ergo cadere debet in omnem & solam doctrinam, quæ potest nocere fidei: nam quæcumque nocere potest, damnari debet, ne fides damnum ex eâ patiatur: quæcumque verò nullo modo potest nocere, non est, quod, propter causam fidei, Censurâ notetur. Hîc tamen moneo in ordine ad Censuram, propositionem æstimandam esse, non præcisè ex se, & ex objecto suo, sed ex animo, & sensu, aliisque circumstantiis proferentis. Quam ob rem censoribus utiles esse poterunt observationes sequentes. 1ª. Circa personam ipsius proferentis: nam propositio, quæ in ore unius catholica est, in ore alterius censeri potest ut hæretica. Ratio est, quia fortè unus proferentium fidei suspectus est, alter longè abest ab eâ suspicione. Ita hæc propositio, *Pater est major Filio*, in ore Athanasii catholica erat; in ore autem Eusebii cujuspiam, aut Theognidis, hæretica. Ita laudabatur olim ab Hilario formula quædam fidei ut catholica, in ore scilicet, & sensu Catholicorum, quæ eadem reprobatur ut hæretica, in ore & sensu Semi-Arianorum. 2ª. Circa tempus propositionis prolatæ; quia propositio, quæ uno tempore extra Censuram est, fieri potest, ut alio tempore Censuram mereatur. Incidunt enim mala quædam tempora, quibus cautè omninò loquendum est, & perfidiæ loco habetur negligentia cautionis; eaque tempora ferè sunt, cum hæreses, aut schismata oriuntur. Nam

Quæ sit materia cẽsuræ Theologicæ dogmatum.

Omnis & sola doctrina aliquo modo nociva fidei.

Pro æstimandâ propositione in ordine ad censuram observationes aliquot.

1ª. Circa personã ipsius proferentis.

2ª. Circa tempus propositionis prolatæ.

tunc, ut in civilibus bellis contingit; vel unius gestus, motus, nutus oculorum, aliaque ejusmodi signa æquivoca sinistrè accipiuntur, & partium Symbola sunt. Ita Basilio legimus crimini datum, quòd glorificationis Hymnum protulisset his verbis, *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu Sancto.* Nimirùm hæresis Ariana grassabatur; extra quem casum caruisset ea formula suspicione Arianismi. 3ª. Circa statum propositionis, seu abstractæ à proferente, seu conjunctæ cum proferente, damnantur enim, & meritò quidem, multæ propositiones, ex libris sanctorum Patrum abstractæ, quæ tamen in sensu, & in Libris Patrum, sunt omnino laudabiles & Catholicæ. Nec est, quod queratur Calvinus cum suis, damnatas à Tridentino sexcentas propositiones, quæ ad verbum extant apud Augustinum. Nam licèt voce tenùs eædem sint, retineantque, avulsæ à cæteris, corpus idem, & cadaver sententiæ, at non animam eamdem habent, eumdemque sensum. 4ª. Circa locum, in quo propositio profertur. Nam Concionatoribus pro Concione multa licent, quæ in Theologis Scholasticis reprehensionem haberent. Est enim Concionator veluti torrens sine lege, flumen exundans, mare fervidum; exit aliquando extra ripas, nec se continet intra alveum veritatis. Cæterùm in his omnibus excusantur Censores à vitio acceptionis personarum, aut inconstantiæ; quia circumstantiæ temporis, & loci, aliæque id genus, licet propositionem, quoad verba, & materialiter eandem relinquant, faciunt tamen formaliter diversam. Idèmque hîc accidit, quod

Basil. ad Amphil. c. 1.

3ª. Circa statum propositionis seu abstractæ à proferente, seu conjunctæ cum proferente.

4ª. Circa locum in quo propositio profertur.

in amphibologiâ, aut locutionibus æquivocis, quæ per varias circumſtantias ad varios ſenſus determinantur, ita ut una Phyſicè oratio fiat moraliter multiplex.

Obijcies. Interdum Cenſurâ Theologicâ notantur opiniones etiam Philoſophicæ, ut contigit opinioni de compoſitione continui ex ſolis indiviſibilibus, in Concilio Conſtantienſi; quæ tamen opinio fidei nociva non eſt. Ergo materia Cenſuræ Theologicæ non eſt ſola doctrina fidei nociva.

Reſpondeo. Cenſura cadens in opinionem purè Philoſophicam, & fidei nullo modo nocivam, non eſt Cenſura Theologica, etiamſi fortè à Theologis lata ſit. Cenſura enim denominatur Theologica, non præciſè à Cenſoribus Theologis, ſed etiam à conditione materiæ, in quam cadit. Cenſura igitur illa Patrum Conſtantienſium, quamvis à Theologis lata, Theologica non fuit, defectu ſcilicet materiæ idoneæ ad Cenſuram Theologicam; atque hinc fortè eſt, cur eam Martinus V. approbare noluerit. Non nego tamen, quin opinio Philoſophica ſit aliquandò Cenſuræ Theologicæ obnoxia: quia opinio Philoſophica aliquandò fidei nociva eſt, ſi non formaliter & directè, ſaltem indirectè, & conſequenter; cujuſmodi ſunt multæ recentium Philoſophorum opiniones, quæ non modo Philoſophiam totam corrumpunt, ſed ipſam etiam Theologiam contagione quadam inficiunt; quatenus per illas fit, ut myſteria fidei, aut ruere omnino, aut nutare videantur. Quapropter rem Eccleſiæ & Religioni utilem fecerint Paſtores, & Cenſores

Cenſuræ Theologicæ obnoxia non eſt opinio purè Philoſophica, & fidei nullo modo nociva, ſed quæcumque aliquo modo fidei nociva eſt, etiam Philoſophica, ſub cenſuram cadit, quales multæ ſunt recentium Philoſophorum opiniones.

Academici, si virgam suam censoriam, ad profanas ejusmodi novitates, sine ullo respectu & acceptione personarum extendant. Mihi certè animus est, in tractatione Theologiæ nostræ, quascumque deprehendero non satis principiis fidei congruentes sententias, etiam Philosophicas, notare obiter, eàsque, si non judicis, saltem accusatoris more censere.

Forma Censuræ Theologicæ in quo consistat.

Thesis 3ª. Forma Censuræ Theologicæ non in simplici prohibitione doctrinæ, sed in certâ quadam damnatione consistit; quâ scilicet pronuntietur doctrina nociva fidei, atque ut talis prohibeatur. Probatur. Quia non omnis doctrina, quæ prohibetur, continuò Censurâ Theologicâ notatur. Duplicem enim ob causam doctrina aliqua prohiberi potest; vel quia tumultus excitat, turbatque pacem, & charitatem fidelium; vel quia Religionem, & fidem petit. Prima prohibendi ratio simplex est, & nuda quædam prohibitio; altera, damnatio est, seu pronunciatio falsitatis sententiæ, & alicujus oppositionis cùm fide. Prima violatorem facit dumtaxat inobedientem & contumacem; altera fidei suspectum reumque. Una potestatis est directivæ morum; altera, de potestate venit directivâ fidei & doctrinæ. Dico autèm in simplici & nudâ prohibitione doctrinæ non consistere formam censuræ Theologicæ; quia Ecclesia doctrinam interdum prohibet absque ullâ censurâ. Id quod patet in doctrina de maculato Deiparæ conceptu; quæ doctrina, nudè & simpliciter prohibetur doceri exteriùs, pacis, & charitatis causâ: sed non propterea censurâ notatur; interiùs enim teneri hodiéque permitti-

Non consistit in simplici & nudâ prohibitione doctrinæ; interdū enim doctrina prohibetur absque censurâ.

tur. Nam si fortè censurâ Theologicâ notaretur, prohiberetur causâ fidei : si autem prohiberetur causâ fidei, ne interiùs quidem teneri permitteretur. Ergo in simplici, & nuda prohibitione doctrinæ non consistit forma censuræ Theologicæ. Confirmatur. Quia interdum utraque contradictionis pars prohibetur, propter bonum pacis; donec lite pendente, re maturiùs examinatâ judex pronuntiaverit. Quo modo Honorius in rescripto ad Sergium vocabulum unius, aut geminæ in Christo operationis prohibuit. Utraque tamen pars non notatur censurâ Theologicâ, ut per se patet: alioquin censurâ notaretur pars etiam illa, quæ fidei conformis est. Stet igitur, formam Censuræ Theologicæ non in simplici prohibitione doctrinæ, sed in certâ quadam damnatione consistere; quâ scilicet pronuntietur doctrina nociva esse fidei, & ut talis prohibeatur.

Sed in certa quadam damnatione quâ scilicet pronuntietur doctrina esse nociva fidei, & ut talis prohibeatur.

Objicies. Forma Censuræ Theologicæ est aliquid censuræ Theologicæ essentiale: damnatio autem, quâ pronuntiatur doctrina fidei nociva, non est essentialis Censuræ Theologicæ. Nam 1°. Liber aliquis interdum censurâ notatur, eo ipso quòd prohibetur. Ergo in solâ prohibitione stare potest ratio censuræ. 2°. Interdum damnatur Liber, & non prohibetur: damnatur enim, nullâ facta mentione prohibitionis. Ergo forma censuræ non postulat essentialiter eam damnationem, quæ sit prohibitio. 3°. Damnatur interdum liber, & prohibetur, nullâ factâ mentione oppositionis, quam habet cum fide; tunc tamen censurâ Theologicâ notatur. Ergo forma censuræ Theologicæ non requirit damna-

tionem, quâ Doctrina pronuntietur nociva fidei. Respondeo. Nego Minorem. Ad primam verò probationem dico, Librum Censurâ notari Theologicâ, eo ipso quòd prohibetur; si nimirum in circumstantiis prudenter credatur ideò prohiberi, quia fidei nocivus est; tunc enim prohibitio est tacita quædam, & interpretativa libri damnatio, Quòd si liber nudè & simpliciter prohiberetur sine ullâ damnatione, seu expressâ, seu interpretativâ, non intelligeretur propterea Censurâ Theologicâ notatus. Ad secundam autem dico, librum, quâ sententiâ damnatur ut fidei nocivus, eâdem sententiâ prohiberi; statim enim ut pronuntiatur habere qualitatem nocivam fidei, exurgit jure ipso naturæ, si non positivo, obligatio abstinendi à libro, in iis saltem, quibus à libri lectione aliquod fidei periculum timeri potest. Ad tertiam dico, si liber nec damnatur, nec prohibetur, titulo oppositionis cum fide, Censurâ Theologicâ non notatur. Sed contingere potest, ut damnetur, & prohibeatur titulo oppositionis cum fide, quamvis ejusmodi oppositionis expressa mentio non fiat. Tunc autem Censurâ Theologicâ verè notatur, dummodo causa damnationis & prohibitionis rationabiliter præsumatur esse qualitas nociva fidei.

Censuræ Theologicæ multiplex species.

Thesis 4ª. Multiplex est species Censuræ Theologicæ. Probatur. Quia Censura Theologica multiplicatur pro multiplici gradu oppositionis Doctrinæ cum fide; potest autem Doctrina habere multiplicem gradum oppositionis cum fide. Nam generatim duplex oppositio distingui potest, oppositio directa, & oppositio indire-

Unde petatur.

ἐta. Directa est, per quam Doctrina aliqua ita fidei opponitur, ut fidem, ejusque principia intrinseca directè, & formaliter petat. Indirecta verò, per quam Doctrina aliqua evertit principia dumtaxat, seu fundamenta extrinseca, quibus fides aliquo modo fulcitur, & vallatur. Sed cujuscumque oppositionis seu directæ, seu indirectæ præcipuos gradus notare solent censores certis verbis, conceptisque formulis. Habentur autem eæ formulæ censoriæ, seu solennes propositionum notæ, in Decretis Conciliorum, & Bullis Pontificum. Nam Concilium Constantiense Sess. 8[a]. Articulos Vviclefi damnavit declarando, *aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè Hæreticos; alios, non Catholicos, sed erroneos, alios scandalosos & blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios, & seditiosos.* Eodem fere modo Articulos Lutheri damnavit Leo X. in Bullâ suâ. *Præfatos omnes*, inquit, *& singulos articulos, seu errores, tanquam respectivè Hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus.* Similes quædam formulæ adhibentur in Bullâ Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra Michaëlis Baii propositiones. *Quas quidem sententias, Hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus.* Notari ergò potest Doctrina aliqua ut *Hæretica*, ut *hæresi proxima*, ut *erronea*, ut *proxima errori*, ut *hæ-*

Explicantur formulæ censoriæ, seu solemnes propositionum notæ ferè desumptæ ex Decretis Conciliorum, & Bullis Pontificum.

resim, *aut errorem sapiens*, ut *suspecta*, ut *impia*, & *blasphema*, ut *scandalosa*, ut *piarum aurium offensiva*, ut *male sonans*, ut *simplicium mentium seductiva*, ut *seditiosa*, ut *temeraria*, ut *improbabilis*, ut *falsa*. Quas omnes formulas, ex supradictis aliisque Conciliorum & Pontificum Constitutionibus excerptas, & Censoribus familiares, operæ-pretium erit diligenter explicare Theophilo nostro, ut deinceps in Theologiæ tractatione distinctè intelligat, quoties usurpabuntur, quæ sit illarum vis, & propria significatio.

Quæ dicatur Doctrina hæretica.

Dico igitur 1°. Doctrina, ut hæretica, notari solet, quæcumque directè & formaliter opponitur veritati Catholicæ. Probatur. Veritas Catholica dicitur, Dogma revelatum à Deo, & Summâ Ecclesiæ authoritate propositum. Doctrina autem quæcumque opponitur directè & formaliter Dogmati revelato, & Summâ Ecclesiæ authoritate proposito, ut hæretica notari solet; & meritò quidem: hæretica enim est; &, si pertinacia accedat, hæreticum facit. Duo igitur, ut vides, requiruntur, & sufficiunt ad Doctrinam Hæreticam: primum, ut opponatur veritati à Deo revelatæ; alterum, ut opponatur revelationi Divinæ, non quocumque modo propositæ, sed summâ authoritate Ecclesiæ, ad credendum, aut certè ad non discredendum obligantis.

Quis hæreticus.

Objicies. Nemo Hæreticus est sine pertinaciâ, quidquid mali, aut perversi sentiat. Ergò ad Doctrinam hæreticam essentialiter requiritur pertinacia sentientis. Si enim non requireretur, Doctrina hæretica, sentientem, etiam non per-

tinacem, hæreticum faceret. Reſpondeo. Nego conſequentiam, ejuſque probationem. Nam hæreticus non dicitur, quicumque ſuſtinet Doctrinam hæreticam; ſed qui Doctrinam hæreticam ita ſuſtinet, ut ſcienter, & culpabiliter repugnet ſupremo Eccleſiæ judicio, veritatem proponentis, ut à Deo revelatam; qui ſuſtinendi modus pertinacia eſt. Ergò nemo hæreticus eſt ſine pertinaciâ. At verò Doctrina hæretica dicitur, conſiderata in ſe, & præſcindendo à ſtatu ſuſtinentìs: quia nimirum conſiderata in ſe talis eſt, ut ſi pertinacia acceſſerit, ſuſtinentem hæreticum faciat. Talis autem eſt eò præciſè quòd opponitur veritati Catholicæ, ſeu veritati, quæ à Deo revelata eſt, & Summâ Eccleſiæ authoritate proponitur, ut revelata. Unde ſequitur 1°. Doctrinam hæreticam eſſe, quæcumque expreſſo alicui ſcripturæ ſenſui opponitur: Eccleſia enim ſummâ authoritate ſcripturam proponit, ut verbum Dei, & ſenſum ſcripturæ expreſſum, ut ſenſum à Deo revelatum. Sequitur 2°. Hæreticam eſſe Doctrinam, quæcumque opponitur Traditioni alicui divinæ manifeſtæ; quia Eccleſia Traditiones omnes divinas, ut verbum Dei, ſummâ authoritate proponit. Sequitur 3°. Hæreticam eſſe Doctrinam, quæcumque opponitur expreſsè Concilio generali legitimo, definienti aliquid fide divinâ credendum: quia Concilium generale legitimum Eccleſiam repræſentat, & quidquid credendum definit, ſummâ authoritate proponit, ut in Scripturâ, vel Traditione contentum, ac proindè ut à Deo revelatum.

Dico 2°. Doctrina ut erronea notari ſolet,

quæcumque opponitur veritati à Deo revelatæ, juxta unanimem ſenſum Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ, nondum tamen ſupremo Eccleſiæ judicio definitæ. Probatur. Quia Doctrina erronea habet minorem aliquam oppoſitionem cum fide, quàm Doctrina hæretica, & ad hæreticam proximè accedit. Non accederet autem proximè ad hæreticam, niſi unanimi ſenſui Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ repugnaret. Cum hæreticâ verò coincideret, ſi repugnaret expreſsè ſupremo Eccleſiæ judicio. Nimirum, ut Doctrinam ſummè commendat teſtimonium Dei, ſummâ Eccleſiæ authoritate propoſitum; deinde verò, & quidem proximè, teſtimonium idem, factum credibile unanimi conſenſu Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ: ita prima Doctrinæ macula, & nota, eſt repugnare teſtimonio divino, ſummâ Eccleſiæ authoritate propoſito; ſecunda verò, repugnare eidem teſtimonio, declarato per unanimem ſenſum Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ. Atque hæc videtur fuiſſe mens Concilii Tridentini, cùm duas damnat Scripturæ interpretationes; unam contra ſenſum Eccleſiæ; alteram contra unanimem Patrum, Doctorumque conſenſum.

Seſſ. 4. Decr. de uſu Sacrorum lib.

Objicies. Doctrina erronea eſt quæcumque Doctrina falſa: eſt enim error omnis actus falſus, in quacumque materiâ verſetur. Ergò Doctrinam erroneam malè reſtringimus ad eam ſolam, quæ unanimi ſenſui Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ opponitur. Reſpondeo. Doctrina erronea, ut accipitur in communi uſu Cenſorum, non eſt quæcumque Doctrina falſa, ſed Doctrina aliqua falſa, certam aliquam cum fide oppoſitionem

Multiplex acceptio erroris & Doctrinæ erroneæ.

oppoſitionem habens : quam oppoſitionem omnis Doctrina falſa non habet. Nam error quidem latiſſimè ſumptus ſupponit pro omni actu falſo, in quacumque materiâ verſetur : quo ſenſu omnis falſitas, etiam Philoſophica, error eſt. Error verò Theologicè ſumptus, eſt omnis actus falſus in materiâ Theologicâ : quo ſenſu omnis Doctrina revelationi Divinæ quocumque modo oppoſita, erronea eſt ; & Lutheri articulos Leo X. omnes & ſingulos, *Errores* appellavit. Sed error propriè, & ſtrictè acceptus, in uſu communi Cenſorum, eſt ſententia quædam falſa, in materiâ Theologicâ, habens cum fide ſecundum oppoſitionis gradum, & malitiam hæreticâ malitiâ ita minorem, ut illam proximè contingat. Hæc verò malitia conſiſtit in manifeſtâ oppoſitione Doctrinæ, cum unanimi ſenſu Patrum, aut Doctorum Eccleſiæ ; quam profectò oppoſitionem non habet omnis Doctrina falſa, etiam in materiâ Theologicâ.

Inſtabis 1°. Si Doctrina erronea habet manifeſtam oppoſitionem cum ſenſu unanimi Patrum, jam non diſtinguetur ab hæreticâ : hæretica enim eſt, quæcumque opponitur veritati à Deo revelatæ, & ſufficienter ab Eccleſiâ propoſitæ. Atqui Doctrina oppoſitionem habens manifeſtam cum unanimi ſenſu Patrum, opponitur eadem veritati à Deo revelatæ, & ab Eccleſiâ ſufficienter propoſitæ : ſiquidem Eccleſia damnat omnem Doctrinam, unanimi ſenſui Patrum oppoſitam. In damnatione autem illâ continetur approbatio, & propoſitio Doctrinæ, cui ſuffragatur unanimis ſenſus Patrum. Reſpondeo. Nego ſequelam. Ad probationem

Doctrina erronea quomodo non confundatur cum hæreticâ.

dico, non omnem Doctrinam, quæ opponitur unanimi sensui Patrum, esse continuò oppositam supremo judicio, & definitioni Ecclesiæ. Nam unanimis sensus Patrum fundare quidem potest definitionem Ecclesiæ; sed non est ipsa Ecclesiæ definitio. Quod verò additur, damnari ab Ecclesiâ omnem Doctrinam unanimi sensui Patrum oppositam, certissimum est; sed non inde sequitur summâ Ecclesiæ authoritate definiri omnem Doctrinam, cui suffragatur unanimis sensus Patrum, esse in Scripturâ, aut Traditione contentam: alioquin damnare non posset Ecclesia unam aliquam propositionem, quin contradictoriam summâ authoritate, & supremo judicio definiret, esse à Deo revelatam; quod tamen est apertè falsum.

Instabis 2°. Doctrina, cui manifestè suffragatur unanimis sensus Patrum, est Doctrina fidei; est enim à Deo revelata, & sufficienter proposita, ad inducendam obligationem credendi. Quia unanimis sensus Patrum, ut suprà statuimus, regula est, saltèm moraliter, infallibilis, ad Doctrinam Divinam discernendam. Ergò Doctrina manifestè opposita unanimi sensui Patrum, est Doctrina hæretica. Respondeo. Nego Consequentiam. Neque enim Doctrina hæretica est, eo præcisè quòd opponatur Doctrinæ fidei; nisi fortè opponatur Doctrinæ fidei in primo gradu. Doctrina autem, cui præcisè suffragatur unanimis sensus Patrum, non est Doctrina fidei, in primo gradu, sed in secundo dumtaxat. In primo enim gradu est ea solùm Doctrina fidei, quæ summâ Ecclesiæ authoritate proponitur, ut revelata. In secundo autem

gradu est, quæ per unanimem sensum Patrum sit credibilis. Esto igitur sit obligatio credendi Doctrinam, cui manifestè suffragatur unanimis sensus Patrum; non est tamen obligatio credendi sub pœnâ hæresis saltèm formalis; neque discredens, aut contradicens erit formaliter hæreticus, eo præcisè quòd discredat, aut contradicat veritati, per unanimem sensum Patrum propositæ; sed consequenter & arguitivè tantùm, quatenùs præsumitur negare veritatem aliquam à Deo revelatam, & summâ Ecclesiæ authoritate propositam, putà infallibilitatem Ecclesiæ, in Doctrinâ aliquâ damnandâ, aut approbandâ.

Quæ dicatur Doctrina hæresi proxima.

Dico 3°. Doctrina, ut hæresi proxima, notari potest, quæcumque ita non est hæretica, ut proximè ad hæresim accedat. Explicatur, & probatur. Fit interdùm, ut mala aliqua Doctrina nondùm sit hæretica; quia Doctrina, cui opponitur, quamvis à Deo revelata sit, nondùm summâ Ecclesiæ authoritate satis proponitur ut revelata; eadē tamen ad hæresim proximè accedat. Id quod dupliciter contingit. 1°. Si Doctrina revelata, cui opponitur, sit fortè definita supremo Ecclesiæ judicio; sed nondùm ita clarè, & evidenter, ut non sit aliquis adhuc tergiversationi locus. Ad propositionem autem sufficientem nihil opus sit, nisi ut tantillùm claritatis, & evidentiæ accedat. 2°. Si Doctrina, cui opponitur, non sit expressè definita supremo Ecclesiæ judicio; sed talis sit, cui suffragetur unanimis sensus Patrum, aut Ecclesiæ Doctorum; adeo ut ab Ecclesiâ proximè definiri possit, & summâ Ecclesiæ authoritate proponi. Utrovis modo se ha-

beat Doctrina à Deo revelata, dico, Doctrinam quamcumque ei oppositam, esse proximam hæresi ; quia proximum est , ut fiat manifestè opposita Doctrinæ , supremo Ecclesiæ judicio definitæ ; in quâ manifestâ oppositione stat ratio hæresis.

Objicies. Ergò Doctrina hæresi proxima, est eadem erronea : consequens si admittatur , censoriæ formulæ confundentur , non distinguentur. Respondeo. Censoriæ formulæ, quæ sub diversis terminis idem significant , non tam distinguendæ sunt, quàm confundendæ. Admitto igitur, Doctrinam hæresi proximam eamdem esse cum erroneâ. Nam quæcumque erronea est, proxima est hæresi ; quia proximum est, ut fiat opposita veritati supremo Ecclesiæ judicio definitæ;veritas enim,cui suffragatur unanimis Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ consensus, proxima est, ut supremo Ecclesiæ judicio definiatur : quæcumque item hæresi proxima est , eadem est erronea ; quia Doctrina hæresi proxima fieri non potest, quin unanimi sensui Patrum , aut Doctorum Ecclesiæ opponatur ; in qua oppositione consistit ratio erroris, seu malitia erronea.

Et quomodo cum erroneâ confundatur.

Instabis. Contingit aliquandò , ut Doctrina, quæ ante Concilium generale probabilis erat , in ipso Concilio generali damnetur , ut hæretica. Ergò Doctrina hæresi proxima, non est semper erronea. Consequentia probatur. Quia Doctrina , quæ ante Concilium probabilis erat , non erat eadem erronea ante Concilium ; Doctrina enim erronea nequit esse probabilis , quo tempore erronea est. Atqui eadem hæresi proxima erat ante Concilium. Tam enim proxima

erat hæresi, quàm proximum erat, ut fieret hæretica, seu opposita supremo Ecclesiæ judicio, per ipsam Concilii definitionem. Sed paulò ante Concilium, quo tempore probabilis erat, proxima erat, ut fieret hæretica, seu supremo Ecclesiæ judicio opposita; per ipsam scilicet proximi Concilii definitionem. Respondeo. Admissâ hypothesi antecedentis. Nego consequentiam. Fateor quidem, Doctrinam, paulò ante Concilium probabilem, non fuisse eo tempore erroneam; sed nego eamdem fuisse hæresi proximam. Quamvis enim propè erat, ut damnaretur supremo Ecclesiæ judicio, tanquam hæretica, hoc tamen tunc non habebat, ex præsenti suo statu, sed ex diligenti examine Concilii paulò post futuro. Doctrina autem hæresi proxima dicitur, non quæ brevi futura est hæretica; sed quæ ex præsenti suo statu habet, ut proxima sit hæresi. Quæcumque verò est ejusmodi, erronea est.

Quæ dicatur errori proxima.

Dico 4°. Doctrina, ut errori proxima, notari potest, quæ ita erronea non est, ut errorem contingat. Explicatur & probatur. Fieri potest, ut Doctrina nondùm satis apertè opposita unanimi sensui Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ, propè tamen sit, ut satis apertè opponatur. Quia jam ita opponitur majori parti Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ, ut, si pauculi aliqui ad majorem partem accedant, aut jam accessisse probentur, quod facillimum est, habendus sit manifestè consensus unanimis. Doctrinam verò ejusmodi dico, esse, non erroneam, sed errori proximam: quia tam propè est, ut fiat erronea, quàm propè est, ut con-

tra se habeat unanimem sensum Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ. Dixi, si pauculi aliqui ad majorem partem aut accedant, aut jam accessisse probentur: quia fieri potest, ut Doctrina reipsâ opposita sit unanimi sensui Patrum; sed sensus Patrum unanimis nondum satis sit exploratus; cui si nihil penè desit, ut exploratus fiat, jam Doctrina opposita non erronea quidem erit, sed errori proxima.

Quæ suspecta seu hæresis, seu erroris.

Dico 5°. Doctrina, ut suspecta notari potest, quam gravat prudens aliqua suspicio oppositionis cum fide, seu primæ, seu secundæ. Nam alia est Doctrina suspecta hæresis, alia suspecta erroris. Suspecta hæresis dicitur, contra quam est gravis suspicio hæresis, seu oppositionis cum supremo Ecclesiæ judicio, veritatem oppositam summâ authoritate proponentis. Suspecta verò erroris est, quæ laborat gravi suspicione erroris, seu oppositionis cum unanimi sensu Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ, veritati oppositæ suffragantium. Prudentem, & gravem suspicionem appello, judicium prudens, nixum fundamento gravi, quo judicatur, non ipsa Doctrinæ oppositio cum fide, seu prima illa sit, seu secunda; sed periculum oppositionis. Nam si prudenter judicaretur ipsa Doctrinæ oppositio cum fide, jam Doctrina judicaretur prudenter, non suspecta hæresis, aut erroris, sed hæretica, aut erronea. Atque hinc apparet primò, Doctrinam suspectam esse notæ cujusdam inferioris respectu Doctrinæ hæreticæ, aut erroneæ. Apparet secundò, Doctrinam hæresi proximam esse plusquam suspectam, quia Doctrina hæresi proxima est erronea, ut supra dictum est; sus-

pecta verò est infra erroneam. Apparet tertiò, Doctrinam proximam errori suspectam esse. Cùm enim nec hæretica sit, nec erronea, sed errorem contingat; in tam tenui intervallo, seu discrimine, facilè confunditur cum errore, &, ut meliùs dicam, ipsa erroris contagio suspectam facit erroris.

Dico 6°. Doctrina aliqua notari potest, ut hæresim sapiens, aut errorem, quæ saporem habet aut hæresis, aut erroris. Sapor autem iste nihil aliud est, quàm species quædam, aut apparentia sensibilis Doctrinæ hæreticæ, aut erroneæ. Doctrina ergò hæresim, aut errorem sapiens, à suspectâ non distinguitur. Suspecta enim non laborat gravi suspicione hæresis, aut erroris, nisi quia saporem habet, & apparentiam sensibilem hæresis, aut erroris. Quæ sapiens hæresim aut errorem.

Dico 7°. Doctrina, ut impia, aut blasphema, notari potest, quæcumque vel Deo, vel Deiparæ, vel sanctis injuriosa est, sive perfectiones debitas detrahendo, sive imperfectiones, quæ non conveniunt, affingendo. Doctrina autem impia, & blasphema potest esse vel hæretica, vel erronea, vel suspecta, pro gradu oppositionis, quam habet cum supremo Ecclesiæ judicio, vel unanimi sensu Patrum, aut Doctorum Ecclesiæ; sed habet eadem semper specialem aliquam oppositionem cum fide, quatenùs est contra reverentiam Deo, & rebus sacris debitam; quâ præsertim reverentiâ fides alitur. Quæ impia aut blasphema.

Dico 8°. Doctrina, prout fidei offendiculum est, notari potest, ut scandalosa, quæcumque damnat in praxi, & in individuo bonos fidelium mores, piasque consuetudines; fin- Quæ scandalosa.

gendo scilicet in iis pericula vitiorum, & abusus. Dixi, *in praxi, & in individuo.* Nam propositio, quæ generatim talia damnaret, superiores notas Doctrinæ seu hæreticæ, seu erroneæ, seu suspectæ incurreret. Purè igitur scandalosa adversatur communi fidelium consuetudini; quæ consuetudo plurimùm potest, ad moralem Doctrinam in genere conservandam.

Quæ malè sonans.

Dico 9°. Doctrina, ut malè sonans, notari potest, quæcumque ita duos habet sensus, unum fidei congruentem, alterum non congruentem, ut in malam partem non rarò accipiatur; excitando in audientibus, sensum non congruentem fidei. Probatur. Quia propositio eo ipso malè sonat, quòd malum sensum habet, excitatque satis communiter, in mente audientium. Eadem verò fidei nociva est; quia, si liberè curreret ejusmodi propositio, excitaretur satis frequenter, in fidelium mentibus, sensus fidei non congruens, cum periculo acquiescendi. Quare si æquivocatio, & amphibologia, in civili etiam societate, quoad fieri potest, vitanda est; multò etiam magis in societate Christianâ vitanda est propositio malè sonans; ne fides divina, quâ Christiani vivimus, jacturam inde aliquam patiatur.

Quæ pietatis, aut piarum aurium offensiva.

Dico 10. Doctrina aliqua notari potest, ut pietatis, & piarum aurium offensiva, quæ impugnat communem fidelium existimationem ex pietate ortam, & sacris fidei Dogmatibus consentaneam. Notatur autem ejusmodi propositio, & meritò notatur, quia fidei nociva est: fides enim pietate multùm fovetur, & existimatione fidelium.

Dico 11°. Doctrina notari potest, ut simplicium mentium seductiva, quæcumque sub specie pietatis errorem tegens, apta est seducere simplices, & illaqueare. Cujusmodi est doctrina ita exaggerans dignitatem & meritum Charitatis, ut cæteras virtutes de numero virtutum expungat. Aut, si mavis, doctrina liberi arbitrii vim omnem extinguens, per speciem Gratiæ commendandæ. Doctrina autem simplicium mentium seductiva superiores quidem notas potest incurrere, & re ipsâ aliquando incurrit: sed specialem habet malitiæ gradum, quatenùs ipsâ specie pietatis abutitur ad fideles seducendos; in quo planè nociva est fidei, quæ sinceritate, & simplicitate gaudet. Quæ simplicium mentium seductiva.

Dico 12°. Doctrina, ut seditiosa, notari potest, quæcumque ab obsequio fidei fideles avertit, minuendo autoritatem Ecclesiæ, & obedientiam illi debitam, in rebus fidei. Quæ doctrina superioribus quidem Censuris potest esse obnoxia; sed proprius ejus caracter in eo est, quòd impediat eam submissionem, & captivitatem intellectûs, quam postulat fides. Quæ seditiosa.

Dico 13°. Doctrina, ut temeraria notari potest, quæcumque sine gravi fundamento contradicit gravi sententiæ Theologorum, non Scripturas quidem interpretantium, sed ex naturalibus simul, & fidei principiis, humanâ ratiocinatione aliquid deducentium. Hæc Censura Theologica est: quia in rebus Theologicis plurimùm autoritati tribuitur. Dixi autem, *Sine fundamento gravi*: Quia non quodcumque argumentum sufficit, ut à communi prudentum judicio discedatur. Excusat tamen à temeritate fundamen- Quæ temeraria.

tum grave, prævalensque autoritati Theologorum; quale esse potest, vel si priorum Theologorum sententia nitatur sanctione quadam Ecclesiasticâ jam abrogatâ, Historiâve, cujus nunc comperta sit falsitas; vel si antiquiores Theologi rem ex professo non examinantes, sententiam suam obiter tantùm indicarint. Tunc enim facile est detegi à recentioribus rationes graves, veteribus incognitas: & valet hîc Tertulliani famosus locus, *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regnorum.*

Quæ improbabilis.

Dico 14°. Doctrina, ut improbabilis, notari potest, quæcumque nullo, aut levi fundamento inducit revelationes novas, aut privilegia, & exceptiones à legibus Scripturæ generalibus. Talis erat doctrina illa Montani, quâ tres Quadragesimas imponebat Ecclesiæ; idque ex fictitiâ quadam Spiritus Sancti revelatione. Talis doctrina flagellantium, quæ flagellationi cruentæ, vim Baptismi, aut Martyrii tribuebat. Talis, si quis Beatum Franciscum, aut Beatam Catharinam à peccato Originali immunem fuisse prædicaret, aiens sibi fuisse revelatam utriusque exceptionem à lege communi. Nam doctrina improbabilis, quamvis fortè revelationi divinæ non opponatur, est tamen nociva fidei; quia ad puritatem, & dignitatem fidei pertinet, ne doctrinis extraneis misceatur, & ne falsæ Dei revelationes circumferantur. Quo ferè modo, ad usum & valorem probæ monetæ, facit, ne moneta adultera cursum habeat.

Dico ultimò. Doctrina, ut falsa, notari potest, quæcumque difformis est objecto suo, difformitate aliquâ nocivâ fidei. Nam, si falsitas nociva fidei non est, materia Censuræ Theologicæ esse nequit. Cujusmodi est falsitas aliqua purè Philosophica, & cum fide nullam oppositionem habens. Sed quia falsitas in materiâ Theologicâ potest esse Fidei nociva, ideò sub censuram Theologicam cadit.

Quæ falsa dicatur.

Objicies. Per notam falsitatis non designatur in doctrina qualitas ulla nociva fidei. Ergo doctrina, ut falsa, notari non potest per Censuram Theologicam. Respondeo. Per notam falsitatis, doctrinæ inustam ab Ecclesiâ, designatur qualitas aliqua nociva fidei, non expressè quidem, & distinctè, sed confusè saltem, & interpretativè. Quia Ecclesia, Censuris suis, in doctrinâ, quam notat, solam qualitatem fidei nocivam ferè persequitur. Ergo Ecclesia doctrinam aliquam notans, ut falsam, præsumenda est notare falsitatem aliquam fidei nocivam; quamvis eam qualitatem distinctè non explicet: nisi fortè contrarium manifestè constaret; in qua hypothesi Censura Ecclesiæ falsitatem notantis, Theologica non esset.

Quæ doctrinæ falsitas sub censuram Theologicam cadat.

Thesis 5ª. Censura omnis Theologica dogmatum aliquam obligationem inducit, sed non omnis æqualem. 1ª Pars satis intelligitur, ex ipsâ notione Censuræ Theologicæ: est enim Censura Theologica sententia quædam judicialis: sententia autem judicialis obligationem inducit, judex enim quemcumque in judicio subditum habet, sententiâ suâ obligat. Ratio ulterior est; quia Ecclesia non habet solùm potestatem fidei

Censura Theologica aliquam obligationem inducit.

directivam, sed etiam coactivam. Nam si coactivam non haberet, infirma nimis, & languida esset potestas directiva. Ergo Ecclesia, per Censuras suas Theologicas, sibi subditos ita dirigit in fide, ut eosdem cogat, & obliget. 2ª. Item pars facilis intellectu est. Quia nimirum Ecclesia, in censuris Theologicis ferendis, non semper eodem modo procedit. Nam 1°. Aliquando totam autoritatem suam adhibet; aliquando partem autoritatis tantùm: Censura autem lata toto pondere autoritatis Ecclesiasticæ, longè aliter obligat, ac si aliqua tantùm autoritatis pars impensa sit. 2°. Aliquando Ecclesia doctrinam notat supremo, & definitivo judicio, aliquando judicio provisorio: aliter autem obligat judicium definitivum, aliter provisorium. 3°. Ecclesia, sive totam autoritatem suam adhibeat, sive partem autoritatis tantùm, sive provisorio judicio doctrinam notet, sive definitivo, non semper eâdem censurâ doctrinam ferit; interdum enim doctrinam notat, ut hæreticam, interdum, ut erroneam, interdum, ut suspectam: Censura autem doctrinam notans, ut hæreticam, aut erroneam, longè graviùs obligat Censurâ notante, ut suspectam, aut temerariam. Ergo non omnis censura Theologica æqualem obligationem inducit.

Sed non omnis æqualem.

An omnes obliget quæcumque censura.

Objicies. Censura Theologica non omnes obligat. Quis enim dicat, Sorbonicâ aliquâ Censurâ Salmanticenses, aut Censurâ Salmanticensi obligari Sorbonicos? Quis Gallos, aut Romanos Censuræ Inquisitionis Hispanicæ subjiciat? quis credat Censurâ Episcopi Tolosani teneri Parisinos, aut Tolosates Censurâ Episcopi

Parisini? Quis denique Concilii Nationalis, aut Provincialis Censuram, ad universos Christi fideles extendat? Sed si censura Theologica non omnes obligat; difficile dictu est, quos præcisè obliget. Respondeo. Censura Theologica obligat subditos ejus Tribunalis, aut Judicis, à quo censura procedit. Quare censuram si tulerit Concilium Generale, omnes fideles; si Concilium Nationale, aut Provinciale, totam Nationem aut Provinciam; si Diœcesanus Episcopus, totam Diœcesim, si Academia, omnes Academiæ alumnos Censura obligat. Et quos obliget.

Instabis. 1°. Notet, ut fieri potest, Episcopus quidam Diœcesanus propositionem aliquam Catholicam, quæ notari non meretur, Censura ne Diœcesanos quidem obligabit. Ergo, &c. Respondeo. Propositio notata ab Episcopo Diœcesano, vel est veritas quædam manifestè Catholica, vel dubia, & incerta propositio. Si 1um Censura Episcopi notoriè injusta est; sententia autem notoriè injusta non obligat. Si 2um. Censura obligat quidem, quia, in dubio, pro Superiore, & Pastore præsumendum est; sed obligat provisoriè dumtaxat, donec à Tribunali superiore cassetur, aut per legitimam appellationem vis illius suspendatur. Episcopi Diœcesani censura injusta, an & quomodo subditos obliget.

Instabis 2°. Definiatur, Si potest, quam obligationem inducat Censura Theologica. Quæ & quotuplex sit obligatio à censurâ Theologicâ veniens.

Respondeo. Censura Theologica triplicem ferè obligationem inducit. 1a. Est obligatio non contradicendi exteriùs: nam si Censura de supremo Ecclesiæ Tribunali venit, clarum est esse obligationem, & quidem absolutam, non sustinendi pertinaciter doctrinam supremo Ec-

clesiæ judicio damnatam : Si autem Censura venit à Tribunali, aut judice inferiore, obligatio est non contradicendi exteriùs, nisi causâ appellationis; quælibet enim alia contradictio derogaret reverentiæ, quæ debetur Ecclesiasticæ potestati, legitimè, ut supponimus, procedenti in Censurâ ferendâ. 2ª. Est obligatio acquiescendi interiùs, assensu quidem firmo, & irrevocabili, si censura lata sit supremo, & definitivo Ecclesiæ judicio, eademque legitimè promulgata; assensu autem provisorio, & minùs firmo, si Censura lata sit judicio aliquo inferiore, & provisorio. 3ª. Demùm est obligatio subeundi pœnas per Censuram præscriptas. Quicumque enim subditi sunt judici, aut Tribunali, à quo Censura manavit, subjacent iidem pœnis in Censurâ præscriptis, si Censuræ non fuerint obsequentes; & Censura Theologica dogmatum trahit, vel conjunctam habet Censuram personarum.

CAPUT II.

De Censurâ Personarum.

Censura Theologica personarum quid sit.

PRæmitto. Quia non perversa solùm dogmata, sed ipsos etiam dogmatum inventores, assertoré́sque damnare solet Ecclesia: ideo censura Theologica dogmatum conjunctam habet, ut supra dicebam, aut secum ferè trahit Censuram Theologicam Personarum. Est enim Censura Theologica Personarum, Ecclesiastica quæ-

dam sententia, quâ quis pronuntiatur reus doctrinæ nocivæ fidei, atque ut talis damnatur. In cujus censuræ examine offerunt se omninò quinque. Primum est potestas censendi personas. Alterum, titulus censendi. Tertium, censendi forma. Quartum, personæ censendæ. Quintum, censoriæ pœnæ, seu per Censuram decretæ. De quibus omnibus nisi præmoneretur Theophilus ante ingressum Theologiæ, hæsitaret passim in Decretis, & Canonibus, quibus mala doctrina cum suis sectatoribus damnatur.

Quid se offerat in examine istiusmodi Censuræ.

Thesis 1ª. Ejusdem potestatis est Censura Theologica Personarum, cujus est censura Theologica dogmatum. Probatur. Quia Censura Theologica dogmatum est sententia judicis, notantis perversa dogmata, & certas quasdam personas obligantis, ne doctrinam notatam deinceps teneant. Atqui cujus est obligare, ne doctrina notata à certis quibusdam personis teneatur, ejusdem est damnare, quicumque de certis illis personis doctrinam notatam tenuerint. Ergo cujus est censere dogmata, ejusdem est & personas propter dogmata censere. Confirmatur. Potestas ferendæ Censuræ Theologicæ dogmatum iis solis competit, quibus ex officio incumbit fidem servare integram, illibatámque, Atqui iisdem solis competit potestas ferendæ Censuræ Theologicæ personarum. Nam sicut sine potestate ferendi Censuram Theologicam dogmatum, non satis potest providere Ecclesia puritati, & integritati fidei; ita neque sine potestate ferendi Censuram Theologicam personarum. Quomodo enim impediet, ne perversa dogmata seminentur in medio tritici, nisi possit

Ejusdem potestatis est ferre Censuram Theologicam personarum, & dogmatum.

eadem perverſorum dogmatum ſatores, & propagatores cohibere.

Judex ſæcularis Cenſurã Theologicam perſonarum cur ferre non poſſit.

Objicies. Judex ſæcularis poteſt ferre cenſuram Theologicam perſonarum : poteſt ſiquidem reos fidei, ſuſpectoſque damnare. Judex tamen ſæcularis non poteſt ferre Cenſuram Theologicam dogmatum. Ergo non eſt ejuſdem poteſtatis ferre Cenſuram Theologicam perſonarum, cujus eſt ferre Cenſuram Theologicam dogmatum. Reſpondeo. Nego majorem Sententia enim judicis ſæcularis reos fidei, ſuſpectoſque damnantis non eſt Cenſura Theologica Perſonarum; idque duplici de cauſâ. 1ª. Quia Cenſura Theologica Perſonarum venit eſſentialiter de poteſtate directivâ fidei; quam poteſtatem non habet judex ſæcularis. Altera, quia ſententiæ judicis ſæcularis titulus damnandi immediatus non eſt nocumentum fidei, ſed violatio legum civilium, quibus fortè prohibetur doctrina fidei nociva; non quia fidei nociva eſt, ſed quia pacis, & quietis publicæ perturbativa. Poteſtas nimirùm ſæcularis non ad puritatem, & integritatem fidei, ſed ad politicam aliquam, & temporalem felicitatem per ſe ordinatur.

Titulus immediatus & proprius Cenſuræ Theologicæ perſonarũ, eſt nocumentum fidei, ſeu verum, ſeu ratio-

Theſis 2ª. Titulus immediatus, & proprius Cenſuræ Theologicæ perſonarum eſt nocumentum fidei, ſeu verum, ſeu rationabiliter præſumptum. Probatur. Quia per Cenſuram Theologicam eo præciſè damnantur perſonæ, quòd ſuſtinent, aut ſuſtinere creduntur doctrinam fidei nocivam. Ergo titulus immediatus, & proprius Cenſuræ Theologicæ perſonarum, eſt nocumentum fidei, ſeu verum, ſeu rationabi-

liter

liter præsumptum. Quo titulo præcisè deficiente nemo Censurâ Theologicâ legitimè damnatur. Ratio ulterior est, quia Censura Theologica personarum venit de potestate directivâ fidei, & ordinatur ad fidei conservationem, non minùs quàm Censura Theologica dogmatum. Ergo sicut Censura Theologica dogmatum habet; pro titulo damnandi immediato & proprio, qualitatem fidei nocivam; quæ inest malæ doctrinæ; ita Censura Theologica Personarum habet, pro titulo damnandi immediato & proprio; nocumentum fidei; quod à Personis venit, aut timetur.

nabiliter præsumptum.

Objicies 1°. Censura, quâ Personæ à Conciliis, & Pontificibus damnantur, est Censura Theologica Personarum. Sed non omnis Censura, quâ Personæ damnantur à Conciliis, & Pontificibus, habet pro titulo damnandi immediato, & proprio, nocumentum fidei. Concilia enim, & Pontifices multiplici alio titulo Personas damnare solent, putà, titulo inobedientiæ, titulo simoniæ, titulo incontinentiæ, &c. Respondeo. Non omnis Censura, quâ Personæ à Conciliis, & Pontificibus damnantur, est Censura Theologica Personarum. Quia Censura Personarum Theologica non est, nisi quæ venit à potestate directivâ fidei; & ad fidei conservationem ordinatur. Multæ autem Censuræ feruntur à Conciliis, & Pontificibus, quæ non veniunt à potestate directivâ fidei, sed à potestate directivâ morum: Esto igitur ejusmodi Censuræ non habeant, pro titulo damnandi immediato & proprio, nocumentum fidei, nego omninò Theologicas esse; quia per illas

Non est ergò Theologica omnis Censura quâ personæ à Conciliis & Pontificibus damnantur.

Quia non omnis habet pro titulo damnandi ao-

cumentum fidei.

personæ non damnantur titulo doctrinæ nocivæ fidei : quemadmodum paulò ante negabam, Theologicam esse Censuram dogmatum, etiam ab Ecclesiâ venientem, quâ falsitas purè Philosophica damnatur; quia Censura Theologica dogmatum habet essentialiter, pro titulo damnandi, qualitatem fidei nocivam, quæ in falsitate purè Philosophicâ non attenditur.

Nocumentum verò fidei aliud culpabile, aliud inculpabile.

Objicies 2°. Nocumentum fidei non est titulus sufficiens damnandi Personas: nemo enim damnari potest, nisi qui reus est. Potest autem fieri, ut reus non sit, qui fidei nocet; si nimirùm doctrinam fidei nocivam, ex ignorantiâ invincibili, & inculpabiliter sustineat. Ergo, &c. Respondeo. Distinguo antecedens: nocumentum fidei inculpabile non est titulus sufficiens damnandi personas, Concedo, nocumentum fidei culpabile, Nego. Ad probationem autem fateor, damnari non posse, titulo doctrinæ nocivæ fidei, nisi qui doctrinam fidei nocivam sustinet culpabiliter. Quando ergo nocumentum fidei dicitur titulus damnandi Personas, intelligi debet de nocumento culpabili; neque enim titulus damnandi Personas esse potest, quod est omnino inculpabile. Quâ in re discrimen est aliquod inter Censuram Theologicam Personarum, & Censuram Theologicam dogmatum. Nam Censuræ Theologicæ dogmatum, titulus damnandi sufficiens est nocumentum fidei inculpabile; quia scilicet in doctrinam culpa non cadit; & doctrina eatenùs damnari dicitur, quatenùs declaratur habere qualitatem fidei nocivam, atque ut talis prohibetur. At verò Censura Theologica Per-

Culpabile, titulus est Censuræ Personarum.

Inculpabile, Censuræ dogmatum.

ſonarum habet, pro titulo damnandi, nocumentum fidei culpabile; quia culpæ Perſona capax eſt; & eatenùs dicitur Cenſurâ Theologicâ damnari, quatenùs declaratur reus doctrinæ fidei nocivæ. Reus autem non eſt eo titulo niſi doctrinam fidei nocivam culpabiliter ſuſtineat.

Non eſt eadem ſemper forma Cenſuræ Theologicæ perſonarum.

Theſis 3ª. Non eſt eadem ſemper forma Cenſuræ Theologicæ Perſonarum. Explicatur, & probatur. Perſonæ, propter doctrinam fidei nocivam, non ſemper eodem modo, aut eâdem formâ cenſentur. 1°. Enim alia eſt forma cenſendi conditionata, alia abſoluta. Conditionata eſt, quâ quis propter doctrinam damnatur, non abſolutè, ſed ſub conditione, quòd doctrinam nocivam fidei tenuerit. Cujuſmodi forma frequens eſt, in Decretis, & Canonibus Conciliorum, *Si quis dixerit, &c. Anathema ſit.* Sed hæc forma conditionata cenſendi Perſonas, importatur, ſaltem implicitè, in omni Cenſurâ Theologicâ dogmatum. Nam eo ipſo quòd doctrina aliqua notatur, ut nociva fidei, declaratur reus, ſi quis doctrinam notatam ſcienter tenuerit. Forma cenſendi abſoluta eſt, quâ quis damnatur abſolutè, ut reus doctrinæ damnatæ, ſeu confitens, ſeu convictus. Ea verò forma cenſendi Perſonas non importatur neceſſariò in Cenſurâ Theologicâ dogmatum, ſed illam ferè comitatur, aut ſequitur. Comitatur quidem, ſi uno eodemque tempore doctrina fidei nociva, cum ſuo aſſertore confitente, aut convicto, damnetur: ſequitur autem, ſi poſt Cenſuram doctrinæ damnetur, qui doctrinam damnatam fortè tenuit, Cenſurâ

Nam 1°. alia eſt forma cenſendi conditionata, alia abſoluta.

cumentum fidei.

personæ non damnantur titulo doctrinæ nocivæ fidei : quemadmodum paulò ante negabam, Theologicam esse Censuram dogmatum, etiam ab Ecclesiâ venientem, quâ falsitas purè Philosophica damnatur ; quia Censura Theologica dogmatum habet essentialiter, pro titulo damnandi, qualitatem fidei nocivam, quæ in falsitate purè Philosophicâ non attenditur.

Nocumentum verò fidei aliud culpabile, aliud inculpabile.

Objicies 2°. Nocumentum fidei non est titulus sufficiens damnandi Personas : nemo enim damnari potest, nisi qui reus est. Potest autem fieri, ut reus non sit, qui fidei nocet ; si nimirùm doctrinam fidei nocivam, ex ignorantiâ invincibili, & inculpabiliter sustineat. Ergo, &c. Respondeo. Distinguo antecedens : nocumentum fidei inculpabile non est titulus sufficiens damnandi personas, Concedo, nocumentum fidei culpabile, Nego. Ad probationem autem fateor, damnari non posse, titulo doctrinæ nocivæ fidei, nisi qui doctrinam fidei nocivam sustinet culpabiliter. Quando ergo nocumentum fidei dicitur titulus damnandi Personas, intelligi debet de nocumento culpabili ; neque enim titulus damnandi Personas esse potest, quod est omnino inculpabile. Quâ in re discrimen est aliquod inter Censuram Theologicam Personarum, & Censuram Theologicam dogmatum. Nam Censuræ Theologicæ dogmatum, titulus damnandi sufficiens est nocumentum fidei inculpabile ; quia scilicet in doctrinam culpa non cadit ; & doctrina eatenùs damnari dicitur, quatenùs declaratur habere qualitatem fidei nocivam, atque ut talis prohibetur. At verò Censura Theologica Per-

Culpabile, titulus est Censuræ Personarum.

Inculpabile, Censuræ dogmatum.

ſonarum habet, pro titulo damnandi, nocumentum fidei culpabile; quia culpæ Perſona capax eſt; & eatenùs dicitur Cenſurâ Theologicâ damnari, quatenùs declaratur reus doctrinæ fidei nocivæ. Reus autem non eſt eo titulo niſi doctrinam fidei nocivam culpabiliter ſuſtineat.

Theſis 3ª. Non eſt eadem ſemper forma Cenſuræ Theologicæ Perſonarum. Explicatur, & probatur. Perſonæ, propter doctrinam fidei nocivam, non ſemper eodem modo, aut eâdem formâ cenſentur. 1°. Enim alia eſt forma cenſendi conditionata, alia abſoluta. Conditionata eſt, quâ quis propter doctrinam damnatur, non abſolutè, ſed ſub conditione, quòd doctrinam nocivam fidei tenuerit. Cujuſmodi forma frequens eſt, in Decretis, & Canonibus Conciliorum, *Si quis dixerit, &c. Anathema ſit.* Sed hæc forma conditionata cenſendi Perſonas, importatur, ſaltem implicitè, in omni Cenſurâ Theologicâ dogmatum. Nam eo ipſo quòd doctrina aliqua notatur, ut nociva fidei, declaratur reus, ſi quis doctrinam notatam ſcienter tenuerit. Forma cenſendi abſoluta eſt, quâ quis damnatur abſolutè, ut reus doctrinæ damnatæ, ſeu confitens, ſeu convictus. Ea verò forma cenſendi Perſonas non importatur neceſſariò in Cenſurâ Theologicâ dogmatum, ſed illam ferè comitatur, aut ſequitur. Comitatur quidem, ſi uno eodemque tempore doctrina fidei nociva, cum ſuo aſſertore confitente, aut convicto, damnetur: ſequitur autem, ſi poſt Cenſuram doctrinæ damnetur, qui doctrinam damnatam fortè tenuit, Cenſurâ

Non eſt eadem ſemper forma Cenſuræ Theologicæ perſonarum.

Nam 1°. alia eſt forma cenſendi conditionata, alia abſoluta.

non obſtante. Conciliis Generalibus ſatis familiaris eſt forma abſoluta cenſendi Perſonas, ſive Cenſuram dogmatum ſequatur, ſive comitetur. 2°. Alia eſt forma conſendi Perſonas indeterminata, & vaga, quâ ſcilicet rei doctrinæ damnatæ indeterminatè, & vagè cenſentur. Interdum enim Eccleſia eorum famæ, & nomini parcit, quos damnat; ut iis reſipiſcendi illecebra ſit ipſa lenitas correptionis, quos nimia fortè ſeveritas exaſperaret. Alia eſt forma cenſendi certa, & determinata, quâ Perſonæ nominatim, & determinatè cenſentur: interdùm enim opus habet Eccleſia notare præcipua capita Sectariorum, & nominatim deſignare; quò, & ipſorum obſtinatam duritiem frangat, & fidelium ſecuritati provideat. 3°. Forma cenſendi Perſonas multiplicatur, pro multiplici qualitate doctrinæ fidei nocivæ. Alia eſt enim forma, quâ quis cenſetur propter doctrinam hæreticam, alia, quâ cenſetur propter erroneam, alia, quâ propter ſuſpectam, &c. Quare tam diverſa eſſe poteſt forma cencendi perſonas, quàm diverſæ ſunt dogmatum notæ. 4°. Demùm diverſa eſt forma cenſendi Perſonas, pro diverſitate pœnarum, quas Cenſura decernit; & tam multæ ſunt formæ cenſendi, quàm multæ ſunt pœnæ cenſoriæ, de quibus paulò poſt.

2°. Alia eſt indeterminata, & vaga.

Alia certa & determinata.

3° Forma cenſendi multiplicatur pro multiplici qualitate doctrinæ.

4°. Pro diverſitate pœnarum quas Cenſura decernit.

Objicies. Eâdem formâ cenſetur hæreticus, quâ ſuſpectus in fide; ſicut eâdem formâ cenſetur doctrina hæretica, quâ cenſetur doctrina in fide ſuſpecta. Atqui interdùm texitur ſeries propoſitionum, quarum aliæ hæreticæ ſunt, aliæ erroneæ, aliæ ſuſpectæ, &c. Eodem tamen

modo, & indiſcriminatim Cenſura cadit in omnes, & ſingulas propoſitiones. Ergo Cenſura Perſonarum eodem modo & indiſcriminatim cadet in omnes, & ſingulas perſonas, quæ propoſitiones damnatas tenuerint. Reſpondeo. Eſto, hæreticus, & ſuſpectus in fide unâ interdum, eâdemque formâ cenſeantur; ſtabit nihilominus quod aſſerit theſis noſtra, formam Cenſuræ Theologicæ perſonarum eandem ſemper non eſſe. Fateor igitur, hæreticum, & ſuſpectum in fide unâ eâdemque formâ aliquandò cenſeri; ſicut aliquandò eodem modo notantur doctrina hæretica, & ſuſpecta. Ratio nimirùm eſt, quia ſicut Cenſores interdùm in multis, ac diverſis propoſitionibus contenti ſunt notare generatim qualitatem fidei nocivam; quia non vacat proprios ſingularum caracteres inquirere: ita interdùm contenti ſunt declarare generatim, reos eſſe doctrinæ nocivæ fidei, quicumque doctrinam damnatam tenuerint; quia non vacat examinare, quo in gradu quiſque ſit reus. Cenſura igitur ſeu propoſitionum, ſeu Perſonarum, aliquando ita generalis eſt, ut diverſæ notæ propoſitiones, & inæqualis meriti Perſonas, unâ eâdemque damnatione confundat: aliquando verò ita particularis, & propria, ut ſingulis ſeu propoſitionibus, ſeu Perſonis, ſuam ſpecialem notam inurat, pro cujuſque merito. Sed ea ſeu diſtinctio, ſeu confuſio, paulò attentiùs conſideranda eſt. Nam interdum ita damnatur Liber generatim, ut nihil mali in Libro deſignetur; quia Cenſori non libet id, quod bonum eſt, à malo ſecernere; libet tamen damnare Librum,

Nihil tamen vetat quin eâdem formâ cenſeantur, inæqualis meriti perſonæ.

Eſt enim ut dogmatum, ita & perſonarum Cenſura quædam generalis, interdum particularis & propria.

Cujus ſeu confuſionis ſeu diſtinctionis plures ſunt gradus.

Nam 1º damnatur Liber gene

ratim nullâ malâ propositione designatâ.

2°. Damnantur in Libro certæ propositiones sine nullâ certâ notâ.

3°. Damnantur certæ propositiones cum certis notis, sed respectivè applicandis.

4°. Damnantur certæ propositiones, & sua cuique nota inuritur.

& prohibere; quia periculum est, ne noceat quod habet mali, & potest, quod bonum est, aliundè suppleri. Interdum damnantur, in Libro, certæ quædam propositiones, tanquam malæ, & nocivæ fidei, non designatâ propriâ malitiâ singulorum; quæ res longioris esset examinis & moræ: est autem periculum in morâ. Interdum propositiones in seriem digestæ notantur ut hæreticæ, ut erroneæ, ut suspectæ, ut scandalosæ, ut temerariæ, &c. Sed *respectivè*, quo significatur, non singulis quidem eas omnes notas inesse, sed aliquam saltem. Quænam verò sit propria singularum, relinquitur examinandum Theologis, à Censore non explicatur. Denique propositiones interdum ita censentur, ut propria cujusque nota designetur; quâ Censurâ non potest esse distinctior. Cæterùm quæcumque in Censurâ dogmatum contingit seu confusio, seu distinctio, contingit quoque in Censurâ Personarum. Et quemadmodum diversa est Censura distincta dogmatum, pro diversâ dogmatum malitiâ; ita distincta Censura Personarum pro inæquali Personarum merito diversa est.

Censeri posſũt quicumque doctrinam nocivam fidei culpabiliter sustinent, aut sustinuerunt, sed non omnes æqualiliter.

Thesis 4ª. Censeri possunt Theologicâ Censurâ, quicumque doctrinam fidei nocivam culpabiliter sustinent, aut aliquando sustinuerunt. Probatur. Quia habent illi titulum proprium, & immediatum, in quo fundatur Censura Theologica, culpabile scilicet fidei nocumentum. Ergo si non desit in Censore potestas, legitimè censeri possunt: non omnes tamen æqualiter; quia non omnes sunt æqualiter rei. Veniunt ergo in primo gradu hæretici; est

enim nota hæresis prima malæ doctrinæ nota, & macula, quæ, quoscumque inficit, culpabiles facit in primo gradu, & maximè omnium damnabiles. Quod adeò verum est, ut summus ipse Pontifex damnari, & deponi possit propter notoriam hæresim, seu veram, seu præsumptam, & quadret in singulos, quod de se fatetur Innocentius, *In tantum mihi*, inquit, *fides necessaria est*, *ut*, *cum de peccatis Deum judicem habeam*, *propter solum peccatum*, *quod in fide committitur*, *possem ab Ecclesia judicari.* Exemplum habebat in Liberio, propter gravem Arianismi præsumptionem deposito. Hæreticorum verò nomine veniunt, non ii solùm, qui confitentes, aut convicti sunt hæresis formalis, sed ii etiam, qui negantes, aut tergiversantes, præsumptione aliquâ gravi tenentur. Præsumi autem solent hæretici. 1°. Quicumque id, quod ab Ecclesiâ præscribitur, tanquam Symbolum, & tessera fidei, usurpare detrectant, vano colore, & prætextu quæsito. Ita cum Ario sentire credebantur, quicumque olim vocem *Consubstantialis*, à Nicænis Patribus Symbolo additam prætermittebant. 2°. Qui principium aliquod admittunt, unde manifestè sequitur propositio contradictoria revelatæ: quales sunt, exempli causâ, qui gratiam dicunt esse necessitantem; ex quo sequitur manifestè perimi libertatem: quicumque nimirum admittit Antecedens, cum Consequente manifestè connexum, rationabiliter præsumitur admittere Consequens. 3°. Qui complexionem negant, ex duobus Præmissis deductam, quarum una evidens est, obscura

In primo gradu sunt hæretici seu confitentes & convicti, seu rationabiliter præsumpti.

Præsumptionis verò rationabilis fundamenta multa sunt quæ obiter indicantur.

Serm, 3. *de consecr. Pont.*

altera, sed revelata: prudenter enim creduntur negare revelatam; quia nemo, nisi stupidus, præsumitur negare propositionem evidentem. 4°. Qui hæresim cum ex officio coercere deberent, molliter fovent, aut dissimulant; *Error enim, cui non resistitur, approbatur, & & veritas cum minimè defensatur, opprimitur.* 5°. Qui personis hæreticorum nimiò plus addicti sunt, eorumque memoriam habent quasi rem sacram. Exemplum illustre est in Orientalibus, ab Ecclesiæ communione tandiu rejectis, quandiu Acacii nomen & memoriam retinere voluerunt; causamque affert Gelasius ad Euphemium. *Videtis*, inquit, *per nomina prævaricatorum, si in Ecclesiâ recitanda creduntur, simul & contagionem pravaricationis induci.* Nec vivi tantùm, sed etiam mortui hæretici damnari possunt; & cum cætera crimina mortalitate extinguantur, hæresis quæritur etiam in cineribus mortuorum. Quemadmodum in Theodoro Mopsuesteno factum est, memorando exemplo, post agitatam diu controversiam in Concilio generali quinto, parcendum-ne foret sepultis, an inquietandi eorum manes Anathematismis.

Gratian. in Decr. dist. 83.

Epist. 8.

Nec vivi tantùm hæretici damnari possunt, sed etiam mortui.

Post hæreticos veniunt in secundo, aut inferiore gradu, quicumque doctrinam sustinent nocivam fidei, non hæreticam, sed notæ cujusdam inferioris. Nam ut doctrina inferioris notæ minus habet malitiæ, quàm hæretica; ita sustinentes minus culpabiles facit, & leviore aliquâ Censurâ notandos.

In secundo gradu sunt qui non hæreticam, sed notæ cujusdam inferioris doctrinam sustinent.

Objicies 1°. Nemo censeri potest Censurâ Theologicâ, nisi qui doctrinam sustinet nocivam fidei, ab Ecclesiâ damnatam. Quicumque

autem ſuſtinet culpabiliter Doctrinam fidei nocivam, ab Eccleſiâ damnatam, hæreticus eſt. Ergo nemo cenſeri poteſt Cenſurâ Theologicâ, niſi hæreticus ſit; &, quod conſequens eſt, hæretici eſſe debent, quicumque cenſentur, nec ſunt plures cenſendorum gradus diſtinguendi. Reſpondeo. Minor eſt omninò falſa. Neque enim hæreticus eſt, quicumque ſuſtinet Doctrinam quamcumque fidei nocivam, aut quocumque modo ab Eccleſiâ damnatam. Ratio in promptu eſt; quia, ut quis hæreticus ſit, negare debet veritatem Catholicam, hoc eſt veritatem, quæ à Deo revelata ſit, & ſummâ Eccleſiæ authoritate proponatur, ut revelata. Ergo debet ſuſtinere culpabiliter Doctrinam contradictoriam veritati à Deo revelatæ, & ab Eccleſiâ ſupremo ac definitivo judicio damnatam, ut talem. Atqui fieri poteſt, ut quis culpabiliter ſuſtineat Doctrinam fidei nocivam, & ab Eccleſiâ aliquo modo damnatam, quin ſuſtineat Doctrinam contradictoriam propoſitioni revelatæ à Deo, & ſupremo Eccleſiæ judicio damnatam, ut talem. Nam 1°. Eccleſia interdum Doctrinam aliquam ita damnat, ut totâ ſuâ, & ſummâ authoritate non damnet, damnat enim per Judices inferiores, & Tribunalia ſubalterna, quibus totam ſuam authoritatem non commiſit: Ergo non eſt quis hæreticus eo præciſè, quòd Doctrinam eo modo damnatam ſuſtineat. 2°. Supremum Eccleſiæ Tribunal, ut poteſt damnare Doctrinam definitivè, ſi velit; ita poteſt, ſi velit, damnare proviſoriè tantùm. Poteſt autem quis, ſine culpâ hæreſis, Doctrinam proviſoriè tantùm dam-

Non enim continuò hæreticus eſt, quicumque ſuſtinet Doctrinam aliquã nocivam fidei & ab Eccleſiâ damnatam.

Quia Eccleſia non quamcumque Doctrinam damnat continuò damnat ut hæreticam aut damnando hæreticam facit; nam Eccleſia

non damnat semper totâ & summâ suâ autoritate. Interdum damnat provisoriè tantum, & non definitivè. Interdum Doctrinam damnat præcisè ut suspectam hæresis non ut hæreticam.

natam sustinere. 3°. Potest supremum Ecclesiæ Tribunal, summâ suâ authoritate, & supremo judicio, damnare Doctrinam, præcisè ut suspectam oppositionis cum revelatione Divinâ, non autem ut re ipsâ oppositam revelationi Divinæ. Quâ damnatione definiretur, non oppositio Doctrinæ cum revelatione Divinâ, sed periculum talis oppositionis. Ergo qui Doctrinam ita damnatam sustinebit, non erit propterea hæreticus, saltem præcisè, & formaliter, sed ad summum præsumptivè, & consequenter; quatenùs præsumetur negare authoritatem Ecclesiæ in judicio, de Doctrinâ ferendo; quæ veritas à Deo revelata est, & summâ Ecclesiæ authoritate proponitur. Stet ergo non continuò hæreticos esse, quicumque sustinent Doctrinam, quocumque modo fidei nocivam, aut quocumque modo ab Ecclesiâ damnatam. Sed quamvis eos omnes daremus esse hæreticos, non essent tamen omnes æqualiter censendi; quia sæpè est, inter ipsos hæreticos, Censuræ meritum inæquale. Ferè enim graviùs censendi sunt sectæ authores, quàm sectatores, & sectatores graviùs quàm fautores, aut molliter conniventes.

Quomodo possit Ecclesia censere hominem ut hæreticum, cujus interiorem sensum certò non novit.

Objicies 2°. Ecclesia non judicat de sensu hominis interiore, sine quo tamen nemo est hæreticus. Ergò neminem Ecclesia censere potest, ut hæreticum. Respondeo. 1°. Permisso Antecedente, distinguo Consequens. Neminem potest Ecclesia censere, ut hæreticum absolutè, Concedo, neminem censere potest, ut hæreticum conditionatè Nego. Nam Ecclesia quidem, si sensum hominis interiorem non introspiciat,

non potest censere hominem absolutè hæreticum : sed potest dumtaxat censere hæreticum conditionatè, seu ex hypothesi sensus interioris, quem non introspicit. Respondeo. 2°. Distinguo Antecedens. Ecclesia non potest judicare de sensu hominis interiore, si sensus ille interior non se prodat exteriùs, Concedo, si exteriùs se prodat, Nego Antecedens ; & Consequentiam. Sensus enim ille interior ita se aliquandò prodit, ut de eo dubitari prudenter non possit.

Instabis 1°. Si ex iis, quæ apparent, censeatur homo hæreticus, errare poterit Ecclesia, in judicio Personarum : est enim species hominis fallax. Ecclesia autem non magis potest errare in judicio Personarum, quàm in judicio dogmatum. Respondeo. Ecclesia non potest errare in supremo, & definitivo judicio Dogmatum ; quia si in eo judicio erraret, erraret in fide, errare tamen potest in judicio Personarum ; quia error, in judicio Personarum, errorem in fide non trahit. Sed error ille Ecclesiæ circa personas, si fortè contingat, erit semper error aliquis prudens : imprudenter enim, & inconsideratè judicare Ecclesia non potest. Caveant tamen privati Censores, aut Judices Ecclesiæ inferiores, & subalterni, juxta Gregorii monitum, ne indiscreto, & imperito zelo succendantur, & dum quosdam, quasi hæreticos, insequuntur, *Hæreses* ipsi *faciant*. Addo ab errore Ecclesiam aliquo modo vindicari posse, etiam in judicio Personarum ; si dicatur judicari ab Ecclesiâ in Personis, non ipsa hæresis, sed gravis quædam hæresis apparentia, & præsumptio ; in quâ apparentiâ, & præsumptio-

In judicio Personarũ potest admitti aliquis error Ecclesiæ, sed prudens.

Lib. 9. Ep. 39.

ne judicandâ Ecclesia nunquam errat.

Ipsi etiam mortui satis Ecclesiæ subditi sunt in ordine ad Censuram Theologicam.

Instabis 2°. Saltem mortui censeri non possunt, ut hæretici : nam Ecclesia censere non potest nisi subditos. Mortui autem non sunt Ecclesiæ subditi ; quia, per mortem, jurisdictioni Ecclesiæ subtrahuntur. Respondeo. Ipsi mortui Ecclesiæ subditi sunt, non ratione eorum, quæ ipsis post mortem contingunt, sed ratione eorum quæ fecerunt dùm viverent : potest enim Ecclesia declarare, mortuos malo animo malam Doctrinam, dum viverent, tenuisse, & mortuorum damnare memoriam, propter nocumentum fidei, quod ex ea timeri posset, nisi damnaretur ; id quod multoties factum suo loco videbimus in Quæstionibus facti Theologicis.

Pœnæ Censoriæ multæ sunt, partim præservativæ, partim vindicativæ.

Thesis 5ª. Pœnæ Censoriæ multæ sunt, partim præservativæ, partim vindicativæ. Indicabo præcipuas, & magis familiares. Prima est proscriptio, & combustio Librorum Hæreticorum : nimirum puniuntur ipsi parentes in liberis ; absumuntur igne volumina, quæ ignem discordiæ excitabant : collocantur in malo lumine opera illa tenebrarum, & fiunt deinceps *Tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Secunda, Est publica ejuratio erroris, & formulæ Catholicæ subscriptio. Coguntur enim perversi homines non proprio tantùm ore, sed manu etiam propriâ damnare adinventiones suas ; ut si fortè resilire voluerint, suo ipsi Chirographo teneantur. Tertia, Est depositio, aut degradatio : in gradu enim suo consistere non debent, qui statum Ecclesiæ perturbârunt. Quarta, Excommunicatio : æquum enim est,

Præcipuæ percurruntur.

tùr homines peſtiferi à ſocietate hominum ſegregentur ; & inter cæteros non ſint , qui ſupra cæteros ſapere voluerunt ; nec iis proſit Eccleſia , qui contra Eccleſiam peccarunt. Quinta , Incarceratio : captivi ſcilicet tenentur, qui *Veritatem in injuſtitiâ* captivam detinebant. Hæc ſatis, pro inſtituto noſtro , de Cenſuris Theologicis ſeu Dogmatum , ſeu Perſonarum ; in quibus verſatiſſimi eſſe debent Cenſores Eccleſiaſtici , ne virgulâ ſuâ graviùs, aut leviùs feriant , quàm oporteret ; ſeu ſupra, vel infra meritum propoſitiones , aut Perſonas notent.

Paul. ad Rom. c. 1.



QUÆSTIO IX.

De uſu legitimo luminis naturalis & humani in Theologiâ.

Lumen humanum dicitur lumen quoddam homini à Deo inditum , ipſo munere creationis, aut ex ſolis naturæ principiis independenter à revelatione Dei acquiſitum ; quo lumine oſtenditur homini & quod verum eſt, & quod bonum , juxta illud Pſalmiſtæ , *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Ejuſmodi autem lumen diſtingui poteſt duplex , proprium ſcilicet, & alienum. Proprium, eſt ipſum lumen noſtrum, ſeu quo nobis propriè , & ſeorſum ab aliis res apparent. Alienum , eſt lumen aliorum, ſeu quo res apparent aliis. In judi-

Lumen naturale & humanum quid ſit.

Pſal. 4.

Duplex eſt, proprium quod ratio humana dicitur, & alienum quod au-

thoritas humana appellatur.

cando autem interdùm sequimur apparentiam nostram, interdùm sequimur alienam, seu judicamus interdum, secundùm id, quod nobis propriè, & personaliter videtur, aliis inconsultis; interdùm verò, secundùm quod videtur aliis. Lumen proprium dicitur ratio humana; lumen alienum humana authoritas appellatur. Utriusque luminis usus est aliquis in Theologiâ necessarius, ut jam supra demonstravi, tum in *Defensione Theologiæ Scholasticæ*, tum in *Theologi verâ ideâ*. Sed Theophilo nostro nondum satis explicui, quis tandem usus esse debeat istius luminis, seu proprii, seu alieni: quæ tamen explicatio Theologiam ingredienti infiniti momenti est, ad intelligendum, quo sensu captivetur intellectus in obsequium fidei, & simul rationabile obsequium præstetur.

Utriusque usus in Theologiâ necessarius.

CAPUT PRIMUM.

De usu luminis proprii seu rationis humanæ in Theologiâ.

PRæmitto 1°. Theologia, divina illa scientia, cui, ut sapienter notat Augustinus, illud tantummodo proprium est, *quo fides saluberrima nutritur, defenditur, roboratur*, tota procedit ex principiis notis revelatione Dei. Quia in revelatione Dei fides nostra fundatur, seu, ut meliùs dicam, in ipsâ Dei sapientiâ, aut sensu infallibili, per revelationem mani-

Lib. 14. de Trin. c. 1.

festato. Non respuit tamen Regina scientiarum lumen humanum, aut scientias humanas, sed iis utitur, inquit Sanctus Thomas, *tanquam inferioribus & ancillis.* Duplici ergo lumine regitur Theologia, lumine scilicet divino, & lumine humano. Unum primarium est, aliud secundarium; unum, *luminare majus*, & aliud, *luminare minus.*

1. Part. quæst. 1. art. 5. ad 2.

Duplici lumine regitur Theologia, Divino & humano.

Præmitto 2°. Ad intelligendum usum legitimum luminis humani in Theologiâ, distinguere oportet quadruplicem illius statum respectu luminis Divini. Primus est status conjunctionis, quando lumen humanum concurrit cum lumine Divino ad eandem veritatem illustrandam, & veritas à Deo revelata lumine naturali nota est. Secundus est status oppositionis apparentis, quando lumen humanum videtur lumini Divino repugnare, & veritatem, quam Deus revelavit, humana sapientia non capit. Tertius est status eclypsis seu defectûs, quando circa veritatem à Deo revelatam, cui lumen Divinum affulget, deficit omnis ratio humana, ei nec favens, nec repugnans; quo modo se habet circa multas veritates contingentes à Deo revelatas. Quartus demum est status supplementi, quando de veritate aliquâ Deus omninò tacet, ratio humana non tacet, supplens aliquo modo absentiam luminis Divini, in ordine ad veritatem manifestandam, ut ferè absentia Solis à Lunâ suppletur. Pro quadruplici illo statu multiplex luminis humani usus legitimus considerandus est.

Distinguitur quadruplex status humani luminis, respectu luminis divini.

Explicantur usus legitimi rationis humanæ in conjunctione cum lumine Divino.

ARTICULUS I.

De multiplici usu rationis humanæ in statu conjunctionis cum lumine Divino.

Primus Usus Ad molles aditus lumini Divino parandos.

Thesis prima. Ratio humana, in statu conjunctionis, adhiberi potest, ad molles aditus lumini Divino parandos. Explicatur. Eo ipso parantur lumini Divino molles aditus, quo fit, ut faciliùs adducatur mens hominis, ad credendum Deum aliquid testificari. Cum enim Divinæ sapientiæ lumen veritatem aliquam illustrans immediatè non appareat, sed mediante testimonio Dei; quidquid facit, ut testimonium Dei faciliùs admittatur, eâdem operâ Divino lumini viam parat. Atqui lumen humanum veritatem à Deo revelatam collustrans, facit, ut testimonium Dei, de tali veritate, faciliùs admittatur. Nam quid durum, aut quid asperum habet, Deum, qui summa veritas est, testimonium veritati perhibuisse? Ergò in his veritatibus, quibus utrumque lumen affulget, Divinum, & humanum, præmittere oportet lumen humanum, ad viam Divino lumini parandam; apud incredulos præsertim, & infideles. Atque hic est primus usus legitimus luminis humani cum Divino concurrentis, ad eandem veritatem collustrandam.

Objicies. Lumen humanum viam potiùs obstruit lumini Divino, quàm facit. Hinc est illud Ambrosii, *tolle argumenta, ubi fides quæritur.* Ratio nimirùm est, quia ubi veritas lumine naturali semel possidetur, languescit inquisitio

Lib. 1. de fide Cath. c. 5.

quisitio medii ulterioris, quo veritas possideatur: nec præsumitur Deus supervacaneè revelasse, quod sciebatur independenter ab ipso revelante. Respondeo. Nego antecedens, ejusque probationem. Uult enim Ambrosius, fidem in testimonio Dei; non in argumentis, seu motivis naturalibus fundari. Non negat tamen; quin naturalia argumenta, fidei præambula, & præcursoria esse possint. Quod verò dicitur languere inquisitio medii ulterioris, ubi semel veritas uno medio tenetur, verum quidem est, si medium, quo tenetur veritas, sit certius medio ulteriore. Sed est omninò falsum, si medium ulterius firmiorem aliquam veritatis possessionem afferre possit. Atqui veritas longè certiùs tenetur authoritate Divinâ, quàm ratione humanâ. Ergò etiamsi teneatur ratione humanâ, authoritati Divinæ locus relinquitur.

Thesis secunda. Ratio humana, in conjunctione; valere potest, ad recreandam aciem mentis, ex Divino lumine hebescentem & fatigatam. Explicatur. Lumen Divinum plus quidem certitudinis habet: sed lumen humanum, respectu nostri, plus habet claritatis; & evidentiæ. Nam lumen sapientiæ Divinæ, quamvis evidentem habeat connexionem cum veritate objecti, nobis tamen obscurè proponitur, in testimonio Dei; velut in *Speculo; & in ænigmate*. Atqui ubicumque obscuritas est, mens inquieta fatigatur, in claritate & evidentiâ requiescit. Ergò si de lumine Divino ad lumen humanum descendat, recreabitur. Quare optimum est in Theologiâ, post veritatem proba-

Secundus: Ad recreandam mentis aciē ex Divino lumine hebescentem & fatigatam.

1. Cor. c. 13.

tam testimonio Dei, ex Scripturâ, & Traditione petito, ad rationem humanam descendere, & lumini Divino subjungere humanum, si non ad certitudinem, certè ad videndi suavitatem. Et hic est secundus usus luminis humani, eidem objecto collucentis cum lumine Divino.

Objicies. Usus iste luminis humani destruit, aut certè minuit meritum fidei: fides enim, iuxta Gregorium, *non habet meritum, ubi ratio humana præbet experimentum.* Aliundè per respectum ad rationem humanam minuitur credendi labor, ac proindè meritum, quod crescit ex labore credendi. Ergò abusus est, si post authoritatem Divinam rationes humanæ fidelibus proponantur. Respondeo. Nego Antecedens. Ad locum verò Gregorii dico, fidem non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum, in quo experimento fundetur fides. Nolumus autem nos, in experimento, aut argumento naturali fidem fundari, quæ in solâ authoritate Divinâ fundatur. Sed volumus aciem mentis ex assensu obscuro fatigatam tantisper humani luminis suavissimo appulsu recreari, ut ad credendum alacrior fiat, & vegetior. Quod verò additur minui laborem credendi, ac proinde meritum, quod ex labore crescit, solidum non est; alioquin Deus, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ*, meritum patiendi minueret, quia patiendi laborem consolando minuit. Meritum ergo per rationis humanæ accessum ita minuitur ex uno capite, ut longè magis crescat ex altero; quatenus fit, ut mens recreata lumine humano alacrior ad cre-

Homil. 26. in Evang.

2. Ad Cor. c. 1.

dendum redeat, & in fidei exercitio diutiùs perseveret; nam crescit meritum ex perseverantiâ actus.

Thesis tertia. Ratio humana, in conjunctione utilis est ad fuganda quædam errorum monstra, lumini Divino simul & humano opposita. Explicatur. Fit interdum, ut quemadmodum in nocte educuntur è latebris, & *pertranseunt omnes bestiæ sylvæ*, quæ ad primos Solis radios diffugiunt; ita in crassis infidelitatis & ignorantiæ tenebris, crassi errores exurgunt, ipso lumine humano faciliùs, quàm lumine Divino fugandi: quia lumen Divinum non apparet, nisi mediante testimonio Dei, eóque obscuro. Obscurum autem Dei testimonium facilè respuunt homines infideles, qui lumini humano evidenti rebelles esse non possunt. Ergò lumen humanum lumini Divino utilem operam navare potest, in hujusmodi monstris debellandis.

Tertius. Ad crassos errores debellandos.

Psal. 103.

Objicies. Debellatio errorum, per lumen humanum facta, nihil cedit in gloriam, aut bonum fidei. Erroribus enim per lumen humanum profligatis, stat infidelitas, & respuitur testimonium Dei. Quandiu autem respuitur testimonium Dei, non acquiescit homo in Dei sapientiâ: imò pronum est in Dei sapientiâ non acquiescere hominem, ex quo in sapientiâ humanâ acquiescit. Respondeo. Debellatio errorum, facta per lumen humanum utilis est fidei, quatenùs ad plenam fidei victoriam aliquo modo disponit. Depositis enim erroribus testimonio Dei repugnantibus, facilius est homini infideli testimonium Dei admittere; quo

semel admisso, affulgebit lumen sapientiæ Di-
1. Ioan. c. 5. vinæ ; eique infidelis acquiescet , *& fiet victoria , quæ vincit mundum, fides nostra.*

Quartus. Ad lumen Divinum aliquo modo ornandum & coronandum. *Apoc. 12.*

Thesis quarta. Ratio humana, in conjunctione, adhiberi potest, ad lumen Divinum aliquo modo ornandum, & coronandum. Explicatur. Est enim Divina sapientia, ut *mulier* illa *amicta Sole*, quæ non renuit stellis minoribus coronari. Nimirùm sapientia Dei, quamvis sibi ipsa sufficiens sit, rationem tamen humanam in suo comitatu, & obsequio admittit. Quare nihil vetat authoritati Divinæ rationes naturales adjungere, per modum honoris satellitii ; dummodo inter ancillas, & famulas, semper Reginæ & honor constet, & locus servetur.

Quintus. Ad lumen Divinum profundâ submissione honorandum.

Thesis quinta. Ratio humana, in conjunctione, debet lumini Divino profundè submitti. Probatur. Quia principium est ipso naturæ lumine evidentissimum, sapientiam Divinam infinito excessu præstare sapientiæ humanæ, ac proindè lumen humanum, quod de sapientiâ humanâ venit, profundè submittendum esse lumini Divino, quod venit de sapientiâ Divinâ. Ex quo principio solidè concludit Sanctus Thomas, Theologiam omnes alias scientias transcendere ; *Quia aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare : hæc autem certitudinem habet ex lumine Divinæ scientiæ, quæ decipi non potest.* (1. Part. quæst. 1. art. 5.) Ista autem profunda submissio in eo consistit, quòd in concursu utriusque luminis humani & Divini, veritatem eamdem collustrantis, longè firmiùs mens veritati, propter lumen Divinum,

quàm propter humanum adhæreat. Et verò si sensum suum homo homini, hebes ingenioso, doctus indocto sapienter submittit, quantò sapientiùs homo sensum suum humanum Divino submittet?

ARTICULUS II.

De usu legitimo rationis humanæ in statu oppositionis cum lumine Divino.

Explicatur usus legitimus rationis humanæ in statu oppositionis cum lumine Divino.

THesis 1ª. Ratio humana in statu oppositionis cum lumine Divino, reprobari debet per ipsam rationem humanam. Probatur ex isto rationis humanæ discursu evidentissimo. Reprobari enim debet ea ratio, quæ falsitatis convincitur. Ratio autem humana opposita lumini Divino, convincitur falsitatis ex suâ illâ oppositione. Cùm enim sapientia Divina falli non possit, necesse est, falsum esse quodcumque lumen lumini sapientiæ Divinæ est oppositum. Atque hinc habet Theologia, ut de aliis scientiis judicare possit. *Quidquid enim*, inquit Sanctus Thomas, *in aliis scientiis invenitur, veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur, ut falsum. Unde dicitur 2ª ad Cor. 10. Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei,*

Primus. Reprobatio rationis humanæ lumini Divino opposita.

1. *Part. quæst.* 1. *art.* 6.

Objicies. Ratio humana, quæcumque apparet evidens, non debet reprobari, propter oppositionem cum lumine Divino, nisi constet evidenter de tali oppositione; reprobatio enim rationis humanæ in tali oppositione fundatur. Ergò tantùm, si non plùs evidentiæ habere de-

bet oppositio, quantùm humana ratio, titulo oppositionis reprobanda. Atqui non constat evidenter de oppositione rationis humanæ evidenter apparentis, cum lumine Divino. Siquidem non magis constat de tali oppositione, quàm constet de testimonio Dei lumen Divinum notificante : de testimonio autem Dei non constat evidenter. Respondeo. Nego Antecedens. Reprobari enim debet ratio humana, etiam quæ apparet evidens, propter oppositionem, cum lumine Divino, non evidentem. Talis enim oppositio, quamvis non appareat evidenter, est sufficiens & rationabilis titulus reprobandi rationem humanam, quantumvis evidenter apparentem. Nam si oppositio cum lumine Divino non appareat quidem evidenter, sed tamen ita appareat, ut de illâ prudenter dubitari non possit, eo ipso reprobari debet ratio humana quantumvis apparens. Ea nimirum debetur reverentia sapientiæ, & authoritati Divinæ, ut quoties prudenter dubitari non potest, quin aliquid Deus sentiat, aut testificetur, sit manifesta obligatio non contradicendi, aut contra-sentiendi. Atqui fieri potest, ut oppositio rationis humanæ cum lumine Divino ita non evidenter appareat, ut tamen de illâ dubitari prudenter non possit : si nimirùm testimonium Dei, oppositionem notificans, sub talibus ac tantis motivis proponatur, ut imprudens sit, quicumque de testimonii divini existentiâ dubitaverit. Quo enim gradu claritatis apparet testimonium Dei oppositionem notificans, eodem gradu apparet ipsa oppositio notificata.

Quæ reprobatio fieri debet, etiamsi non sit evidens oppositio rationis humanæ cum lumine Divino, dummodò ita credibilis

Instabis 1°. Obligatio reprobandi rationem

humanam lumini divino oppositam venit tota ex obligatione non contra-sentiendi, aut contradicendi Deo sentienti aliquid, aut dicenti. Ergo non est evidens obligatio reprobandi rationem humanam, nisi appareat evidenter lumini divino opposita. Eatenùs enim apparet obligatio reprobandi rationem humanam, quatenùs apparet, non posse stare hominem pro ratione humanâ, quin Deo dicenti aliquid, aut sentienti contra-sentiat, aut contradicat. Id verò non apparet evidenter, nisi oppositio rationis humanæ cum lumine divino evidenter appareat. Respondeo. Nego Consequentiam, ejusque probationem. Est enim evidens obligatio reprobandi rationem humanam, etiamsi non sit evidens hominem Deo contradicturum, aut contra-sensurum, si rationem humanam sequatur. Quia evidens est, obligari hominem non modo non contradicere, aut contra-sentire Deo, sed etiam non se exponere morali periculo Deo contradicendi, aut contra-sentiendi. Quando autem oppositio rationis humanæ, cum lumine divino, ita apparet homini, ut de illâ prudenter dubitare non possit, quicumque rationem humanam sequitur, evidenter exponit se periculo morali contradicendi Deo, aut contra-sentiendi. Ergo evidenter obligatur non sequi rationem humanam, sed reprobare.

sit, ut de illâ dubitari prudenter non possit.

Quia est evidens obligari hominem non modo non contradicere aut contrasentire Deo, sed etiã non se exponere morali periculo Deo contradicendi aut contrasentiendi.

Instabis 2°. Apparentia rationis humanæ major est, quàm sit apparentia oppositionis cum lumine divino: ratio enim humana evidentiam habet saltèm apparentem, oppositio verò rationis humanæ cum lumine divino, ne appa-

rentem quidem evidentiam habet. Atqui ſtandum eſt pro majore apparentiâ, ex ipſo noſtro principio ſupra poſito; quia ſtando pro majore apparentiâ, minus periculi eſt contradicendi Deo, aut contra-ſentiendi; minuitur enim periculum per majorem apparentiam veritatis. Confirmatur. Quia ſi in ratione humanâ eſt veritas, rationem humanam reprobans contradicet Deo ſentienti, qui ſentit omne quod verum eſt. Ergo quantò majorem habet apparentiam ratio humana, ſuprà apparentiam ſuæ oppoſitionis cum lumine divino, tantò majori periculo exponit ſe, rationis humanæ apparentiam reprobans, ſuprà eum, qui reprobat apparentiam oppoſitionis cum lumine divino. Reſpondeo. Eſto, apparentia rationis humanæ major ſit intenſivè, quia fortè ſenſum magis ferit, quàm apparentia oppoſitionis cum lumine divino; ſed non eſt major appretiativè, ſeu æſtimativè: quia apparentia oppoſitionis cum lumine divino evidenter præferenda eſt cuicumque apparentiæ rationis humanæ; nimirùm evidens eſt, debere hominem plùs credere Deo, quàm ſibi. Atqui ſequens apparentiam rationis humanæ, præ apparentiâ teſtimonii, & ſenſus divini, plùs ſibi credit, quàm Deo; ſequens verò apparentiam teſtimonii, & ſenſus divini, præ apparentiâ rationis humanæ, plùs Deo credit, quàm ſibi. Ergo eſt evidens, apparentiam rationis humanæ, quamvis intenſivè majorem, eſſe tamen minorem appretiativè. Idem nimirùm contingit intellectui, quod voluntati. Sicut enim interdùm complacentia unius objecti, quæ intenſivè major eſt, eadem eſt appretiativè minor com-

Apparentia rationis humanæ, quamvis fortè intenſivè major ſit quàm apparentia oppoſitionis cum lumine divino, eſt tamen minor appretiativè, eique poſtponi debet.

Eſt enim evidens debere hominem plùs credere Deo quàm ſibi.

placentiâ alterius ; ita interdùm intellectualis apparentia objecti unius major est intensivè ; & simul appretiativè minor apparentiâ alterius. Ad Confirmationem dico, si fortè apparentia rationis humanæ cum veritate conjungeretur, reprobans rationem humanam, ut staret pro apparentiâ testimonii, & sensus divini, materialiter tantùm, & inculpabiliter Deo contradiceret, non formaliter, aut culpabiliter. Neque enim reprobaret rationem humanam ex affectu contradicendi Deo, sed potiùs ex affectu credendi Deo plùs, quàm sibi. At verò reprobans apparentiam testimonii, & sensus divini, ut sequatur apparentiam rationis humanæ, exponit se morali periculo contradicendi formaliter, & culpabiliter Deo, ex præsumptione nimiâ sui sensus, & ex affectu credendi sibi plùs, quàm Deo : in quo evidens est, esse magnam irreverentiam, contra sapientiam, & autoritatem divinam.

Instabis 3°. Apparentia rationis humanæ fundat prudentem dubitationem, de existentiâ testimonii divini, sub quo divinum lumen apparet. Ergo stante apparentiâ rationis humanæ, non potest ita apparere testimonium divinum, ut de illius existentiâ prudenter dubitari non possit. Antecedens probatur. Quia apparentia rationis humanæ tàm potest infirmare, aut elevare apparentiam testimonii divini, quàm possit apparentia testimonii divini infirmare, aut elevare apparentiam rationis humanæ. Utraque enim apparentia humana est ; nec minùs potest errare ratio humana, in apparentiâ testimonii divini, quàm possit errare in

Apparentia rationis humanæ infirmatur ex duobus principiis.

apparentiâ alterius objecti, testimonio divino contra-pugnantis. Respondeo. Nego Antecedens, ejusque probationem. Quamvis enim utraque apparentia humana sit, non est tamen utraque ejusdem ordinis, aut firmitatis; sed una firmior est alterâ, & titulum habet evidentem prælationis; nimirùm apparentia rationis humanæ versantis circa objectum Dei testimonio contra-pugnans, valde infirmatur ex duobus principiis naturalibus, & evidentibus. Primum est notoria debilitas intellectus humani, ad certa quædam objecta intelligenda. Nam si, juxta Philosophum, *habet se ad manifestissima natura, sicut oculus Noctuæ ad lumen solis*, quomodo se habebit ad divina, quæ magis abstrusa, & recondita sunt? Alterum est notoria incomprehensibilitas Dei: est enim evidens, ex ipsâ Dei notione, Deum esse talem ac tantum, ut à nullo intellectu creato possit comprehendi; ac proindè habere in se infinita, in quibus hæsitet, & cæcutiat mens humana. Ergo est evidens, infinita in Deo esse, quæ non sunt fori humani, ac proindè, si de illis ratio humana judicare velit, judicium habendum esse pro nullo. Atqui hæc duo principia non infirmant pariter apparentiam testimonii divini, circa objecta quantumvis ardua, & in speciem repugnantia. Non primum: quæcumque enim sit debilitas intellectus humani, evidens est, sufficere illum ad cognitionem testimonii divini, in quo cognoscendo si fortè errare possit, periculum erroris non ex insufficientiâ, sed ex præcipitatione, & inconsideratione timendum est. Non secundum: Deus

Primum Est notoria debilitas intellectus humani.

2. *Metph. c.* 1.

Secundum. Notoria Dei incomprehensibilitas.

Ex quibus principiis non infirmatur apparentia testimonii divini circa objecta

enim quantùmvis incomprehensibilis sit, potest tamen, si velit, revelare homini profunda sua; & potest homo excipere revelationem Dei, eamque sub talibus ac tantis motivis apparentem, ut de illâ prudenter dubitare non possit. Quod totum ipso naturæ lumine evidens est. Ergo ipso naturæ lumine est evidens, contra apparentiam rationis humanæ, quæcumque illa sit, stare posse apparentiam testimonii divini, talem ac tantam, ut de testimonio divino dubitari prudenter non possit. In quâ hypothesi evidens est, rationis humanæ apparentiam reprobandam esse, & sequendam apparentiam testimonii divini. quantùmvis ardua.

Instabis. 4°. Principia illa reflexa, quibus infirmari volumus apparentiam rationis humanæ, naturalia sunt, & humana. Ergo quantùmvis appareant, suspecta nobis esse possunt. Respondeo. Nego consequentiam. Quia principia illa ita naturalia sunt, & humana, ut versentur circa objectum fori humani, in quo minus errandi periculum est. Aliundè sunt primæ quædam, & universales regulæ, homini à Deo datæ, ad prudentem directionem intellectûs. In istiusmodi autem regulis præsumenda est esse veritas, aut nullibi esse præsumenda est. Principia verò illa reflexa nulli possunt esse suspecta.

Thesis 2ª. Ratio humana, in statu oppositionis, diluere ipsa debet objecta sua, contra lumen divinum. Explicatur. Veritas à Deo revelata, cui ratio humana refragatur, ratione quidem humanâ probari positivè non potest: potest tamen ipsa ratio humana solvere utcumque objecta sua, & apparentias suas diluere, Secundus est solutio eorum quæ ratio humana objicit contra lumen divinum.

quaſcumque habet, contra veritatem lumine divino illuſtratam. Cum enim lumen divinum neceſſariò verum ſit, impoſſibile autem ſit, de vero demonſtrari contrarium, ut ſolidè ratiocinatur Sanctus Thomas; *Manifeſtum eſt probationes, quæ contra fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.* Duplex eſt autem via procedendi in ſolutione iſtorum argumentorum, una directa, alia indirecta. Directa eſt, per quam ita reſpondetur argumentis, ut reſponſio non ſatisfaciat quidem, falſitatis tamen convinci non poſſit. Indirecta eſt, quâ non ſolvitur difficultas in ſe; ſed opponitur adverſario, multas eſſe apparentias humanas, in quibus ſæpè fallimur; vel oſtenditur, habere ipſum eamdem, quam objicit, aut etiam majorem difficultatem, in aliâ materiâ ſolvendam. Quæ via optima eſt, tum contra hæreticos, aliqua fidei myſteria admittentes, rationi humanæ nihilo-minùs difficilia, quàm quæ rejiciunt: tum contra infideles, qui ſæpè, in ipſis naturæ myſteriis, hoc ipſum ſolvere habent, quod nobis objiciunt.

1. p. q. 1. art. 8.

In quâ ſolutione duplex eſt via procedendi, directa, & indirecta.

Objicies. Ratio humana, in ſtatu oppoſitionis cum lumine divino, non poteſt ſolvere difficultatem, quam ipſa facit, contra lumen divinum; quis enim capiat, inde eſſe difficultatis ſolutionem, unde eſt difficultas, aut difficultatis ſolutionem eſſe ipſammet difficultatem? Reſpondeo. Ratio humana oppoſita lumini divino accipi poteſt dupliciter. 1°. quidem pro ipſo humano lumine actuali, quod lumini divino repugnat: eſt autem evidens, eo lumine actuali difficultatem non ſolvi,

Quo ſenſu poſſit ratio humana ſolvere difficultatem quam ipſa facit.

quam ipſum lumen formaliter facit. 2°. pro naturali facultate ratiocinandi, habente lumen actuale lumini divino oppoſitum. Quæ facultas cum ſit capax luminis multiplicis poteſt difficultatem, quam facit lumen actuale oppoſitum lumini divino, alio lumine mitigare, & nodum, quem unâ veluti manu texit, aliâ expedire.

ARTICULUS III.

Explicatur uſus multiplex rationis humanæ in ſtatu ſuæ eclypſis circa lumen divinum.

De uſu legitimo rationis humanæ in ſtatu ſuæ Eclypſis, ſeu defectus ſui circa lumen divinum.

THeſis 1ª. Ratio humana, in ſtatu ſuæ Eclypſis, ſeu defectus ſui, occupari debet in admiratione, & commendatione luminis divini nunquam deficientis. Explicatur. Innumeræ ſunt fidei veritates, in quibus ratio humana præciſè deficit, iis nec favens, nec contradicens. Nam Deus multa contingentia revelavit, ſeu præterita, ſeu futura, quæ nemo hominum ſciret, ſecluſâ revelatione. Hæc autem ita non videt ratio humana, ut videat tamen ſapientiam divinam, lumine ſuo omnia ſcrutantem, & colluſtrantem. Ergo deficere non debet, in admiratione, & commendatione illius.

Primus. Admirari & commendare lumen divinum nunquam deficiens.

Theſis 2ª. Ratio humana, in ſtatu ſuæ Eclipſis agnoſcere debet liberalitatem Dei, ſecreta etiam ſua homini revelare non dedignantis. Explicatur. Poterat Deus hominem, ab ipſâ creatione facultate intelligendi præditum, experientiæ, & inveſtigationi ſuæ naturali per-

Secundus. Agnoſcere liberalitatem Dei ſecreta etiam ſua homini revelare

non dedignantis. mittere. In quâ ſuppoſitione non alias veritates homo cognoſceret, niſi quarum cognitionem vel indidiſſet natura, vel uſus, & exercitatio peperiſſet. Sed bonus naturæ Author, qui ſcientiarum Dominus eſt, ſcientiæ hominis naturali præternaturalem, & divinam ſcientiam addere voluit; ſive ea, quæ lumine naturali nota ſunt, autoritate ſua confirmando ad majorem certitudinem; ſive novas, & arduas veritates revelando: adeò ut cui dictum eſt, modeſtiæ inculcandæ cauſâ, *altiora te ne quæſieris*, dici meritò poſſit ad gratitudinem excitandam, *plura ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Eccleſiaſtici 3. Nam pro ejuſmodi veritatum revelatione ratio humana dictat, gratias Deo agendas. Siquidem, ut bene notat Ariſtoteles, *Minimum quod poteſt haberi de cognitione rerum altiſſimarum, deſiderabilius eſt, quàm certiſſima cognitio, quæ habetur de minimis rebus.* Lib. 11. de paſſ. anim. cap. 2. Gratias ergò Deo Patri, *qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*, hoc eſt, qui nobis etiam viatoribus dignatur impertire aliquid ſcientiæ divinæ, quæ ſors, & beatitudo ſanctorum eſt. Ad Coloſſ. c. 1. Eodem enim lumine, quo ſancti, regimur; iiſdem principiis inſiſtimus. Nimirùm, ut ſubtiliter diſtinguit ſanctus Thomas, cum ſit duplex ſcientiarum genus, quarum aliæ procedunt ex principiis immediatè notis lumine naturæ, ſicut Arithmetica, Geometria, &c. P. 1. q. 1. art. 2. Aliæ verò procedunt ex principiis notis lumine ſcientiæ ſuperioris, ſicut Perſpectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, & Muſica ex principiis per Arithmeticam notis. Theologia ſcientia eſt ſecundi generis, proce-

dens ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum. Quare sicut Musica debet principia sua Arithmeticæ; ita Theologia principia sua ipsiusmet scientiæ Dei accepta debet.

Thesis 3ª. Ratio humana, in sua Eclypsi, valere potest, ad lumen divinum aliquo modo demonstrandum. Explicatur. Lumen sapientiæ divinæ, de aliquo objecto, non apparet immediatè, sed mediante Dei testimonio. Habemus enim, Deum ita sentire de objecto, quia ipsemet Deus, se ita sentire, testificatus est. Ergo quod valet ad demonstrandum testimonium Dei, valet aliquo modo ad lumen divinum demonstrandum. Atqui ratio humana valet, ad demonstrandum aliquo modo testimonium Dei. Motiva enim, quibus testimonium Dei fit credibile, sunt fori humani, & ope luminis naturalis exquiri, ponderari, ac modo aliquo suasivo proponi possunt. Ergò ratio humana, quamvis in sua Eclypsi videre non possit ipsas veritates à Deo revelatas, valere tamen potest, ad revelationem veritatum aliquo modo demonstrandam.

Tertius. Lumen divinum aliquo modo demonstrare.

Thesis 4ª. Ratio humana, in sua Eclypsi, valere potest ad veritates ipsas revelatas evolvendas, explicandas, ordinandas. Explicatur. Ratio humana quas veritates videre non potest seclusâ revelatione, easdem semel revelatas potest evolvere, explicare, ordinare. Nimirùm interdum una aliqua veritas multas in se habet conglobatas, & convolutas, quas evolvere oportet. Evolvet autem ratio humana; nam quæ videre non potuit Antecedens sine revela-

Quartus. Veritates à Deo revelatas evolvere, explicare & ordinare.

tione, revelato tamen Antecedente, videbit Consequens cum Antecedente connexum. Interdùm veritas confuse proponitur, &, nisi explicabitur, non intelligetur: potest autem ratio humana facere, explicando, ut intelligatur. Interdùm multæ veritates in Scripturâ disponuntur, nullo rerum ordine servato. Potest autem ratio humana iis dare ordinem, quem in scripturâ non habent. Quæ omnia si accuratè fecerit, non erit, etiam in suâ Eclypsi inutilis.

Explicatur usus multiplex rationis humanæ in statu supplementi.

ARTICULUS IV.

De usu legitimo rationis humanæ in statu sui supplementi pro lumine divino.

1°. Enim debet diffidere multùm de se ipsâ.

THesis 1ª. Ratio humana, in statu supplementi diffidere multùm debet de se ipsâ. Probatur. Quia in rebus præsertim divinis, quandiu regitur lumine suo, pauculas assequitur veritates, easque ferè cum admixtione & periculo multiplicis erroris. Ergò conscia sibi suæ imbecillitatis, quoties lumine divino destituitur, diffidere debet de se ipsâ. Ex quâ rationabili diffidentiâ fiet, ut & timidè divina inquirat, & iis, quæ fortè invenerit, minùs tenaciter adhærescat, attendens ad illud monitum Gregorii Magni, *habent*, inquit, *hoc hæretici proprium, ut de inani scientia sua arrogantiâ inflentur, &c. At contrà sancta Ecclesia, in omne, quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit; ne in inquisitione occultorum tumeat, & perscrutari aliqua, quæ ultra vires sunt illius;*

14. *Moral.* c. 12.

illius, præsumat : utiliùs enim studet nescire, quæ perscrutari non valet, quàm audacter definire; quæ nescit.

Objicies. Ergo, more Scepticorum, dubitandum est de omnibus divinis, quæ, solo naturæ lumine; nota sunt, non lumine revelationis. Respondeo. Nego Consequentiam. Diffidentia enim ista rationabilis, quam requirimus, non eò valet, ut de omnibus divinis, solo lumine naturæ notis, dubitationem, aut judicii suspensionem inducat; volumus enim; judicari multa, etiam de Deo, quæ solo lumine naturæ nota sunt : sed ita judicari volumus, ut iis longè minùs adhæreat mens, quàm si forent nota lumine divino. Ista enim minor adhæsio rationabilis est, & venit de quâdam rationis humanæ diffidentiâ. Sed diffidentiâ rationabili quæ non semper dubitationem pariat, sed minorem aliquam adhæsionem.

Thesis 2ª. Ratio humana, in statu supplementi, modestè, & reverenter exquirere debet lumen divinum. Ita nimirùm exquiri debet admirabile illud lumen, quod quamdiu deficiet, in tractatione rerum divinarum periculosè versabimur; ubi autem præstò erit, securi erimus. Exquiramus igitur lumen divinum, non expectando revelationes novas, sed scrutando antiquas; juxta illud Christi Domini, *Scrutamini scripturas*; in scripturis enim fortè invenietur id ipsum, quod lumine naturæ notum est, lumine etiam divino manifestatum. Deus siquidem multa dixit, quæ tamen ipsum satis dixisse, nondùm satis clarum est, sed fortè aliquando clarum fiet. Quare rem utilem Ecclesiæ fecerint Christiani Theologi, si scripturæ textus versando, & invicem comparan-

2°. Modestè & reverenter exquirere lumen divinum.

Ioan 5.

do, lumen divinum, quod in iis latet, quasi ex collisione eliciant; & si fortè jam apparere incepit, ad eum apparentiæ gradum adducant, ut de eo prudenter dubitari ultrà non possit. Quemadmodum sæpe contingit occasione novarum hæresum: *multa* quippe, inquit Augustinus, *ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine agitantur; ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.*

Lib. 16. de Civit. c. 2.

Objicies. Periculosa est ista inquisitio divini luminis per rationem humanam. Nam, ut præclarè Hilarius, *Quemadmodùm sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur, ne, si plus velimus expetere, minùs quoque quàm possumus consequamur: ita & ratio cælestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi, in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit: ne, si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta.* Respondeo. Inquisitio divini luminis modestè & reverenter facta per rationem humanam, periculosa non est. Neque illam reprehendere putandus est Hilarius, qui solam reprehendit curiositatem rationis humanæ, scire de Deo ambientis, ultra id, quod Deus sciri voluit. Ubi tamen fateor reprehendi à Patribus inquisitionem luminis divini duplicem. Una est, cum ratio humana veritates, quas satis constat à Deo revelatas, audet revocare ad examen suum, & lumine humano metiri. Quod inquisitionis

Lib. 10.

Non omnis inquisitio divini luminis rationi humanæ prohibetur.

Quænam prohibeatur.

genus causa est omnis hæresis. *Hæretici* enim, ut notat Gregorius Magnus, *omne, quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt, & per inquisitionem nimiam in errorem labuntur*: meritò ergo, dixit Ambrosius, *fides non sit in hominum sapientiâ, & hæresis non erit.* Altera est, cum revelatio divina nondùm satis apparens, curiosè, & avidè nimis, ne dicam superbè, inquiritur. Quo in genere, exemplum, & consilium Nazianzeni, cognomento Theologi, sequi debet sapiens Theologus. *Excessum fugio, & inexplebilem cupiditatem coërceo; malimque, si mihi utrumque fugere, & mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse, quàm nimis curiosus. Meditare tu quidem res divinas, sed intra terminos consiste.* Ratio consilii est, quia ex nimio desiderio detegendi revelationes novas, periculum est, ne tandem pro revelatis accipiantur, quæ revelata non sunt; & ne, ut sibi fingunt somnia amantes, revelationes sibi fingat, qui revelationes avidiùs quærit.

16. *Moral. c.* 27.

Lib. de Symb. c. 10.

Orat. 26.

Thesis 3ª. Ratio humana, in statu supplementi, retinere debet, ac sequi lumen suum, saltem provisoriè. Probatur. Quia Deus hominem regi vult alterutro saltem lumine, divino, vel humano. Ergo ubi divinum deest, sequendum est homini lumen humanum, idemque tamdiu retinendum, donec suppetat melius, à quo reformetur. Dixi, *provisoriè* retinendum: quia lumen humanum est lumen aliquod inferius, à quo provocari potest ad divinum. Quare sapientiæ humanæ judicium, quodcumque illud sit, non est propriè supremum veritatis judicium, sed provisorium dum-

3°. Retinere ac sequi lumen suum saltem provisoriè.

taxat : valere tamen debet, donec fortè in supremo sapientiæ divinæ tribunali corrigatur.

Lumen humanum quantumvis evidens, veritatis judicium est provisorium dumtaxat, non supremum.

Objicies. Lumen humanum veritatis evidentiam interdùm facit. Ergo interdùm plusquàm provisorium est. Respondeo. Nego Consequentiam. Sicut enim sententia Judicis subalterni, quæ æquitatis evidentiam habet, provisoria nihilo-minùs sententia est, defectu supremæ autoritatis in Judice subalterno : ita lumen humanum, quantùmvis evidens, habendum est pro judicio veritatis provisorio, non supremo; quia scilicét venit de sapientiâ humanâ, penes quam non est suprema potestas judicandi de veritate; suprema enim illa potestas solius sapientiæ divinæ propria est.

Quarto. Parata esse debet ratio humana abjicere omne lumen suum

Thesis 4ª. Ratio humana parata esse debet abjicere omne lumen suum, quodcumque sufficienter intelliget lumini divino non congruere. Tum quia evidens est, lumini humano præferendum esse lumen divinum; tum quia ex terminis patet, abjiciendum esse lumen, quodcumque falsum esse deprehenditur. Quodcumque autem lumen deprehenditur non congruere lumini divino, deprehenditur eo ipso falsum esse. Ergo, &c.

Non absolutè quidem, sed conditionatè.

Objicies. Ratio humana non potest abjicere prima principia, quæ ex terminis evidentia sunt. Ergo non potest esse parata abjicere omne lumen suum. Respondeo. Distinguo Consequens. Non potest esse parata abjicere absolutè omne lumen suum, Concedo, abjicere conditionatè, & ex suppositione divini testimonii de difformitate luminis humani cum lumine divino, Nego. Ratio quidem humana non potest esse parata

abjicere abſolutè prima principia, ex terminis evidentia; quia abſolutè judicat talia eſſe, quæ lumini divino planè congruant. Poteſt tamen, & debet ſic eſſe comparata, ut prima etiam principia abjiceret, ſi Deus ea revelaret ſenſui divino non congruere: quam tamen Dei revelationem ratio humana judicat eſſe impoſſibilem.

Inſtabis. Diſpoſitio iſta conditionata importat fluctuationem, aut ſuſpenſionem aliquam rationis humanæ, circa prima principia: quæ fluctuatio nulla eſt, nec eſſe poteſt. Ergo, &c. Reſpondeo. Diſpoſitio iſta conditionata nullam fluctuationem importat, aut ſuſpenſionem circa prima principia; ſed prælationem rationabilem luminis divini ſupra humanum. Quamvis enim ratio humana, ne leviter quidem fluctuet, aut hæſitet, in primis principiis judicandis, poteſt tamen ſic eſſe affecta erga ſapientiam, & autoritatem divinam, ut ſi Deus ea principia revelaret ſenſui ſuo non congruere, ratio humana protinùs abjiceret. Sed cum hypotheſis iſtiuſmodi revelationis judicetur omninò impoſſibilis, primis principiis ſine fluctuatione, & immobiliter adhæret ratio humana, ſalvâ ſemper reverentiâ, quam debet autoritati & ſapientiæ Dei.

Quæ diſpoſitio conditionata nullam neceſſariò fluctuationem importat.



CAPUT II.

De usu legitimo luminis alieni, seu Authoritatis humanæ in Theologiâ.

DE usu rationis humanæ in Theologiâ quæcumque ferè diximus, transferri quidem possunt ad usum autoritatis humanæ. Sed ut de eâ proprium aliquid, & singulare dicamus.

p. 1. q. 1. art. 8.

Locus ab autoritate quæ super ratione humanâ fundatur infirmissimus, & cur.

Potest tamē autoritas humana interdum rationi humanæ prævalere.

Præmitto 1°. Quod ait sanctus Thomas, *locum ab authoritate, quæ fundatur super ratione humanâ, esse infirmissimum*; non eam solùm ob causam, quod fundetur in ratione humanâ, quæ falli potest; sed quod fundetur etiam in fide humanâ, quæ potest fallere. Facilius enim est ex duobus alterutrum disjunctivè, quam unum solum determinatè deficere; alterutrum autem deficiat, deficit vis autoritatis humanæ. Quare cæteris paribus plus periculi est ab humanâ autoritate, quàm à ratione humanâ. Nam rationem humanam, seu lumen proprium sequens dubitare forsan potest, an verum sit, quod sibi apparet: sed dubitare non potest, quin sibi appareat; est enim sibi conscius apparentiæ suæ. At verò sequens autoritatem humanam dubitare potest non modo, an verum sit, quod alter dicit sibi apparere; sed etiam an re ipsâ tale ipsi appareat. Sed quamtùmvis infirma sit autoritas humana, & infirmior ipsâ ratione humanâ, in quâ fundatur, interdùm tamen eam vim accipit

ſive ex qualitate, ſive ex multiplicatione luminis, & teſtimonii alieni, ut lumini etiam proprio prævaleat. Nam poteſt quis lumen proprium ſubmittere autoritati unius ſapientis, & multò magis autoritati multorum ſapientum. Quia præſumere poteſt, facilius eſſe, ut ipſe fallatur, quàm ut multi ſapientes fallantur, aut fallant.

Duplex Theologo diſtinguenda autoritas, extraneorum, & domeſticorum.

Præmitto 2°. Pro uſu autoritatis humanæ in Theologiâ, diſtinguendam eſſe Theologo autoritatem domeſticorum, & extraneorum. Extraneos appello eos *quis foris ſunt*, ut loquitur Apoſtolus, ſeu extra fidem Chriſti: domeſticos verò, fideles, fidem Chriſti profitentes, aut olim, dum viverent, profeſſos; quos idem Apoſtolus *fidei domeſticos* appellat. De autoritate extraneorum, quem uſum in Theologiâ habere debeat, primo loco dicemus: tum de autoritate domeſticorum.

1. *Ad Cor.* c. 5.
Ad Gal. c. 6.

ARTICULUS I.

De uſu legitimo Authoritatis extraneorum in Theologiâ.

Extranei qui dicuntur.

EXtranei dicuntur, vel infideles, qui ita ſunt extra fidem Chriſti, ut Chriſtum, aut Chriſti doctrinam nullâ ex parte ſequantur; vel hæretici, qui Chriſtum dimidiantes, partim retinent, partim non retinent, arbitratu ſuo: utrorumque autoritas, an & quò valere poſſit in Theologiâ, ſic paucis definio.

Autoritas infidelium

Theſis 1ª. Autoritas Infidelium non eſt omninò contemnenda Chriſtiano Theologo, rarò

non est omninò contemnenda Christiano Theologo.

tamen, nec nisi circumspectè admodùm usurpanda. Explicatur, & probatur. Non est omninò contemnenda Christiano Theologo ea autoritas, quam Paulus ipse aliquandò usurpavit: sed Paulus ipse usurpavit aliquandò autoritatem Infidelium: *Stans* enim *in medio Areopagi*, ut narratur Act. 17. ait. *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo; quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Ubi Paulus, ut vides, ipsorum Atheniensium, qui aram Ignoto Deo extruxerant, authoritate utitur, ad iisdem veri Dei cognitionem appositè insinuandam. Deinde verò ex ipsâ Poëtarum authoritate argumentatur. *Sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt; ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapide, sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile.* Ex quâ Pauli ratiocinatione meritò concludit Sanctus Thomas, uti interdùm Sacram Doctrinam *etiam authoritatibus Philosophorum, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt.* Ratio ulterior est, quia authoritas Philosophorum usus aliquos habere potest Theologiæ non contemnendos. Primus est convictio, & persuasio Gentilium: interdùm enim meliùs convincuntur propriis ipsorum principiis, & faciliùs audiunt placita Christi, ex quo ea intelligunt, authoribus suis, quos magni faciunt, non displicuisse. Secundus est indicatio Divinæ Traditionis, aut facti alicujus Ecclesiastici: cum enim Ecclesia primis tempori-

Usurpata à Paulo.

1. p. q. 1. art. 8.

Et usus habens non contemnendos.

Primus. Est convictio & persuasio gentilium.

Secundus. Indicatio

bus sub Gentilitate viveret, Historici Gentiles suis inseruerunt etiam nostra, quorum si non testes idonei, certè indices esse possunt. Nec Theologum Christianum pigere debet sequi indicium, aut vestigium illud qualecumque veritatis, ut pretiosam illam Domini Arcam Philistæis, inter quos captiva fortè vilescit, eripiat. Tertius est salutaris confusio fidelium: pudor enim est, in morali præsertim Disciplinâ, severiùs sentire Senecam, Exempli causâ, quàm Christianum aliquem morum corruptorem. Quartus est aliquis ornatus Theologiæ, quæ interdùm graves Gentilium sapientum sententias, ut gemmas quasdam peregrinas, admittit.

divinæ traditionis au facti alicujus Ecclesiastici.

Tertius. Fidelium salutaris confusio.

Quartus. Ornatus aliquis Theologiæ.

Raró tamen usurpanda est authoritas infidelium; quia satis raró contingunt usus isti supra memorati, extra quos profanam authoritatem usurpare non debet Christianus Theologus. Sed Pauli exemplo, etiam ab istiusmodi cum Gentilibus commercio religiosè abstinere. Nam *quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ fideli pars est, cum Infideli?*

Raró tamen usurpanda.

2. *Ad Cor.* c. 6.

Nec raró tantùm, sed etiam circumspectè, & cum aliqua cautione, profana authoritas adhibenda est. 1°. Enim cavendum est, quantùm fieri potest, ne distinctè, & nominatim profani authores citentur; quia tali honore dignandi non sunt: sed ad summum indefinitè, & generatim, ut fecit Paulus; qui versum ex Arato citans, Aratum non citavit nominatim, sed indefinitè. Non enim dixit, *Sicut Aratus vester*, sed *sicut quidam vestrorum Poëtarum dixerunt*. 2°. Si quandò necesse est, aut utile, designare nominatim authorem profa-

Nec nisi circumspectè & cum aliquâ cautione.

In Theologiâ enim profanus author ne nominetur omninò; aut si nominari ne-

esse est, sine honore nominetur.

num, cujus sententia laudatur, ex modo citandi faciendum est, ut non infidelitati, aut personæ infideli, sed veritati, & gravitati sententiæ honos haberi videatur. Nimirùm gravis aliqua veritas, in ore profani hominis, gemma est in luto, pro quâ extrahendâ, si fortè ad lutum descenditur, non lutum tamen, sed gemma honoratur. Contra quam cautionem putidè nimis peccant tractatores nonnulli, qui rerum sacrarum tractationem profanis authoritatibus ita inferciunt, ut jam non Christiana esse Theologia, sed profana videatur. Idque, quod mireris, præsertim familiare est hominibus ineruditis; qui sæculi disciplinam in aliis magni faciunt, & quam ipsi non habent, variè mentiuntur.

Epist. ad magnum urbis Romæ Oratorem.

Objicies. Patres, præsertim antiqui, authoritatibus Philosophorum non raro usi sunt, ut videre est apud ipsos: & testatur Hieronymus antiquos Doctores Philosophorum authoritatibus ita respersisse libros suos, *Ut nescias quid in illis priùs admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.* Respondeo. Patres passim declamant contra eruditionem sæculi; & profanas Philosophorum authoritates à Theologiâ Christianâ eliminare omnibus votis contendunt. *Nam quid Academiæ, & Ecclesiæ?* inquit Tertullianus. *Nihil nobis cum Philosophiâ,* clamat Ambrosius. Sed unus est instar omnium Basilius contra Eunomium. *Nobis,* inquit, *sufficeret, postquam ostendissemus, non ipsum ex Disciplinâ Spiritus Sancti, sed ex sapientiâ Principum hujus sæculi, talia dixisse; istud è Psalmo contra eum proloqui, narraverunt mihi iniqui fa-*

C. 7. de præscript. in Psalm. 128. lib. 1.

bulationes, sed non ut lex tua, Domine, &c. Quare si quandò Patres authoritatibus Philosophorum, & sæculari eruditione libros suos resperserunt, ut testatur Hieronymus, id non sponte, aut voluntate, sed miserâ quadam necessitate, fecisse credendi sunt. Incubuit autem Patribus misera illa necessitas ex multiplici capite. Primum fuit calumnia Gentilium, sectatores Christi simplicitatis & ignorantiæ nomine passim traducentium. Quæ calumnia cùm in diffamationem Religionis verteret, necesse habebant antiqui Ecclesiæ Doctores Philosophorum authoritatibus libros suos respergere; ut vel eo ostenderent, se non sæculi disciplinam ignorare, sed vanitatem contemnere. Alterum fuit responsio ad objecta Gentilium. Cum enim Gentiles perpetuò ex mundanæ Philosophiæ principiis contra mysteria nostra arguerent, opus habebant Patres ea principia versare, eludere, evertere; ne adversariis succubuisse viderentur. *Est* autem *inhonestum, ut Ecclesiasticus vir his qui foris sunt calumniantibus per ignorantiam conticescat; & Christianus de Christo reddere rationem nesciens inimicis insultantibus, & victus, & confusus abscedat.* Tertium necessitatis caput fuit convictio Gentilium, quibus & sectæ suæ vanitas demonstranda erat, & nova Christianismi secta persuadenda. Quem in finem torquebant Patres ipsa Philosophiæ sæcularis Dogmata, saltem quâ parte cum Christianis placitis congruebant. Quartum denique, fuit ornatus aliquis Theologiæ, à Gentilismo tunc accersendus, quandò Ecclesiæ Doctores nulli, aut pauci prodierant. Sed longè alia sunt Christianæ

Patres libros suos si quando resperserunt authoritatibus Philosophorum, id non spontè sed necessitate fecerunt. Istius necessitatis caput multiplex fuit. Primum Calumnia ignorantiæ amolienda. Secundum Responsio ad objecta Gentilium. *Petr. Damiani Opusc. 2. cont. jud.* Tertium Gentilium convictio. Quartum Aliquis Theologiæ ornatus.

Sed jam nulla est talis necessitas.

Theologiæ tempora. Nunc dilatato per universum Orbem Christianismo, nec cum Gentilibus res nobis est, nec contra Gentiles; & Christiano Theologo tam multa ex Patribus, & authoribus Ecclesiasticis suppetunt, ut penè pudor sit quidquam de Gentilismo mutuari.

Secularis eruditio non se habet omninò ut spolia Ægyptiorum.

Instabis. De spoliis Ægyptiorum ornari potuit Tabernaculum. Ergo & de sæculi eruditione Christiana Theologia. Respondeo. Nego Consequentiam. Nam spolia Ægyptiorum, donante Domino, facta fuerant bona Hebræorum; nihilque retinuerant, quod Ægyptum redoleret. At verò eruditio sæculi habet semper, ut supponimus, ut sæcularis sit, authorum suorum nomen, & colorem retinens. Ergò si Theologiæ frequens immisceatur, Theologiam profanam, & sæcularem faciet. Non dedecet tamen Theologum Christianum sæcularis scientiæ peritum esse, & spoliare Ægyptum, dummodò nihil ipse Ægyptii, seu profani indè habeat. Imò licet dicta & sensa Gentilium Theologiæ Christianæ inserere; si priùs ea legendo, & meditando Theologus ita fecerit sua, ut jam profana non appareant, authorum nomine suppresso. Nam in eo usu authoritati Gentilium nihil tribuitur; sed sententiarum soliditas, aut dictorum elegantia æstimatur.

Authoritas hæreticorum eodem ferè loco habenda est quo authoritas Gentilium.

Thesis 2ª. Authoritas Hæreticorum in Theologiâ eodem ferè loco habenda est, quo authoritas Gentilium. Probatur. Quia Hæretici, Ecclesiæ filii rebelles, cùm Ecclesiam matrem audire detrectent, in Ecclesiâ audiri non merentur; sed pro Ethnicis reputandi sunt, juxta il-

lam Christi sententiam, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c.* Ut ergo non est omninò contemnenda authoritas Infidelium, ita neque hæreticorum; in eosdem quippè usus valere potest. Interdùm enim hæretici suis ipsorum principiis convincuntur: interdùm Sectatores Patriarcharum suorum authoritate reducuntur: interdùm repetitur Catholica veritas, etiam ab hæreticis, inter quos est: quia scilicet non omni ex parte sunt hæretici, aut non omni tempore hæretici fuerunt. Interdùm habent etiam illi graves sententias, Christianâ Theologiâ non indignas. Sed sicut in authoritatibus Gentilium parcus admodùm, & cautus esse debet Christianus Theologus, ita & in authoritatibus hæreticorum easdem omninò cautiones adhibens: adeò ut, quoad fieri potest, nunquam hæreticum nominet, nisi fortè refutandi causâ, aut si nominet, id se necessitate fecisse, & non causâ honoris præ se ferat.

Matth. 18.

In eosdem quippè usus valere potest.

Et debet cum iisdem cautionibus adhiberi.

Objicies. In Theologiâ Christianâ fit frequens mentio hæreticorum. Nam quis Theologus Arium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, aliosque Sectarum antesignanos innominatos prætereat? Ergò authoritatis hæreticorum frequens est usus in Theologiâ Christianâ. Respondeo. Nego Consequentiam. Nam quæ fit hæreticorum mentio à Theologis, non eò pertinet, ut authoritati illorum aliquid detur; sed potiùs, ut si quid ponderis habuerit, detrahatur. Citantur illi, non ut authores probabiles, qui fidem faciant; sed ut falsarii verbum Dei adulterantes, quibus nulla fides de-

Frequens mentio hæreticorum in Theologiâ quò pertineat.

beatur. Et meritò quidem in Ecclesiâ texitur series, & servatur Catalogus insignium hæreticorum : notantur singulorum nomina ; memoria perpetuò anathematizatur cum erroribus. Nimirùm præmonentur ita posteri de scopulis vitandis : ne si fortè in errores damnatos impingerent, iisdem ipsi Anathematismis subjicerentur. Sed in commemoratione hæreticorum cavendum est Christiano Theologo, ne ingenii, eruditionis, aut sanctitatis speciem in illis commendet. Hinc enim secta inflatur, & Magistrorum erroris crescit authoritas, quam minui oporteret.

Instabis. Habent ferè authores hæresum plurimùm ingenii, & eruditionis ; in ipsorum libris multa bona sunt, quibus Theologia Christiana ornari potest : cur enim quæ bona sunt respuerentur ? Atqui si admittantur, iis præfigi debet nomen authoris, unicuique enim tribuendum est jus suum ; & jus authoris est, ut de inventione suâ fructum laudis aliquem capiat. Respondeo. Authores hæresum plùs ferè vanitatis, & hypocrisis habent, quàm solidi ingenii, & veræ eruditionis. Sed esto, in ipsorum libris multa bona sint : non est tamen integrum Christiano Theologo ea usurpare ; nisi dissimulato, & suppresso nomine authoris. Commemoratio enim, præterquam quòd & authori, & sectæ adderet animos, infirmos in fide scandalizaret ; quibus veniret in mentem, non adeò malum esse authorem, à quo tam multa bona prodire potuerunt. Nec verò ea dissimulatione nominis fieri putanda est injuria authori hæretico, cujus nomen dissimulatur.

Quæ in libris hæreticorum bona sunt, usurpari non debent in Theologiâ, nisi dissimulato nomine authoris.

Jus enim si quod habuit capiendi fructum aliquem ingenii, & eruditionis suæ, id totum hæreticâ suâ pravitate, & pertinaciâ amisit: eique idem contigit, quod perduellibus, quorum bona omnia fisco adjudicantur. Cæterùm quando novæ sectæ exoriuntur, optandum est, ne authores sectæ nominentur. Istiusmodi enim vani homines per ora omnium volitare amant, & circumferri, quocumque vento, adverso, an secundo, parùm illis est, dummodò circumferantur; & ipsa diffamatio pro illecebrâ est. Nova item hæresis silentio magis videtur, quàm sermone refutanda. Est enim hæresis instar ignis, qui, si motus illius intercipiatur, extinguitur; si ventiletur, accenditur.

ARTICULUS II.

Authoritas humana domesticorum fidei quem in Theologia usum habere debeat.

PRæmitto 1°. Domestici quidem fidei sunt omnes, & singuli fideles; sed non omnes & singuli eam habent authoritatem, quæ usui esse possit in Theologiâ. Ea quippè authoritas iis solis inest, qui tantam sapientiæ, & veracitatis famam obtinuerunt, ut fidem aliquam in judicio rerum divinarum mereantur. Cujusmodi ferè sunt Ecclesiæ Doctores, qui de rebus divinis cum aliquâ approbatione scripserunt. **Domesticorum fidei authoritas in Theologiâ utilis, est authoritas Doctorum Ecclesiæ. Eaque partim divina, qualiscomperit.**

Præmitto 2°. Authoritas, quæ Doctoribus Ecclesiæ inest ad usum Theologiæ, partim divina, & partim humana est. Nam 1°. Autho- **Primo. Authori-**

bus Scripturæ Canonicæ, seu Prophetis, seu; Apostolis.

res Canonici, seu Prophetæ, seu Apostoli, qui Libros Canonicos, aut Divinas Traditiones Ecclesiæ reliquerunt, authoritatem habent divinam; quia nimirùm quod nobis tradiderunt, non suo, sed Dei nomine tradiderunt. Deus enim per authores Canonicos propriè locutus est, & verbum ipsorum, est verè, ac propriè Verbum Dei. Quare isthæc Doctorum Canonicorum authoritas non est distinguenda ab authoritate Dei, per Doctores Canonicos loquentis; nec dubium est, quin præcipuum, & essentialem in Theologiâ usum habeat. Nam, ut notat Sanctus Thomas, *Argumentari ex authoritate maximè proprium est Sacræ Doctrinæ; eò quòd principia hujus Doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet, quòd credatur authoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus Doctrinæ. Nam licèt locus ab authoritate, quæ fundatur super ratione humanâ, sit infirmissimus, locus tamen ab authoritate, quæ fundatur super revelatione divinâ, est efficacissimus.* Atqui authoritas, quæ fundatur in testimonio Authorum Canonicorum fundatur in revelatione divinâ: cùm ipsum Authorum Canonicorum testimonium sit formaliter divina aliqua revelatio. Atque hinc est, quòd Sacra Doctrina, ut ait Sanctus Doctor, *Authoribus Scripturæ Canonicæ utitur propriè, ex necessitate argumentando.* Quia scilicet suas fidei conclusiones propriè & necessariò fundat in illorum testimonio, quod est revelatio divina.

1. Part. quæst. 1. art. 8. ad 2.

Ibidem.

Secundò. Ecclesiæ Pastoribus

Secundò. Ecclesiæ Pastores singularum ætatum, quandò summâ Ecclesiæ authoritate definiunt, aliquid in Scripturâ, aut Traditione contineri;

ti, definitio infallibilis eſt, ex promiſſione Chriſti factâ Eccleſiæ ſuæ, Quare habent & iſti authoritatem aliquam divinam in definiendo. Quamvis enim Paſtorum definitio non ſit propriè locutio Dei, fit tamen ex infallibili aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, non permittentis, ut errent Paſtores, ſummâ Eccleſiæ authoritate definientes. Atque hæc definiendi authoritas, ex ſupra dictis, ſatis intelligitur, plurimùm valere in Theologiâ, & plerumque eſſe neceſſaria ad ſufficientem revelationis divinæ propoſitionem.

ſingularum ætatum ſummâ Eccleſiæ authoritate aliquid definientibus.

Tertiò, Patres Eccleſiæ, quamvis per varias ætates diſperſi, ſi unanimiter conveniant de Dogmate Catholico, ſenſus illorum infallibilis eſt, ſi non ex promiſſione Chriſti, ſaltem ex approbatione Eccleſiæ. Quare & habent Patres infallibilitatem quamdam divinam, ex directione Spiritus Sancti aſſiſtentis, ne errent in ſuo unanimi conſenſu. Quæ Patrum Divina authoritas tanti in Theologiâ momenti eſt, ut revelationem divinam faciat ſufficienter credibilem, & Eccleſiæ definitionibus expreſſis viam parare ſoleat. Sed de iſtâ authoritate divinâ Doctorum Eccleſiæ nihil hîc ultra dicere habemus, ubi ſolius authoritatis humanæ uſum in Theologiâ legitimum inquirimus. Nam habent Eccleſiæ Doctores authoritatem aliquam humanam, in humanis dumtaxat dotibus, & præſidiis fundatam.

Tertiò. Patribus Eccleſiæ per varias ætates diſperſis conſentientibus.

Partim humana eſt cujùs ſolius uſum hîc quærimus.

Præmitto 3°. Doctores Eccleſiæ non eſſe authoritatis ejuſdem, quia non omnes ſunt ejuſdem ætatis, non omnes ejuſdem ſapientiæ, non omnes ejuſdem probitatis, non omnes ejuſdem approbationis. Nimirùm ad authori-

Eccleſiæ Doctores non ſunt omnes ejuſdem authoritatis.

tatem Doctorum Ecclesiæ facit antiquitas ; quia Doctores, quò propiùs contingunt prima Ecclesiæ tempora, eò faciliùs præsumuntur puriorem, quasi de fonte, Doctrinam veritatis hausisse. Facit & sapientia : nam quò quis sapientior est, eò meliorem sensum, & gustum habet veritatis, ac proindè dignior est, cui credatur. Facit & probitas : quia probitas veracitatem habet sibi conjunctam, veraci autem & sincero plùs creditur, quàm mendaci, aut dissimulatori. Facit denique ad authoritatatem approbatio : quia judicium approbantium merito Doctoris accedens novum ei pondus affert, quò magis ad persuadendum valeat. Non est hîc animus Doctores Ecclesiæ comparare invicem, aut singulis suum authoritatis gradum definire : nostrum enim est omnium venerari merita, non dijudicare. Absit ergò à nobis ista comparatio invidiosa nimis, nec Theologiæ necessaria. Satis erit pro instituti nostri ratione, Ecclesiæ Doctores in duos veluti ordines distribuere. Primus est ordo Patrum. Secundus, si ita loqui licèt, ordo Filiorum. Nam ut sunt antiqui Doctores, qui Patrum nomen in Ecclesiâ obtinuerunt, non primævâ solum antiquitate, sed eximiæ sapientiæ, & sanctitatis famâ conspicui, iidemque diuturnâ totius Ecclesiæ reverentiâ consecrati ; ità sunt Doctores novi, aut minùs antiqui, nondùm Patres nuncupati ; seu quia canitiem nondùm habent satis venerandam ; seu quia nondùm eam sapientiæ, & sanctitatis famam attigerunt, quam sacra ista & docta paternitas requirit : quarè si primos in ordine Patrum,

Ratio differentiæ.

Distribuuntur in duos ordines.

Primus est ordo Patrum.

Secundus. Ordo Filiorum.

poſtremos in ordine Filiorum non incongruè collocabimus. Quibus poſitis Doctorum Eccleſiæ, ſeu *Patrum*, ſeu *Filiorum*, humana authoritas qualem, in Theologiâ, uſum habere debeat, pro Organi noſtri complemento præſcribamus.

Theſis 1ª. Authoritas humana Patrum magni, & frequentis uſûs eſt, in Theologiâ. Valet enim ad revelationem divinam, ſeu ſcriptam, ſeu traditam; probandam; explicandam, defendendam, illuſtrandam, & magnificè, ut decet, ornandam. In quo uſu, ut diſtinctiùs appareat quanti, & quàm multi ſint uſus.

Authoritas humana Patrum magni, & frequentis uſûs eſt in Theologiâ.

Dico 1°. Authoritas humana Patrum valet, ad probandam exiſtentiam divinæ revelationis, in ſcripturâ contentæ. Ratio eſt, quia ut habeatur iſtius revelationis exiſtentia, debet haberi. 1°. Liber divinus, in quo ſcripta ſit. 2°. Textus divinus, quo contineatur. 3°. Senſus divinus, qui per textum exprimatur. Atqui ad hæc tria habenda valet humana Patrum authoritas. Nam, in diſcrimine librorum divinorum à non divinis, rectè creditur Patribus: quia rectè præſumuntur Patres notitiam Librorum Divinorum ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis accepiſſe, eamque ad poſteros ſincerè tranſmiſiſſe. Rectè item creditur Patribus pro authenticitate textûs ſcripturæ, iique textus, qui citantur à Patribus, ut divini, meritò præſumuntur eſſe Divini; quia Patres, ut toti erant in libris divinis evolvendis, rationabiliter creduntur textus eorum divinos, & annotaſſe diligenter, & fideliter citaſſe. Rectè demùm creditur Patribus, pro ſenſu

Valet enim. Primo. Ad probandam exiſtentiã divinæ revelationis in ſcripturâ contentæ.

ſcripturæ intelligendo : quia rectè præſumuntur Patres attigiſſe verum ſcripturæ ſenſum, tum propter eam, quâ pollebant, ſapientiam, tum propter recentiorem memoriam Apoſtolicæ interpretationis. Quòd ſi verum ſenſum attigerunt, profectò præſumendi non ſunt eum nobis invidiſſe, ſed ſine invidiâ, & fideliter communicaſſe. Ergò, quod dicebam, valet humana Patrum authoritas, ad probandam exiſtentiam divinæ revelationis in ſcripturâ contentæ. Confirmari poteſt ex uſu Eccleſiæ, in Conciliis generalibus adhibere ſolitæ authoritatem Patrum, tum pro librorum divinorum Canone ; tum pro authenticitate ſacri textûs, tum denique pro verâ ſcripturæ interpretatione.

Secundò Ad probandam traditionem divinam.

Dico 2°. Authoritas humana Patrum valet, ad probandam Traditionem divinam. Ratio eſt, quia Patres rectè adhibentur, ut teſtes idonei Traditionis divinæ : illorum quippè teſtimonio magnam probabilitatem facit, quòd cùm non longè à Traditionis fonte diſtarent, facilè fuit, ad ipſos Traditionem puram & incorruptam venire. Si autem venit, credibile eſt à viris Sanctis, & eruditis fuiſſe fideliter exceptam, cuſtoditamque ; ac deindè ſucceſſoribus ſanctè depoſitam. Ergò *cuicumque ſana, & integra mens eſt*, inquit Cyrillus Alexandrinus, *Hoc ſit ſtudium, ut Patrum opiniones ſequatur ; quia ipſi Apoſtolicâ, & Evangelicâ Traditione cùm mentem impleſſent ſuam, ac Fidei Doctrinam rectè, citra labem & errorem, tractaſſent, luminaria in mundo fuerunt, verbum vitæ continentes.*

In defenſ. Anathemat. 8. adverſus Orient.

Dico 3°. Authoritas Patrum humana valet, ad revelationem divinam, seu scriptam, seu traditam, ubi opus est, explicandam. Siquidem scriptura interdùm obscura, & confusa est, ut patet, cùm de textu non dubitatur quidem, quin divinus sit; dubitatur tamen, quem sensum habeat à Deo intentum; seu quia æquivocis, & ambiguis verbis expressus multiplicem sensum facit; seu quia figuratus, & Ænigmaticus est. Tum verò ad tollendam hujusmodi ambiguitatem, & obscuritatem scripturæ, rectè adhibentur Patres, non eo solum nomine, quòd sagacissimi fuerunt, & in scripturâ versatissimi; sed præsertim, quòd Apostolicis temporibus, quàm nos, propiores, scripturæ explicationem Apostolicam, seu de Apostolis venientem, nosse meliùs, quàm nos, potuerunt. Quare sapienter decernit Tridentina Synodus, *Ne quis, contra unanimem sensum Patrum, scripturam interpretari audeat.* Interdùm quoque divina Traditio, seu tradentium, seu excipientium negligentiâ, obscuratur; adeo ut in paucorum fidelium memoriâ conservetur, in easque redigatur angustias, ut penè non appareat. Tunc autem recurrendum est ad ætatem Patrum, qui si testentur, Traditionem suâ ætate generatim pro divinâ habitam esse, haberi debet pro divinâ, & fidelibus in memoriam revocari, quò pristinam alvei amplitudinem recipiat, & ita explicata, id quod est, clarè appareat. Ratio istius usus est, quia ætate Patrum recentior erat Traditionum divinarum memoria, undè sequitur Traditiones divinas, ex Patrum ætate, & testimonio, sapienter æstimari.

Tertiò. Ad revelationem divinam seu scriptam seu traditam, ubi opus est, explicandam.

Sess. 4.

Quartò. Ad revelationem divinam defendendam.

Dico 4°. Authoritas humana Patrum valet in Theologiâ, ad revelationem divinam defendendam. Quia Patres valida ferè argumenta suggerunt, quibus hæretici, divinæ revelationis adversarii, impugnentur. Arma autem illa Patrum non rubiginem, aut hebetudinem ex vetustate contraxisse putanda sunt, sed potiùs ex longo usu tractandi, & dexteritate tractantium, vim magnam, novumque splendorem accepisse. Nec minùs solidè respondent Patres, quàm argumentantur. Illorum autem responsio debet esse Theologo Christano, scuti instar inexpugnabilis, *in quo* facilè poterit *tela ignea nequissimi* erroris *extinguere.* Et verò quis non videat, fidei causam digniùs & potentiùs tractari armis Patrum, seu offensivis, seu defensivis, toties victricibus, semper invictis, quàm novellis quibusdam rationibus, quibus ipsa novitas, si non aliquid soliditatis, plurimùm certè authoritatis detrahit. Sequatur ergo Theologus regulam auream victoris Carthaginensis, in Concilio Romano à Martino I. laudatam: *Nihil noviter dicat, nihil, quod non à Sanctis Patribus fuerit expressè traditum, aut indicatum.*

Ad Ephes. 6.

Quintò. Ad revelationem divinam ornandam.

Dico 5°. Authoritas humana Patrum valet, ad revelationem divinam magnificè, ut decet, illustrandam, ornandamque: siquidem revelatio divina illustrari, & ornari potest, partim similitudinibus, quibus sensibilis fiat; partim rationibus humanis, veluti pedissequis, & ancillis; partim exquisito gravium sententiarum, & elegantium verborum apparatu. Quæ omnia cùm apud Patres abundent, de Patrum

ſcriptis in Theologiam tranſlata, ibique diſpenſata ſapienter, incredibile eſt, quantam ei gravitatem, majeſtatem, & amœnitatem concilient. Ex quo id etiam conſequetur Theologus Chriſtianus, ut privatum ſuum ſenſum, & linguam ſuam veluti dediſcens, Patrum more, & quaſi unus de Patribus ſentire, ac loqui aſſueſcat.

Authoritas Patrum, quæ valere dicitur ad uſus iſtos, eſt authoritas humana,

Objicies. Authoritas Patrum, quæ valere dicitur, ad probandam revelationis divinæ exiſtentiam, vel eſt authoritas omnium ſimul, vel authoritas ſingulorum ſeorſum; non omnium ſimul, alioquin jam accipitur authoritas divina Patrum, quæ competit omnibus ſimul ſumptis, cùm tamen accipi ſola humana ſimuletur. Sed neque ſingulorum ſeorſum: ſinguli enim & falli poſſunt, & fallere. Reſpondeo. Ad probandam revelationis divinæ exiſtentiam valere dicitur authoritas humana Patrum, eaque ſive omnium ſimul, ſive ſingulorum ſeorſum. Nam omnes quidem ſi de exiſtentiâ divinæ revelationis conſentiant, habet conſenſus illorum infallibilitatem quamdam moralem, eamque intrinſecam, & humanam, quatenùs independenter à Chriſti promiſſione, & approbatione Eccleſiæ, ſpectatâ Patrum naturâ, impoſſibile eſt moraliter, in re tanti momenti, tantos viros decipi omnes ſimul, aut decipere. Hanc verò authoritatem humanam dicimus valere poſſe, ad ſufficientem revelationis credibilitatem; idque independenter ab authoritate Eccleſiæ approbantis conſenſum Patrum, aut promiſſione Chriſti infallibilitatem divinam ei tribuentis. Nam eo ipſo

Sive omnium quia conſenſus omnium moraliter infallibilis eſt.

Et Revelationis divinæ sufficientem credibilem facit.

quod Patres conveniunt de divinitate alicujus doctrinæ, dubitari non potest prudenter, quin divina sit, ac proindè potest voluntas imperare assensum prudentem, quo divina credatur. Ponamus ergo, in eâ scripturâ, quæ divina creditur propter consensum Patrum, contineri infallibilitatem Ecclesiæ: Ecclesia verò, quæ infallibilis creditur, propter revelationem aliquam, in scripturâ contentam, approbet consensum Patrum, ut regulam deinceps sequendam; jam propter infallibilitatem Ecclesiæ credetur autoritas Patrum, non humana illa, quæ præluxit, ut infallibilitas Ecclesiæ crederetur; sed divina, quæ Patribus venit ex approbatione Ecclesiæ. Ergo autoritas divina Patrum præsupponit humanam. Unde apparet, quanti sit usus autoritas Patrum humana; cùm possit esse fundamentum sufficiens, saltem extrinsecum, credendi divinitatem Scripturæ; & reddere credibilem revelationem divinam de infallibilitate Ecclesiæ, per quam revelationem cæterarum omnium existentia firmatur. Valet item, sed longè minùs valet autoritas humana Patrum singulorum seorsum: nec quidquam obstat, quod testimonium singulorum seorsum errori obnoxium sit. Nam in judicio humano testes, qui falli possunt, & fallere, ad ferendum testimonium admittuntur, suoque testimonio fidem aliquam faciunt. Quantò ergo magis admittendi sunt Patres, testes utique omni exceptione majores. Esto, quod humanum est, errare illis interdùm contingat, & nobis post illos. Nihil hinc sequitur, nisi quod ultrò fatemur,

Sive singulorum: quia Patres suo testimonio probabilitatem aliquam revelationis facere possunt, etiam singuli.

ſingulos ſeorſum non facere, teſtimonio ſuo, certitudinem exiſtentiæ revelationis, ut faciunt omnes ſimul; ſed aliquam dumtaxat probabilitatem, majorem, vel minorem, pro majore, vel minore numero, aut pondere ſuffragantium. Atque hoc eſt, quod vult ſanctus Thomas, cùm docet, ſacram doctrinam uti autoritatibus aliorum Doctorum Eccleſiæ, *arguendo ex propriis, ſed probabiliter.* Doctores enim Eccleſiæ non accipit ſimul, & conjunctim, ſed ſeorſum, & diviſim. Quia ſi conjunctim, & ſimul accipiantur, pluſquàm probabiliter ex illorum teſtimonio arguitur. *1. p. q. 1. art. 8. ad 2.*

Inſtabis 1°. Si autoritas humana Patrum valet, ad probandam exiſtentiam divinæ revelationis, fundabitur fides in autoritate humanâ. Fides autem in humanâ autoritate non magis fundari poteſt, quam in ratione humanâ. Reſpondeo. Nego ſequelam. Motivum enim credendi objectum à Deo revelatum, eſt ſolâ Dei revelantis autoritas. Quare fides in ſola Dei autoritate fundatur, non in autoritate humanâ, quæcumque illa ſit. Movemur quidem autoritate Patrum, ut aſſentiamur exiſtentiæ revelationis, quam Patres teſtantur exiſtere: ſed non movemur autoritate Patrum, ut credamus, verum eſſe myſterium, quod Deus revelavit; credimus enim illud, non quia Patres dixerunt, ſed quia Deus dixit. Eſto aſſenſus exhibitus exiſtentiæ revelationis fundetur aliquo modo in Patrum autoritate tanquam in motivo aſſentiendi, vel intrinſeco in quod feratur aſſenſus, vel extrinſeco quod voluntatem impellat, mediante propoſitione honeſtatis aſſentiendi ex

Neque tamen fundatur fides in autoritate humanâ Patrum, ſive omnium ſive ſingulorum; quia Patrum autoritate non movemur ut credamus objectum à Deo revelatum, ſed ut aſſentiamur exiſtentiæ revelationis divinæ.

illo apparentis : alterutro enim modo res fieri potest, & utrovis fieri dicatur parùm interest, ut demonstrabimus suo loco, quando fidem divinam in sua principia resolvemus. Hoc solùm nego, assensum fidei quo creditur objectum à Deo revelatum, in Patrum, sive omnium, sive singulorum autoritate fundari; ita enim creditur propter solam Dei revelantis autoritatem, ut stante & sufficienter propositâ Dei revelatione, tacentibus quamvis Patribus, aut etiam veritati revelatæ, si fieri potest, contradicentibus, nihilominùs crederetur. Fides ergo, nec in humanâ authoritate, nec in ratione humanâ fundatur; sed est hoc inter utramque discrimen, quod existentia divinæ revelationis autoritate humanâ meliùs haberi possit, quàm ratione humanâ: quia scilicet revelatio divina est aliquid contingens & Deo liberum, cujus existentia ex naturæ principiis argui non potest, saltem immediatè; potest tamen humano testimonio notificari.

Neque item autoritati Patrum humanæ tantùm tribuimus quantum divinæ autoritati Conciliorum generalium.

Instabis 2°. Ergo saltem tantùm tribuimus in Theologiâ, autoritati Patrum, quantùm autoritati Conciliorum Generalium; neque enim in autoritate Conciliorum volumus fundari fidem, quæ, ut jam diximus, in solâ Dei autoritate fundatur. Ergo autoritati Conciliorum nihil aliud tribuimus, nisi quod valere possit ad probandam revelationis divinæ existentiam; atqui hoc totum tribuimus autoritati Patrum. Respondeo. In Conciliis generalibus considerari potest duplex autoritas, humana scilicet quam habent, ut cœtus humani virorum sapientum, & divina quam habent ex assistentiâ

Nam autoritas Cōciliorum

infallibili Spiritus Sancti directoris. Autoritas ergo humana Patrum, de quâ sermo est, vel comparatur cum autoritate humanâ Conciliorum, vel cum autoritate divinâ; si cum autoritate humanâ, videtur non præcisè tantum, sed plus aliquid tribuendum esse autoritati Patrum; longè enim difficilius apparet in errorem convenire omnes diversarum ætatum Patres, quàm unius ætatis Pastores congregatos. Sed si cum autoritate divinâ Conciliorum comparetur autoritas humana Patrum, longè plus tribuimus autoritati Conciliorum quàm autoritati Patrum, quia autoritas divina humanæ præponderat. Neque tamen volumus, fundari fidem in autoritate Conciliorum etiam divinâ: quia fides propriè fundatur in solâ autoritate Dei loquentis. Deus autem non loquitur propriè per Concilia generalia; sed iis præcisè assistit, ne errent in suis definitionibus. Quare autoritas Conciliorum generalium non est eodem titulo divina, quo divina est autoritas scriptorum Canonicorum; hæc enim est autoritas Dei propriè loquentis; illa, autoritas Dei præcisè assistentis, ad errorem Ecclesiæ suæ impediendum. Addo autoritati divinæ Conciliorum non modò cedere autoritatem Patrum humanam; sed etiam divinam, quæcumque illa sit. Nam divina illa autoritas Patrum, vel petitur ex promissione Christi speciali, vel ex Ecclesiæ approbatione. Si primum, cùm de illâ Christi promissione non certò constet, certam autoritatem facere non potest, uti certa est Conciliorum autoritas. Si secundum, jam autoritas divina Patrum de autoritate Ecclesiæ

generalium alia divina est alia humana.

Humana cedit aliquo modo autoritati Patrum etiam humanæ.

Divina præponderat non modo humanæ Patrum autoritati, sed etiam divinæ.

Undecumque veniat.

descendit ; eique, ut rivulus fonti, tributaria, & vectigalis est. Sed neque satis certum est, ex approbatione Ecclesiæ consensui Patrum unanimi infallibilitatem aliquam accessisse. Quia fortè non definivit Ecclesia, ab unanimi sensu Patrum semper abesse errorem ; sed sapienter dumtaxat præcepit fidelibus, ut sensum Patrum unanimem sequerentur, tamquam regulam magis tutam, & errori minùs obnoxiam.

Multiplex abusus autoritatis Patrum in Theologiâ seu per defectum seu per excessum.

Thesis 2ª. Multiplex fieri potest, in Theologiâ, autoritatis Patrum abusus. Siquidem in usu autoritatis Patrum peccari potest, seu per defectum, seu per excessum. Percurramus obiter præcipuos in utroque genere abusus, ne fortè in Theologiâ nostrâ locum habeant. Et per defectum quidem, abusus, qui committuntur, hi ferè sunt.

Abusus per defectum

Primus. Inverecundus quidam Patrum cõtemptus.

Primus. Est inverecundus quidam Patrum contemptus : quem abusum facere solent hæretici, in notandis Patrum erroribus impudentes, & autoritati Patrum nihil omninò, aut certè parùm tribuentes ; eo vano prætextu, quòd singulis Patrum errare in aliquo contigerit. Quasi verò fidem nemo mereatur, nisi sit idem infallibilis, & ad fidem faciendam nihil sit plerumque tenere veritatem, si vel semel in uno aliquo deseratur. Absit ergo à Theologo superbia Pelagii, ad autoritatem Augustini, ut ferunt, sic contemptim respondentis, *Ecquis est mihi Augustinus ?* Absit & impudentia Juliani, qui tantum virum appellare solebat *Pœnum scriptorem*, aut *Numidam perfrictæ frontis* ; Alippiumque, Augustini amicum, dicebat, esse *vernulam peccatorum ejus.*

Paul. Oros. Apol. de arbitrio Libert.

Secundus. Eſt ignava quædam proditio autoritatis Patrum : quem abuſum faciunt etiam Catholici, permittentes fieri impunè Patribus calumnias, & non vendicantes, uti deberent, & facilè poſſent. Nam ſi Theologus Chriſtianus ad cauſas calumniarum, quæ Patribus fiunt, diligenter attenderit, comperiet ferè, non erraſſe in eo Patres, in quo erraſſe diffamantur. Attendat igitur 1°. ad vehementem ardorem Patrum, in hæreticorum ſententiis perſequendis : quo ardore nonnumquam ita abripiebantur, ut viderentur aliquibus modum, & fines veritatis excedere ; plus dicentes, & minus volentes intelligi ; ab uno extremo declinantes in alterum, ut ad medium pervenirent : quod de magno Auguſtino ſapienter notavit ſanctus Bonaventura. Neque hic agendi modus reprehenſionem ullam habet in Patribus. Potuerunt enim, in certis quibuſdam circumſtantiis, adhibere ſignificantiora verba, quæ per ipſas circumſtantias, ad verum legitimumque ſenſum ſatis reſtringerentur. Attendat. 2°. Theologus ad commune quoddam hæreticorum odium in ſanctos Patres, utpote defenſores veræ fidei, & hæreſum profligatores ; in quo odio cauſam inveniet, cur mali homines, errores Patribus, nullo merito ſuo, imponere ſolerent. Eò nimirùm ſpectabant conſilia malignantium, non modò ut vindictæ cupiditatem explerent ; ſed etiam ut pondus illius autoritatis, quo obruebantur, aliquo modo elevarent, aut minuerent. Attendat 3°. ad dolum malum eorumdem hæreticorum qui ad conciliandam ſibi, apud ignarum vul-

Secundus. Ignava quædam proditio autoritatis Patrum quibus permittantur fieri calumniæ.

Cauſæ calumniarum multæ ſunt, zelus, & ardor Patrum in hæreticis perſequendis.

In 2. Sent. diſt. 33. q. 2. art. 3.

Odium hæreticorum in ſanctos Patres.

Dolus malus eorundem hære-

ticorum Patribus errores suos imponentium. gus, aliquam autoritatem, hæreses suas magnis viris affingunt; & ne ipsi videantur hæretici, ipsos sanctos Patres hæreticos faciunt. Atque hæc est vera causa, cur magni Augustini nomen, & patrocinium tanto ambitu quæsierint omnium ferè ætatum hæretici. Attendat denique ad studium quoddam partium, & qui in viros etiam sanctos quandoque irrepit, amor nimius sententiæ suæ, cum odio, & contemptu alienæ; hinc enim factum reperiet, ut Patres ipsi, inter se disputantes interdùm se mutuò erroris accusarent. Quemadmodum hodieque fit, ut unius sectæ Catholici, prohibentibus licet summis Pontificibus, abstinere non possint à Censurâ alterius, & Censuram faciendo, Censuram incurrant.

Studium partium etiam inter Catholicos.

Tertius. Discessus à Patribus rotundior, & sine reverentiâ.

Epist. 111.

Tertius. Est discessus à Patribus rotundior, & sine reverentiâ. Nam licet quidem ab iis discedere, si quando errarunt manifestè: nemo quippè, in errore, præsertim manifesto, sequendus. Sed iste discessus modestè fieri debet, & *salvâ*, ut loquitur Augustinus, *honorificentiâ, quæ debetur illis hominibus.* Quo modo Cyprianum, in hæreticis rebaptisandis errantem, idem Augustinus, nonnisi timidè, & verecundè deseruit, *reddens*, ut ait ipse, *debitam reverentiam, dignumque honorem persolvens pacifico Episcopo, & glorioso martyri Cypriano.*

Lib. 6. *de Bapt. contra Don. c.* 2.

Quartus. Negligentia benignæ Patrum interpretationis.

Lib. 9. *c.* 5.

Quartus. Negligentia quædam benignæ interpretationis Patrum, si quando adhiberi potest. Nam quæ apud Patres dubia occurrunt, ex iis, quæ certa sunt, benignè, & in bonam partem sunt interpretanda. Quia *quemadmodum*, inquit Facundus Hermianensis, *calumniantium*

hæreticorum est, ex dubiis, & obscuris, quæ certa & manifesta sunt malè interpretari. Ita solitum est prudentiæ, & pietatis Catholicæ, ex indubitatis, atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Si verò dictum aliquod Patrum bonam interpretationem non patitur, excusari debet catholicæ mentis intentio. Et sapienter monet idem Facundus, non tam secundùm verborum sonos, quam secundùm mentis intentionem judicanda esse dicta majorum. *Lib.* II. *c.* 6.

Quintus. Præteritio autoritatis, & testimonii Patrum. Hic autem abusus in eo est, quòd qui nec positivè contemnuntur, nec indignè produntur hæreticis, nec deseruntur irreverenter, nec durè nimis explicantur, prætereantur tamen omninò, quasi eorum testimonia pro nihilo haberentur. Quo in genere mirum est, magnos alioquin viros tam insigniter peccare, ut ingentia volumina scribant, Patribus vix unquam, aut raró laudatis. Silent coram illis Patres, cùm ipsos magis silere coram Patribus deceret.

Quintus. Præteritio autoritatis & testimonii Patrum.

Sextus. Non satis exquisitus delectus eorum, quæ ex Patribus depromuntur, sive ad causæ firmamentum, sive ad ornatum. Nam Patres, ut homines erant similes nobis, iis, quod humanum est, leviora quædam interdùm exciderunt, quæ dissimulari magis, quàm laudari oportet; ne Patres deteriore sui parte monstrentur, quod & in magnorum virorum contemptum aliquem cederet, & fidei causæ noceret. Atqui tamen videre est etiam Theologos nullius, aut pessimi gustus; fastidientes

Sextus. Non satis exquisitus delectus eorum quæ ex Patribus depromuntur.

quæ ſunt in Patribus optima, & minutiora captantes.

Septimus. Alteratio & depravatio textûs Patrum.

Septimus. Alteratio, & depravatio textûs Patrum, ſive res additione fiat, ſive detractione, ſive violentâ avulſione textus de loco ſuo, unde avulſus naturalem ſenſum amittit. Et verò ſi ſcriptura depravatur, & adulteratur verbum Dei, quid mirum eſt, depravari ſcripta Patrum, & ipſorum teſtimonium adulterari? de ſingulis certè Patribus dici poteſt, quod de Auguſtino dicit Facundus: *Neque enim meliùs potuit loqui Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Apoſtoli, quàm Evangeliſtæ, quorum verbis ſimiliter malè intellectis, tam multi hæretici ſuos defendere conantur errores.* Nec ſolis Hæreticis contingit alteratio iſta Patrum; contingit & & Catholicis, ſeu nimio ſtudio partium Patres, etiam reclamantes, in ſuam ſententiam detorquere velint; ſeu, malâ fide, ſupponant Patribus textum, ſenſumve, quem ſatis ſciunt, non eſſe Patrum; ſeu, negligentiâ lectionis, germanum Patrum ſenſum non intelligant, intellecturi, ſi textum legerent, & examinarent. Obſervet ergo Theologus Chriſtianus, ne quid de Patribus afferat, quod ipſe propriis oculis non viderit, & examinarit, cum Antecedentibus, & Conſequentibus diligenter comparans. Turpe enim, & probroſum eſt, ipſius veritatis teſtes, cujuſmodi ſunt Patres, vocare in teſtimonium falſitatis, & cauſam alioquin bonam, infideli teſtimonio, firmare.

Lib. contra Marcian.

Octavus. Citatio Patrum non ſatis exacta.

Octavus. Citatio Patrum non ſatis exacta; quando textus Patrum non ſatis diligenter notatur, unde exceptus ſit; quod infidelitatis, aut

aut negligentiæ ſuſpicionem aliquam facere poſſit, Theologo timendam. Ubi tamen diſtingui velim duplex citationum genus. Aliqua enim citantur ad firmamentum cauſæ, alia ad ſolum ornatum. Quæ ad firmamentum cauſæ valent, exactiſſimè citare oportet, & notare, ad ſcrupulum uſquè, undè exprompta ſint; niſi fortè ſint adeò communia, ut à nemine ignorentur. Quæ verò ad ſolum ornatum faciunt, notari quidem poteſt, & plerumque debet ubi jaceant, ſed non adeo ſcrupuloſè: imò interdum locus, in quo jacent, laudabiliter, meo quidem judicio, prætermittitur, & nobis placet magis libera quædam, & ingenua negligentia, quàm diligentia ſervilis, & nimis affectata.

Per exceſſum verò, circa autoritatem Patrum, peccari ſolet. Per exceſſum verò peccatur.

1°. Exaggeratione autoritatis; quando ſcilicet plùs Patribus tribuitur, quàm tribuendum ſit: ut ſi quis tantùm iis tribuat, quantùm autoribus Canonicis, aut Conciliis Eccleſiæ Generalibus, hæreticorum more, contra ipſas Eccleſiæ definitiones, pro uno, ut ſibi videntur Auguſtino, obſtinatè pugnantium. Quem abuſum Auguſtinus ipſe reprehendit, Epiſtolâ 111. *Neque enim, quorumlibet diſputationes, velut ſcripturas Canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel à nobis intellecta, vel à vobis. Talis ego ſum, in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intel-* 1°. Exaggeratione autoritatis Patrum.

lectores meorum. Et libro 11°. contra Faustum, Capite 5°. Doctores quoscumque non modò desceri vult, sicubi erraverint; sed nullibi autoribus Canonicis coæquari. Nam, inquit, *etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar autoritas.*

2°. Citatione Patrum supervacaneâ & intempestivâ.

2°. Citatione Patrum supervacaneâ, & intempestivâ; interdùm enim citantur Patres, ubi testimonio Patrum nihil opus est; interdùm citantur & plures, & pluries, quàm oporteret. Ex quo fit, ut nonnullorum Theologia nihil aliud videatur esse, quàm inutilium testimoniorum inepta, & indigesta congeries, ad ostentandam magis eruditionem autoris luxuriantem, quàm ad revelationem divinam solidè probandam, aut defendendam. Qui abusus ne contingat, cavendum est Theologo, ut si scripturæ sensus manifestus est, & extra omnem controversiam, à Patribus citandis omninò abstineat, nisi fortè ad illustrandam, ornandamque scripturam. Quando verò scripturæ sensus obscurus est, aut controversus, adhiberi quidem possunt, ac debent testimonia Patrum; sed ea profectò, nec omnia, quæ occurrunt, nec omnium, nec sine modo. Nam ubi semel testis idoneus clarum, & expressum testimonium tulit, supervacanea ferè est repetitio testimonii; & ex quo præcipua Patrum capita, seu Patres primarum ætatum insigniores veritati suffragati sunt, satis superfluum est, alios minores, & juniores advocare; quia præsumendi sunt à prioribus, & majoribus suis non dissentire. Deindè testimonia Patrum, quæ clara non sunt, & minimè dubia, præterire

debet Theologus ; nisi fortè aliundè lucem accipiant, & multiplicata robur habeant, quod singula non habent. Deniquè ne longiora sint testimonia, id tantùm de Patribus referre oportet, quod præcisè sufficit, ad sensum Patrum clarè intelligendum : alioquin testimonium, quod quæritur, in multiloquio evanescet. Ad Traditionem, fateor, probandam, quoniam eò præcipuè valet authoritas Patrum, pluribus ferè opus est Patrum testimoniis, ut antiquam inter & novam Ecclesiam appareat Doctrinæ uniformitas. Nihil tamen necesse putem, ire per ætates Ecclesiæ singulas : sed satis est quatuor, aut quinque primarum ætatum Patres laudare, eosque non omnes, & singulos ; sufficit enim seligere præcipuos, qui suæ ætatis Doctrinam, ac fidem singuli testificentur.

Tertiò. Servili mancipatione authoritati unius.

3°. Servili mancipatione authoritati unius, quando se uni alicui Theologus totum addicit, ab illius sensu nunquam discessurus : quæ mancipatio videtur esse professio erroris aliquandò sequendi, & est supra meritum authoritatis singulorum : quia singuli errare possunt, & ferè in aliquo errasse convincuntur. Habet, fateor, laudem aliquam suam ista devotio, in sodalitate numerosâ ; tum quia plerosque sodalium periculo errandi minùs exponit, quàm libertas opinandi, ut libet ; tum quia valet ad fratrum concordiam, quæ alitur uniformitate sensuum, difformitate periclitatur. Generatim tamen Doctorem Theologum magis decere videtur, in nullius magistri verba jurare ; & nobis magis placet, quæ Augu-

ſtino placuit, libertas honeſta improbandi, etiàm in Patribus, quod offenderit: honeſta, inquam, libertas, humilis modeſtiæ, & reverentiæ filialis legibus coërcita, ne in licentiam, aut irreverentiam degeneret.

Quartò. Oppoſitione Patrum.

4°. Oppoſitione Patrum, inter quos aliquandò, non minùs, quàm inter fratres, diſcordia ſeritur. *Abſit* autem, aiebat Tertullianus, *ut Apoſtolos committam.* Abſit pariter à viro Theologo, ut Patres inter ſe committat. Studendum ei potiùs eſt, ut conciliet, ſi quando diſcordare, in fide, videbuntur. Ita enim mediator erit aliquis inter Patres; quo nihil glorioſius: ſuâque illâ mediatione, & honori Patrum conſulet, vindicando utrumque ab errore, quorum alteruter, ſi diſcordes eſſe probentur, erraſſe convincitur; & fidei rem aget, cui concordes Patronos, & teſtes unanimes accerſet.

Quintò. Confuſione Patrum Democraticâ.

5°. Confuſione Democraticâ Patrum; ſi omnes coæquentur, nec plùs uni, quàm alteri tribuatur, in quibus tamen non eſt æqualis authoritas. Sunt enim alii aliis & antiquiores, & Doctrinâ, & Sanctitate eminentiores, & *probabiliores*, ut verbo utar Concilii quinti, & majorem Eccleſiæ approbationem habentes. Quis autem, ſi cætera ſint paria, non præponat junioribus antiquiores? Quis magnum Auguſtinum non habeat multorum inſtar? Quis Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium Magnum, & Leonem itèm Magnum, alioſque primæ notæ Patres, à vulgaribus, ut ita di-

cam, Patribus non distinguat? Theologus igitur Patrum suffragia non solum numerare debet, sed ponderare. Caveat tamen diligenter invidiosam Patrum comparationem, quam facere solet hæretici : displicet enim illa Sanctis viris, etiamnùm repetentibus præclarum illud Constantinopoli olim dictum, *unum in Deo sumus*, cùm Litteratorum alii Joannem Chrysostomum, alii Basilium, nonnulli Gregorium præponerent; à quo pugnandi studio Joannitæ, Basilitæ, & Gregoritæ dicebantur.

6°. Monarchicâ veluti prælatione unius supra cæteros. Nam intolerabile est venerabili Patrum consessui, tanquam turbæ populari, imponere Principem unum aliquem, cum contemptu cæterorum; quasi unus saperet, desiperent cæteri : seu pluries unum facere, quam cæteros omnes; quasi unum aliquem, & non omnes Ecclesia sequeretur; quæ tamen in Conciliis Generalibus, ad fidem suam commendandam, clamare solet, *hæc est fides Patrum.*

Sextò. Monarchicâ veluti prælatione unius suprà cæteros.

Thesis 3ª. Authoritas novorum Ecclesiæ Doctorum, qui nondùm Patres sunt, sed Patrum Filii, magni & ipsa usûs est in Theologiâ, longè tamen minoris, quàm authoritas Patrum. Probatur. Quia novi isti Doctores, quos Ecclesiæ gratulari possumus, his Psalmistæ verbis, *pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii*, propter insignem sapientiam, & profundam cognitionem rerum divinarum, seu ingenio, & exercitatione acquisitam, seu divinitùs infusam, & inspiratam, magni ponderis esse debent, in quacumque scientiæ Religio-

Authoritas novorum Doctorum, magni & ipsa usûs est in Theologiâ.

Psal. 44.

nis parte versati fuerint. Quare & istorum authoritas, in eosdem ferè usus adhibenda est, in quos authoritas Patrum; quia & isti idonei sunt, ad revelationem divinam probandam, explicandam, defendendam, ornandam. Sicut enim Patres sapienter præsumuntur, Doctrinam Divinam, de Apostolis, aut viris Apostolicis, veluti de fonte, puram hausisse; ita præsumuntur novi Doctores, & Patrum Filii non degeneres, hausisse veram Doctrinam Patrum; in quibus consulendis, & audiendis, toti fuerunt, fideliter sequentes illud Mosis præceptum, *Interroga Patres tuos, & dicent tibi, majores tuos, & annuntiabunt tibi.* Longè tamen minoris est usûs authoritas Filiorum, quàm Patrum: quia Filiorum authoritati nec longissimi præscriptio temporis, nec totius orbis reverentia, nec tam splendida Ecclesiæ approbatio, nec tantorum meritorum rationabilis præsumptio favet. Sed quos tandem in fines utilis illa sit, paucis expediamus.

Deut. 32.

Longè tamen minoris quàm authoritas Patrum.

Utilis est.

Primò. Ad habendam interdùm certitudinem moralem seu scripturæ, seu traditionis.

Utilis est ergò 1°. Ad habendam interdùm certitudinem moralem seu Scripturæ, seu Traditionis: quia ubi omnes unius ætatis Doctores conveniunt, de Dogmate aliquo, seu scripto, seu tradito, eorum sensus moralem aliquam infallibilitatem habet. Fieri enim non potest moraliter, ut in errorem tanti momenti omnes consentiant. Quare unanimis ille Doctorum sensus Theologo explorandus est; & in confirmationem sententiæ Catholicæ adducendus.

Secundò. Ad facien-

2°. Utilis est aliquandò, ad faciendam pro-

babilitatem majorem divinæ revelationis : quando ſcilicet non omnes Doctores de revelatione conſentiunt ; ſed major & ſanior eorum pars. Hinc enim grave exiſtit fundamentum pro revelatione Divinâ aſſerendâ, & fundamentum ejuſmodi, quod ſæpiùs cum veritate, quàm cum falſitate conjunctum reperitur : nam in ſententiâ communiore frequentiùs veritas eſt. Theologus ergò explorare debet communiorem ſenſum Doctorum, eumque citare, & ſequi, Doctoris Angelici exemplo ; quem ſingularis licèt & excellentis meriti, ferunt tamen, *Doctorem communem* fuiſſe appellatum, propterea quòd communiores ſententias minùs communibus præferre ſoleret. dam aliquando majorem probabilitatem divinæ revelationis.

3°. Utilis interdùm eſt, ad aliquam probabilitatem, ſi non majorem, ſaltem minorem aut æqualem habendam. Nam ſi plerique Doctores, quamvis nec omnes, nec major pars, alicui ſententiæ ſuffragentur, licebit Theologò, à ſententia etiam communiore diſcedere ; præſertim ſi nova, & gravis aliqua ratio acceſſerit. Sed diſceſſum iſtum ſuum excuſare debet, authoritate Doctorum ſententiæ ſuæ ſuffragantium ; eoſque citare, præſertim ſi quos habeat primæ notæ, & de numero illorum, quorum unus eſſe poſſit pro multis. Tertiò. Ad aliquam interdum probabilitatem, ſi non majorem, ſaltem minorem aut æqualem habendam.

4°. Utilis eſt nonnunquam, ad multam lucem myſteriis fidei afferendam. Nam cùm Patres, in ſubſtantiâ Dogmatum Catholicorum ſtabiliendâ occuparentur, de modo explicandi parsùm ſolliciti fuerunt, eam Provinciam venturi Doctoribus relinquentes ; qui- Quartò. Ad lucem fidei myſteriis afferendam.

bus multùm debet Christiana Respublica, eo præsertim nomine, quòd pro mitigandâ difficultate Dogmatum nostrorum, multos, & probabiles modos subtiliter æquè ac sapienter excogitarunt. In his autem modis examinandis, ac recensendis, pigere non debet immorari Theologum; res enim est, ad Religionis dignitatem, & præsidium faciens.

Quintò. Ad Ecclesiæ definitiones rectè intelligendas.

5°. Utilis est, ad Ecclesiæ definitiones rectè intelligendas. Nimirùm Conciliorum Canones, & responsa Pontificum aliquandò obscuritatem habent, pro quâ tollendâ consuli non possunt iidem Patres, qui Canones scripserunt. Superest ergò, ut eorum successores, & filii non degeneres consulantur.

Sextò. Ad Patrum testimonia explicanda.

6°. Utilis est, ad Patrum testimonia explicanda. Nam in Patrum dictis, ut in scripturâ, aliquandò obscuritas est. Quemadmodum autem Patres idonei sunt scripturæ interpretes; quia beati illi viri meditantes in lege Domini, die ac nocte, prudenter præsumuntur, verum illius sensum fuisse assecuti; ita novi Doctores idonei sunt Patrum interpretes: quia Patribus familiares, linguam, & mentem Patrum rectè creduntur intellexisse. Magni verò momenti est, non errare, in sensu Patrum intelligendo; ne, quod ferè consequens est, in sensu scripturæ erretur.

Septimo. Ad præstò habenda Catholicorum Dog-

7°. Utilis est, ad præstò habenda Catholicorum Dogmatum firmamenta omnia, sive de scripturæ textu, sive de Canonibus Conciliorum, aut definitionibus Pontificum, sive de Patrum testimoniis ea petenda sint. Novi enim

Doctores, magno studio, hæc omnia antè dispersa collegerunt, coacervarunt, & publici juris esse voluerunt. Poterit ergò Theologus novi ædificii Theologici materiam ferè omnem indè ducere; dummodo gustum habeat exquisitum, & sapientem rerum delectum: nec Cœmentarius tantùm sit, sed Architectus; quod certè paucorum est.

matum firmamenta omnia.

Thesis 4ª. In usu authoritatis novorum Doctorum, triplici ferè modo peccari potest, silentio, refutatione, laudatione.

In usu authoritatis novorum Doctorum peccari potest.

Et silentio quidèm peccatur. 1°. Si magnorum virorum nulla mentio fiat, ubi facienda est. Nam *cui honorem, honorem, cui tributum, tributum*. Curet ergo Theologus, ut unicuique, in tempore, & loco, tributum laudis, sine fraude, persolvat. 2°. Si acceptione quadam personarum unius ferè sectæ authores commendentur, præteritis aliis, nihil minùs merentibus. Sequatur igitur Theologus veritatem, & virtutem honoret, etiam in alienis, aut potiùs Catholicos omnes habeat pro suis; *& de omni gente, quæ timet Deum*, quicumque est, acceptus sit illi. 3°. Si aliena inventa, quæ nova, & extraordinaria sunt, quasi sua essent, Theologus usurpet, sine nomine, & laude authorum, à quibus accepit. In hoc enim vanitas, & plagium est. Dixi aliena inventa, quæ scilicet ita aliena sunt, ut non sint sua. Nam quæ Theologus ipse invenit, inconsultis aliis, non est cur aliis accepta referat, sed pro suis dare potest, quæ verè sua sunt.

Silentio.

Refutatione.

Refutatione verò peccatur, 1°. Si infidelis ſit, qualis eſt, cum imponuntur authoribus ſententiæ, quæ non ſunt ipſorum, & monſtra debellanda finguntur, ſeu malevolâ invidentiâ, ſeu inconſideratione præcipiti. 2°. Si nimia ſit, ut eſſe ſolet, quando Theologo magis cordi eſt, aliorum placita evertere, quàm veritatem Catholicam aſtruere: quo nihil poteſt eſſe inordinatius. 3°. Si vana ſit, & puerilis, ad minutias uſque deſcendens, & extra terminos Theologiæ progrediens. Nam adverſarium extra-vagantem ſequi, penè extra-vagari eſt, 4°. Si acrior ſit, cum contemptu authoris, & Cenſurâ ſententiæ. Nam refutatio, quæ per ſe ſatis odioſa eſt, præcipuâ quâdam modeſtiæ, & reverentiæ ſignificatione, temperari debet.

Laudatione.

Laudatione denique peccatur, 1°. Si adulatoria ſit: authores enim citare oportet, non tam ad ipſorum commendationem, quàm ad confirmationem veritatis, cui ſuffragantur. Utinam ſequeretur Theologus exemplum Sancti Thomæ, & Sancti Bonaventuræ; qui cùm magni ſe invicem facerent, neuter tamen citaſſe alterum reperitur, nec Seraphicus Doctor Angelicum, nec Angelicus Seraphicum. Ambo modeſti erant, adulatores non erant. 2°. Si crebrior ſit. Quis enim ferat, quod ferè uſuvenit, pro venerandis Patrum nominibus, novorum Doctorum magna quidem, ſed nova nomina in Theologiâ paſſim audiri, & ad ſingulas concluſiones longâ ſerie diſponi? Citentur generatim, & ſub terminis univerſalibus,

Ita omnes ferè Theologi : quia consensus omnium infallibilitatem quamdam habet. *Ita major, & sanior Theologorum pars.* Quia sensus majoris, & sanioris partis majorem probabilitatem facit. *Ita multi graves Theologi :* Quia multorum gravium Theologorum sensus magnum pondus habet. Citentur Scholæ integræ. *Ita Thomistæ , ita Scotistæ :* Quia Scholæ ex multitudine sectatorum authoritatem trahunt. Citentur famosæ Academiæ. *Ita Sorbonistæ , ita Salmanticenses :* Quia famosæ alicujus Academiæ sensui multùm tribuitur. Citentur Scholarum principes, qui ex ipso Scholæ principatu, quem obtinent, audiri merentur. Citentur gradu aliquo, aut dignitate insignes viri, ut Cardinales, Prælati Ecclesiarum, Generales Ordinum, in primariis Orbis Universitatibus emeriti Professores ; quibus ipsa sua dignitas, Orbi Christiano nota, authoritatem addit, in rationabili excellentis alicujus meriti præsumptione fundatam. Citentur interdùm & privati Theologi, quorum scripta jam publicam Ecclesiæ approbationem obtinuerunt. Sed alii quantumvis magni viri, quibus nec dignitas est orbi conspicua, necdum satis magna sapientiæ fama accessit, nisi fortè novum aliquid, & singulare afferant, citari non debent distinctè, & nominatim, donec eorum scripta Litteratorum orbi placuisse intelligantur. Ratio nimirùm est, quia citati nullam fidem facerent, propter quam faciendam citarentur. 3°. Laudatione peccatur, si longior sit : quo modo peccatur ab iis, qui Authorum, quos

citant, non Conclusiones solùm, sed rationes Conclusionum passim exscribunt, alienis spoliis facilè intumescentes, & solo scribarum labore, volumina multiplicantes; in quibus non tam Theologiam, quàm compilationem, & Historiam sensuum humanorum invenies. Hæc de usu, & abusu rationis, & authoritatis humanæ in Theologiâ notare volui; ut quid Theologo sequendum, quidvè fugiendum sit, non tam aliis, quàm mihi ipse præscriberem.

Totius Organi conclusio & recapitulatio.

Habes hîc tandem, optime Theophile, Organum scientiæ Religionis, seu Theologiæ Christianæ, quale promiseram; non in puerilibus nugis, aut vanis subtilitatibus consistens; sed in primariis Religionis veritatibus, solidisque principiis, quibus Theologia Christiana innititur. Tuum est facere, ut ad manum semper habeas, nec unquam dimittas tam utile sciendi instrumentum. Volve animo, & revolve, quæ ibi tradita sunt, prima Religionis, & Theologiæ fundamenta. Deus scilicet existit, cui omnis Religio debetur. Unus est, ne Religio dividatur. Summam habet, in loquendo, authoritatem, ut loquenti firmiter credatur. Per Christum re ipsâ locutus est, Divinitati Doctrinæ Christi nemo prudens refragetur. Doctrina Christi Divina, apud Ecclesiam Christi deposita est, ut incorrupta servetur. Custoditur in ærario, ut ita dicam, Scripturæ, & Traditionis; tam pretiosus thesaurus sollicitè, & diligenter exquiratur. De thesauro illo Divino si conten-


tio interveniat, interrogantur Ecclesiæ Patres, & præsens Ecclesia consulitur, ut infallibilis responsio habeatur. Unanimi sensui Patrum, aut decisioni Ecclesiæ si contradicitur, fit Censura Theologica, seu Dogmatum, seu Personarum contradicentium. Dominatur ubique in Theologiâ lumen Divinum; sed Divino famulatur humanum. Eæ sunt veritates, quibus instructus, aut initiatus, scientiam Religionis, & Theologiam Christianam ingredi poteris, & pede inoffenso decurrere. Tene igitur, quod habes, ut quod non habes, habere possis: tene, inquam, optime Theophile, Existentiam, & Singularitatem unius Dei, qui Theologiæ proprium objectum est, summam Dei loquentis Authoritatem, in quâ Theologia fundatur; Divinitatem Doctrinæ Christi, quam Theologia Christiana sequiquitur; veram, & visibilem Christi Ecclesiam, quæ bonum Doctrinæ depositum fideter custodit; Scripturam, & Traditionem Divinam, seu verbum Dei scriptum, & traditum, quo Dogmata Theologica firmantur; unanimem, seu Patrum, seu Ecclesiæ sensum, ex quo de verâ Scripturâ, & Traditione, infallibiliter judicatur; formam Censuræ Theologicæ, quâ notantur perversa Dogmata, & perversorum Dogmatum authores; luminis denique humani sapientem usum, ac dispensationem, ejusdemque, cum lumine Divino, necessariam in Theologiâ concordiam. Hæc tibi principia familiaria sint. Nam si fuerint, erunt tibi *prava omnia, in directa,*

& aspera, in vias planas, hoc est, Theologiam expeditè, & sine offensione perambulabis; quâ spe illectum, optime Theophile, non te, credo, pigebit, aliquandiu hærere in Organo nostro, ut in atrio Theologiæ magnifico; donec in domum interiorem, & Reginæ Palatium introducaris. Nec dubito, quin identidem exclames, cum Augustino, *Si tantùm in atrio, quantùm in Palatio* !

FINIS.

ERRATA.

Pag. 21. lin. 3. *leg.* superbissimi. 30. 25. vires. 108. 24. ridebant. III[a]. II. traducturus. 112. 7. & 8. pro prioratu exciti. 137. 19. terminorum. 149. 33. discipulis. 158. 7. portentis. 165. 1. ostensa. 165. 5. sigillum. 173. 24. infunderet. 176. 21. falsæ. 215. 35. rationabiliter. 216. 1. irrationabiliter. 216. 2. habentur. 223. 8. Metaphysicè. 224. 30. necessitantem. 246. 11. area. 268. 19. detegendam. 329. 15. Ecclesiasticæ. 400. 31. infallibilitatem. 402. 19. superfluam. 471. 12. qui. 496. in Marg. contra Mocianum. 497. 26. Epistola III[a]. eâd. pag. lin. 33[a]. *leg.* vel ab aliis. *ibid.* *leg.* vel à nobis. 501. 17. pluris. 503. 32. parùm. 503. 33. venturis.



INDEX

Rerum quæ in hoc primo volumine continentur.

PROLEGOMENON PRIMUM ad universam scientiam Religionis.

Defensio Theologiæ Scholasticæ.

PROLEGOMENON SECUNDUM

Theologi, seu Theologiæ tractatoris vera idea.

Alterum

PROLEGOMENON TERTIUM.

ORGANUM NOVÆ THEOLOGIÆ cum Historiâ Sociatæ.

Primum

Quæstio 3. DE SUMMA DEI LOQUENTIS AUTHORITATE,


In quâ contra Libertinos fides nostra fundatur. 131.

Prudens,

Quæſtio 5. DE ECCLESIA CHRISTI *Quæ Chriſti Doctrinæ fideliſſima cuſtos eſt.*

sit

2°. Damnantur



FINIS.

EGo infra ſcriptus Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, nec non Montis-Albanenſis Epiſcopus deſignatus, Teſtor, à me eum librum, qui *Scientia Religionis Univerſa, ſeu Chriſtiana Theologia Hiſtoria Eccleſiaſtica ſociata* inſcribitur, diligenter & ſtudioſè lectum eſſe, & in eo nihil à me fuiſſe deprehenſum quod Fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ repugnet, quin imò variis coruſcare veritatis fulgoribus, quibus infidelium & hæreticorum mentes, diſcuſſis errorum tenebris, illuminentur. Unde eruditum hoc & egregium opus, quod quidem præclarum Authoris ingenium refert, prælo ac luce dignum exiſtimo. Datum Pariſiis die 29. Septembris anni 1688.

H. DE NESMOND EPISCOPUS MONTIS-ALBANENSIS *Deſignatus.*

FACULTAS.

Reverendi Patris Vice-Provincialis.

EGo infra ſcriptus Vice-Provincialis Societatis JESU in Provinciâ Toloſanâ, facultatem concedo, ut operis, cui titulus eſt. *Scientia Religionis Univerſa ſeu Chriſtiana Theologia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ novâ Methodo ſociata.* Tomus præambulus *Organum novæ Theologiæ* inſcriptus, Authore P. JOANNE GISBERT ejuſdem

Societatis Theologo, à tribus Theologis de more approbatus in lucem edatur. Tolosæ. 28. Dec. 1687.

JOANNES SARTRE.